


25.VII.58.H.

roll. 9th
VII 450 pp.
Grav. 1/1
Österr. Nationalbibl.
Ges. 1/1

tubl. 350



D. St. Tausig
25.5.96

12.

NICODEMI FRISCHLINI

SACRILATE,
RANENSIS PALATII,
AVLAE QVE CAESAREAE ET
Imperialis Consistorij Comitis : Poëtæ Laur.
Oratoris & Philosophi præstantissimi:

ORATIONES INSIGNIORES ALIQVOT:

IN PVBLICIS PVBLICARVM
GERMANIAE ACADEMIARVM CONSE
sibus habite, olimq; seorsim excusæ : Nunc verò in gratiam
φιλομάθων, propter causas in præfatione expositas,
coniunctim editæ.

Operâ & studio,

M. GEORGII PFLVEGERI,

Ulmani.

SAPIENTIA



CONSTANS.

*Inseritum Herbarico
Leitgebio Stuttgart
diario Anno 1693
16 Calend: Septem
Dec soli gloria*

ARGENTINA

Ex officina Typographica hæredum Bernhardi Iobini.

ANNO 10 XCVIII.

R 500279

САДЫЛТАН

КУНДЫЗАЛТАН

АЛАХОДЕ/САДЫЛТАН

Одеское Купидони Кони - Тоге Таш

Одеское Купидони Кони - Тоге Таш

Ильяс Кичиев Акын

Алакудай Акын - Соня

Алакудай Акын - Соня

Одеское Купидони

Одеское Купидони

Акын

Соня



СОЛНЦЕВИНОМ

Одеское Купидони Кони - Тоге Таш

СОЛНЦЕВИНОМ



ILLVSTRBVS ET GE-
NEROSIS DOMINIS : Dn. IOAN-
NI CASIMIRO, COMITI IN ERPACH, ET
Domino in Preyburg & Christiano & VVolrado Co-
mitibus & Dominis in VValdeck F F. Domi-
nis suis clementibus.

EX diversis hominum sive studijs, sive muneri-
bus, Illustres & generosi Dn. Comites, Domi-
ni clementes, triplicem veneranda antiquitas
deduxit sobolem. Cum enim videret, quosdam
mortales in id unicè incumbere, ut reliquis rebus omnibus
posthabitatis, solius DEI honorem promoverent, veramq;
eius agnitionē ante omnia ad posteros propagarent: quos-
dam vero studijs liberalioribus & vita spaciis, & ingenij
industriam, & opum atq; divitarum copias impendere:
alios deniq; his neglectis mundana tantum sectari, nihilq;
nisi quod aut insignem vel utilitatem, vel iucunditatem,
ab honestate licet longissimè remotam, sibi adiunctam ha-
beret, amplecti: illos quidem DEI & cœli filios, hos au-
tem terra nothos (natos dicere volebam) appellârunt.
Videatur autem emuncta naris hominibus non usq; qua-
que, nostro cum primis tempore, consistere posse, ista veter-
rum divisio: eò quod neq; veri DEI filij, & germani cœli
nati tantoperè inter se dissideant, ut adverse invicem op-
poni possint. Evidem optandum esset, ut quemadmodum
alterius altera poscit opem res, sic amicè etiam coniuraret.

E P I S T O L A

Verum deprehensum non raro, & priorum seculorum cursu, & nostrorum temporum etate, Cœli filios à D E I liberis turpissimo secessu defecisse, adeò ut maximam & tristissimam inter eos videamus esse exortam dissensionem, quos & propter sanguinis cognitionem, & divinæ veritatis assertionem oportebat omnium coniunctissime vixisse. Exempla huius rei si vel chartæ huius angustia patet, vel locus hic requireret, afferrem plura. Vnum saltem atq[ue] alterum brevitatis causâ adducam. Ac pri-
mum quidem, ut de scriptore maxime illustri Aristotele lo-
quar: non latet, quam graviter hic & enormiter aliquo-
ties in divinam veritatem impegerit, dum contra Plato-
nem, & antiquiores tūm Philosophos, cūm Theologos,
mundi aeternitatem multis quidem & argutis, sed ruinosis
certè & fallacibus argumentis astruere conatus fuit: ut
præterea in interim cetera eius paradoxa: Et tamen hunc
posteritas propter stupendum, & cunctis seculis admirabi-
le ingenij acumen, instar miraculi Naturæ non immerito
suspexit. Quid iam de Galeno, & Simplicio Philosophis a-
cutissimis dicam? quorum alter falsis & imp̄is, Moysis de
creatione rerum narrationem, verbis irrisit, alter vero alti-
quot argumentis eandem impugnare ausus fuit. Sed non
opus est ut tam longè abeamus, exemplum huius rei, &
quasi idæam omnium luculentissimam habemus in perni-
ciosa ista Sacramentariorum secta: Quam cornutè enim
& acriter homines isti Sophismatis suis contra divinam
veritatem dimicent, nemo est, qui ignoret: subinde nam-
que in omnibus suis scriptis tam Philosophicis, quam Theo-
logicis hoc unicè inculcant, agunt, & contendunt, ut hu-
manis fundamentis divinam veritatem vel convellant, vel
certè

DEDICATORIA.

certè suspectā apud imperitiores reddat. Hic perpetuas contradictionū audias implicationes ad nauseā usq; repetitas, Quantitatū, qualitatū, loci, tēporis, corporis oppositiones quib. ut & alijs adeò aures discipulorū suorū opplet & obverberant, ut poste à omnia, quæ non primo statim intuitu cum his regulis congruere videntur, temerario ausu falsitatis damnent, artium & totius Philosophiaæ fundamenta labefactari vociferentur, duplīcem veritatem astrui stentore à voce clamitent. Sed quām bellè alibi, volente Domino, demonstrabitur. Rhetores etiam nonnulli reperti sunt, qui eloquentiā suā & verborum phaleris, veram DEI religionem non stabilire, aut commendare, sed penitus prosterñere, & extirpare malitiosè sunt conati: adeò ut quasi alteri gigantes, coniunctis viribus, affectasse queant regnum cœleste videri, altaq; congestos struxisse ad sydera montes. Fuerunt quidem homines isti tām ingeniosi, tan-taq; eruditionis, ut omnes omnium doctrinarum fontes exhausisse videri possint. Sed dum donis ijs nimium fidunt, per eaq; non DEI honorem & veritatem querunt, sed propriam gloriam & famam aucupantur, suam quidem illis, quam meruere, laudem relinquimus: Interim tamen longè eos præferimus, qui cùm cœli filij sint, eo non contenti, altius assurgunt, alterumq; parentem pietate, ceterisq; virtutibus sibi exorant & demerentur, & omnia sua studia, omnes ingenij vires eò dirigunt, ut cultus & veritas divina inconcussa & illibata, unā cum veris artium & scientiarum fundamentis ad posteros transmittatur. In quorum numerum si Nicodemum Frischlinum Balingensem referam, non adeò me aberraturum existimo. Quid verò aberraturum? minimè profecto gentium. Quem enim

E P I S T O L A

tot potentissimi principes, comites, barones, nobiles, alijq_z
Imperij status certatim suspexerunt: quem tot tantiq_z vi-
ri totius Europæ admirati sunt: qui etiā exterios & trans-
marinos in sui amorem rapuit: quem (ut paucis dicam)
summi, imi, medioximi coluerunt & dilexerunt unicè:
eum ne ego si inter nobilioris stirpis nepotes referam, meo
tas iustitiae transfilijse alicui videri queam? Sanè dubium
mihi nullum est, non paucos fore, qui studium hoc meum
qualecunq_z omnibus modis sint improbaturi. Sed nihil mo-
ror eiusmodi hominum iudicia: In medio huius viri sunt
tot & tanta monumenta, quæ se ipsa sat is defendunt, nec
ullo alio defensore opus habent: quamvis interim huma-
nos lapsus semper exceptos volo. Nota est omnibus doctis
Frischlini eruditio, adeò ut qui hanc se ignorare fateatur,
ipsas literas & Musas ignorare videatur. Quanto etiam
studio non solum plerasq_z humaniores artes, verū etiam
cœlestem veritatem (quod veros D E I cœliq_z filios decet)
à fermento & nugis hereticorum & Sophistarum afferere
contenderit, manifestius est, quam ut à me pluribus sit de-
monstrandum. Neg_z ab hoc suo proposito vel auctoritate &
minis adversariorum, vel magnitudine periculorum &
calamitatum, vel morsibus invidorum, vel aliorum homi-
num inscitia ullo modo dimoveri potuit: Neg_z mirum sa-
nè. Quærebat enim non vulgi famam, & indoctorum ho-
minum applausum, sed veritatis assertionem, sed Reipub.
literariae commodum, sed teneræ iuventutis emolumentū,
cuius solius amore tot labores subiit, tot miserias sustinuit.
Vnde etiam factum, ut scripta eius plerasq_z in summo pre-
cio & amore semper sunt habita, ita ut præter lapsis iam
aliquot annis, plurimi de inopia librorum Frischlini con-
queri occuperint.

Quod

DEDICATORIA.

Quod cùm animadverterem, ipse etiam de ratione & via cogitare cœpi, qua hac in parte bonis satis fieret: Eoq; fine nunc in gratiam studiosorum insigniores aliquot orationes Frischlini in lucem emitto. Oro autem omnes literatos literatorum q; fautores, & qua pars est observantia peto, nemalo animo rursus à me in lucem productas existiment. Quamvis enim apud bonos non opus est eiusmodi deprecatione: tamen, quia penè exploratum habeo, non defuturos, qui dicam mihi sint impacturi, quod ceteris orationibus etiam eam, quæ est de vita rustica, adiungere voluerim. Idcirco omnes & singulos cuiuscumq; ordinis, dignitatis, & conditionis fuerint, submissè rogatos & amater admonitos volo, ne vel temerariae audacie, vel audacis temeritatis me insimulet. Ex ipsius nāq; autoris ppria declaratione, ppryssq; verbis: Principis pterea Vvirt. & procerū Carniola cōtestatione, ita hāc orationē conformata esse parat, ut pter manifestos caluniatores nemo amplius quicq; de ea conqueri possit. Publicè etiā protestor, & corā DEO, qui solus hominum corda & renes scrutatur, affirmo me nihil aliud in editione harū orationū Frischlini & exercitiorum Rheticorum spectasse, aut spectare voluisse, quam publicam rei literaria utilitatem, & emolumentum, & ut ijs, qui hacenus has orationes magno studio expetiverunt, cōsuleretur. Quæ enim orationum harum sit præstantia, atque dignitas: sive rerum optimarum, quæ in ijs tractantur varietatem, sive verborū, quibus illæ exponuntur venustatem & ornatum, sive artificij in ijsdem adhibiti mirandam structuram quis consideret: facile videbit is qui non planè cœcutit. Quæ item ad lectorem ex his orationibus rū ad ingenij, rū ad vitæ morumq;, rū in primis ad linguae cultum

E P I S T O L A

cultum redditura sit utilitas, sentient q̄, qui easdem atten-
tē & sapiū evolvent. Promiserat quidem ipse Frischlinus
p. m. eiusmodi Orationum volumina quatuor, quae procul
dubio, si diutiū vixisset, dudum haberemus. Sed quia præ-
matura & inopinata mors honestissimum eius propositum
antevertit, ideo etiam maiori cura ha nobis commendata
esse debent. Si quis verò est, (ut hoc denuò repetam) quem
publicatio harum Orationum offendit, eum ego obnoxè ro-
gatum velim, ne agrè ferat, quod communem utilitatem
privatis quibusdam simultatibus antepono. Fecerunt hoc
sapientes omnibus seculis. Vident boni & equi rerum aſti-
matores, quid hac editione quāram, quibus qui acquiescere
nolunt, eos tantisper sibi sapere, suoq; iudicio frui finamus,
quantiſper volunt. Sunt enim homines quidam (homines
certè ut parcè dicam parum Christiani) qui semel conce-
ptum odium & præiudicium non priū deponunt quām,
donec in antiquam resoluto corpore glebam, rursus eant,
pulvis glebæ de pulvere facti. Quorum tamen exemplum
Christiani & verè docti, veritatisq; amantes homines sibi
minimè imitandum norunt.

Vobis autem illustres & generosi Comites, Domini
clementes, has orationes meliori de nota peculiariter com-
mendare, atq; ut hodie loquuntur, dedicare volui, duas
potissimum ob causas. Primò quidem, quia earum mate-
ria & tractatio vestræ atati & studijs maximè accommo-
data esse videbatur. Aetas enim vestra ea est, qua unani-
mi omnium sanorum iudicio perceptioni liberalium disci-
plinarum nulla est aptior, nulla convenientior: studia ve-
rò vestra & materia eiusmodi, ut hæc ab ijs aliena sit mi-
nimè, quod vel duas orationes istæ, quarum altera de exer-
cita-

DEDICATORIA.

citationibus oratorij & poëticis, ad imitationem veterum
recte utiliterq; instituendis, altera de studij linguarum
& liberalium artium, planum faciunt. Neq; verò est, quod
quisquam captum ista vestrum exceedere, ideoq; cuivis po-
tius alijs, quam vobis inscribenda fuisse opinetur. Tales e-
nim tui IOANNES CASIMIRE in studijs sunt pro-
gressus, ut assequi ea facilimè possis: ea præterea ingenij fœ-
licitas, visq; & studiū sapientiae, quo & aquales tuos lon-
go post te intervallo relinquis, inferiores verò in tui admi-
rationē rapis. Ea etiam CHRISTIANE & VVOL-
RADE natura vestra, ut si eam ad res magnas applica-
veritis, illustre aliquando gentis vestræ ornamentum exi-
stere possitis. Enim verò & in vobis talis animi motus ap-
paret, ut si hunc cursum studiorum & industria tenere
augereq; volueritis, progressus in studijs facturi sitis ex-
pectatione parentum & cognatorum vestrorum dignos.
Si quid vero est, quod hic intellectum vestram remorari
posset, præceptorem habetis domesticum, qui facile sup-
plebit, quod adhuc propter etatem assequi non potestis. Est
enim & natura habitu moderatus, & scientiam omnium
earum artium habet, quibus & hac vestra & plenior etas
conformari ad cognoscendam religionem veram, ad acu-
endam ingenij aciem, iudicandumq; civilia officia solet.

Deinde verò ideò ad vos has Orationes potissimum
mittere volui, ut extaret publicum aliquod gratitudinis
& observantiae meæ erga vos testimonium. Ut enim nihil
hoc loco de Illustris parenti vestri, nunquam satis laudati
Comitus GEORGII Dn. mei clementis beneficijs in
me collatis dicam: ut præteream omne illud tempus, quo
vobis cum adhuc Erpachij in patria schola essetis, inservivi:
Quibus

EPISTOLA DEDICATORIA.

Quibus quo^{rum} officijs, qua liberalitate & benevolentia, me ab eo temporis articulo prosecuti estis, quo ad hanc laudissimam Academiam ab inclito parente vestro estis ablegati. Amens prospecto essem, nisi haec agnoscerem: extremè ingratus, si non de grati & memoris animi symbolo cogitarem. Accipite igitur generosi Comites, Domini clementes, & accipite clementi hilariq_z, vultu hanc qualem cung_z grati animi significationem, quam per dedicacionem harum Orationum Frischlini, cum aliud hoc tempore nihil suppetat, testatam facere volui: Et me meaq_z studia, quemadmodum hactenus, ita & imposterum commendata esse pativini. Quod supereft, DEV M Opt. Max. oro, ut vos cum tota vestra inclita prosapia, diu incolumes conservet, & studij vestris propitio & clementi numine aspiret. Scripsi Argentorati XIII. Calend. August. Anno tuis Christoyovias M. D. 11C.

G G. V V.

Subiectissimus,

M. Georgius Pflüger,
Vlmanus.

EPI-

EPIGRAMMA DE EXILIO
NICODEMI FRISCHLINI.

Tempore quo patrio FRISCHLINVS rure relido,
Hinc inde in varijs exulinerrat agris.
Hospitium Musis, quæsitusq; patronos,
Sæpius hæc imo pectore verba dedit :
Qui mihi concordes in amore fuistis amici,
A quibus invitus cogor abire miser.
Vivite fælices, vivat, valeatq; Tübinger,
Quam de me quoquo sat meruisse modo.
Floreat urbs clara præclara Tübinger Lyceo,
Vivite discipuli, vosq; valete mei.
Semper ero vestri, quotquot fovistis, egenum,
Non occasura cum pietate memor.
Ipse quidem hinc abeo ignot as novus hospes ad oras,
At manet ingenij fama q; lausq; mei.
Sunt homines, qui me celebrant, & honoribus augent,
Me laudant medio plena theatra foro.
Semper honos, nomenq; meum, laudesq; manebunt,
Donec erit Phœbus, carmina donec erunt.
Perpetuò de me GERMANIA TOTA loquetur,
Me non oblitum tempora sera dabunt.
Ergo parum curo, qua tandem sede quiescam,
Dum modò sit famæ gloria firma meæ.

VERA

VERA EFFIGIES,
NICODEMI FRISCHLINI,
BALINGENSIS.



*Corporis effigiem FRISCHLINI exculpere, Lector,
Artificis doct&e sic potuere manus:
Mentem non itidem: totum quae nota per orbem
Divitius ingenij factibus aucta viget.*

VV. P. S.

ORA-



PO R A T I O

DE P R A E S T A N T I A

A C D I G N I T A T E P. V I R G I L I I M A-
ronis Aeneidos T U B I N G A E VI. Idib. Junij

Anno 1574. habita.

VANQVAM P. VIRGILII MA-
ronis, ea est dignitas atq; præstan-
tia : ut operam ludere videatur,
qui in laudibus eius percensendis,
multum studij ac laboris insumit : cùm vino
vendibili, sicut vulgò dici solet, suspensâ hede-
râ non opus sit: & proba merx, tit est in veteri
Comœdia, facile emptorem reperiatur, tamen,
quia pauci intelligunt, quantæ res, quæmque
utiles ac necessariæ cognitu, in Poëtarum, præ-
fertim Virgilij scriptis contineantur : operæ
premium, meoque haud indignum, neq; ingra-
tum vobis, facturum me existimavi : si non de
ipso Autore, cuius vita ab alijs conscripta atq;
exposita est, sed de Autoris opere : qto ~~tes~~ ab
Aenea fortiter & præclarè gestas versibus is
celebravit, & literarum monumentis ad sem-
piternam posterorum memoriam transmisit:
paucula quædam in mediū proferam: Ut mea
qualicunque oratione, tanquam classico, ados-

A

2

lescentum animi excitati, quid in huius scriptoris lectione sibi expectandum sit, non ignorant: eademque diligentia, & sedulitate, qua hactenus, porrò etiam, in Virgiliana Aeneide versentur. Cum enim DEI Opt Max. beneficio duodecim libros de Aenea scriptos, cum aliquot Iulij Cæsaris Commentariorū libris, per annos octo ferè, quibus in hac schola publico docendi munere fungor, prælegendo nuper absolvissim, & certo consilio ad principiū eorundem reverti constituissem: officij mei esse arbitratus sum, morem sequi bonorum interpretum: & futuræ expositioni ea præmittere: quæ, non dicam laudem & decus Autori, quem suum commendat opus, concilient: sed maius studium, maioremque discendi cupiditatem in vobis accendant. Quām enim gravis hic autor sit, quāmq; utilis, tum ad mentem optimarum rerum cognitione imbuedam, tum ad vitam, moresque rectè informādos: tum in primis ad linguæ Latinæ cultum, artiumq; humanitatis doctrinam percipendam: id nemini literarum amanti obscurum esse debet. Quare vos omnes oratos maximo-
perè volo: ut de Virgiliana Aeneide dicentem me, benignè attenteque audiatis. Ea namque (ut spero) percipietis, quæ vobis & summæ voluptati, & maximo in vita usui esse poterunt. Nam quod Flaccus noster in Arte canit:

Aut prodeesse volunt, aut delectare Poëtae:

Aut simul & iucunda & idonea dicere vitæ:

Hoc de Virgilio verissimè dictum esse, vos
perindè; ut ipse cecinit, mea cùm verba audie-
ritis, certo statuetis. Atque illud in primis mi-
hi iure latandum esse video: quod in hac in-
solita mihi ex hoc loco dicendi ratione, mate-
ria talis oblata est: in qua oratio nemini lite-
rato deesse potest. Dicam enim de tali Poëta,
quem Seneca vatem maximum, Quintilianus
omnium Poëtarum Græcorum, nostrorumq;
proximum, Lactantius Latinorum primum,
D. Augustinus Poëtarum omnium præclaris-
simum atq; optimum appellat: quē Augustus
Cæsar Divum, Alexander Severus, Imperator
Romanus, Platonem Poëtarum nominavit:
quem Iulius Cæsar Scaliger, vir clatissim⁹, qui
patrum nostrorum memoriā vixit, Aquilā vo-
cat: cæterosque omnes scriptores transmarí-
nos, excepto Aristotele, & Julio Cæsare, coryo-
rum loco, tanquam loquaculos & garrulos ha-
bet: in cuius deniq; laudib. investigandis Ma-
crobius & Pontanus, tota cōscriptere volumi-
na. Itaq; non mihi tām copia, quām modus in
dicendo quærendus est. Ac in itid, si quem
antiquia & vetera oblectant, præsertim ea, quæ
ad Romanī Imperij, quod ab'italis constitu-
tum est, & etiamnum utcunq; durat, primam
illam ac vetustissimam originem pertinent;
quis quæso est, ex omnibus Poëtis atque pro-

4

fanis scriptoribus, qui antiquiores Romani
Imperij res descripscerit, quam Virgili⁹? Equi-
dem inter omnes scriptores constat, Roma-
nos ab Albanis, Romulo & Remo, Numitoris
ex Rhea filia nepotibus descendere: Albanos
verò à Latinis, & Troianis, Latinos à Ianige-
nis: Ianigenas ab antiquissimis Aboriginibus;
qui auctoribus Dionysio Halicarnasseo, & Por-
cio Catone, primi Italiam, expulsis inde Sici-
lis, sine mœnibus passim in sylvis & montibus
vicatim inhabitaverint: usq; ad Ianū & Satur-
num. Nam Saturno ex Creta, à Iove filio fuga-
to Ianus hospitiū in Italia præbuit: & agrorum
viniq; colendorum rationem ab eo doctus, i-
psum in regni sui portionem recepit: amboq;
unanimi consilio imperantes, duo condide-
runt oppida, quorum alterum à Iani nomine
Ianiculum, alterum à Saturno Saturniam ap-
pellarunt: quod factum est Anno mundi 1928:
Anno ætatis Noah 872. Constat autem ex Be-
roso, Comerum filium Iapeti, nepotem Noæ,
primùm in Italiam deduxisse colonias, & ex
Oriente in Occidentem migrasse, occupata
per filium Tuysconem, quem Hebrei Ascenam
vocant, Germania: per Riphatum Sarmatia,
& Riphæis montibus, per Togarmam, Hispa-
nia, ut nonnullis placet. Ipse verò Comerus
Italiam aliquot annis tenuit: donec tandem
Chamesenuus, qui est Cham, in Italiam venit:
& bello excitato Comerum inde expulit, ope
Sicu-

Siculorum & Aboriginum, ut gravissimè mōstrat Berosus. Sed propter impietatē & scelera ipsius, quibus Italiam infecerat, regnum ipsius non fuit diuturnum. Nam, ut præter Berosum, etiam Porcius Cato de Originib. testatur, post inundationem terrarum Ianus in Italiam colonias deduxit : & cùm ibi comperisset, ut refert Berosus in Nino, Chameenum iuuentum corrumpere, tribus annis æ quo animo illum tulit. Deinde illi aliquot colonijs assignatis eum Italiam excedere iubet : ipse omnes colonias dividit : suamque posteritatem ab Aboriginibus separatam esse voluit, cis Ianiculū amnem, in planicie atque maritimis. Hunc Iandum eundem esse cum Noah, idem autor affirmat, sic cognominatum à vino, cuius colendificationem Italos docuit. Hebræi enim sua lingua vinum Iain vocant. Ego certè (salvo Berosi iudicio) Noam annos natum 870. in coloniam ex Oriente egressum vix crediderim, sed nepotem suum Ianum, fratrem Comeri, illò cum Arameorum manu emisisse arbitror, qui postea res in Italia cōstituerit, & maris Ionij, à se denominati, imperium longè lateque tenuerit: & colonias, ut loquitur Berosus divisorit, misso filio Cithim in Macedonia: Dodanem in Dodonem, quæ est Epiri regio & civitas: Elisa in Græciam & proxima Sicilia loca: Tharsi verò in oram maritimā Cilicię, Cyprum & Rhodon. Et profectò magna est co-

gnatio nominis Iauan, quò ad Hebræas literas, cum nomine Ion: magna item huius cum nomine Iani. Sed suum cuique liberum esto iudicium. Ego Mosen hac in parte sequor, cuius historia, ut antiquissima, ita verissima est. Atque hæc vetustissima est Italiæ origo, à Noë posteris: quæ nobis eò gratior esse debet quod eius non modò in Sacris literis, Mose, Berofo, & Iosepho, sed etiam in Catonis Originibus, & nostro Virgilio præclara extant monumenta. Sic enim huius rei meminit Virg. lib. 8. Aeneid his elegantissimis versibus:

Hæc nemora indigenæ Fauni nymphæq; tenebant.
Gensq; virûm truncis, & duro robore nati:
Quis neq; mos, neq; cultus erat, nec iungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto.
Sed rami, atq; asper vietu venatus alebat.
Primus ab atherio venit Saturnus Olympo,
Arma loris fugiens, & regnis exul adempis:
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legeq; dedit, Latiumq; vocari
Maluit, hu quoniam latuisset iutus in oris;
Aureaq; (ut peri hibent) illo sub rege fuere
Secula, sic placida populus in pace regebat,
Deterior donec paulatim ac decolor atas,
Et belli rabies, & amor successu habendi.
Tum manus Ausoniæ, & gentes venere Sicanæ,
Sæpius & nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges asperg; immanni corpore Tybris,

A qua

A quo post Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus : amisit verum vetus Albula nomen.

Et paulo post:

Hac duo preterea disiectis oppida muris
Bellquieras, veterumq; vides monumenta virorum,
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit urbem,
Ianiculum huic illi fuerat Saturnia nomen.

Sed de Iano haec obiter monuisse sufficiat:
ut iuniores intelligent, quam circumspctus
fuerit noster Virgilius in antiquitatum monu-
mentis annotandis. Nunc breviter Iani succe-
sores addam, quorum in Virgilio fit mentio.
Nam is postquam fato concessisset, & inter Deos
relatus esset: successorem in regno Ianigena-
rum Saturnum habuit: cuius modo memini-
mus. Saturno successit filius Picus, Pico Fau-
nus, Fauno Latinus: qui omnes in ea Italiae
parte regnârunt, quæ Latium à Saturno dicta
est, annis ante captam Troiam 160. circiter,
ut autor est Eusebius. Horum regum noster
Poëta in 7. mentionem sic facit:

Rex arva Latinus & urbes
Iam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus: Fauno Picus pater, iusq; parentem
Te Saturne refert, tu sanguinis ultimus autor.

Vt autem gentes istæ Ianigenæ, à Iano, si-
ve is Noæ, sive huius nepos sit: ita Latini à La-
tino post dictæ sunt. Hoc in Italia regnante,

Aeneas post excidium Troiæ in coloniā exiit:
& reliquias Danaū atque immitis Achilli è
patria eduxit. Ac primū circa æquinoctium
Autumnale per Helleponsum in Thraciam
profectus ibi hyemavit. Veris principio in Si-
ciliam navigavit. Altero dein exilij sui anno
ibidem in hybernis substitit: & tempestatibus
sedatis in Italiam pervenit, agrumque Lauren-
tem tenuit. Icto pòst cum Latino fœdere, La-
vinum condere instituit: & ducta Lavinia,
regis Latini filia in uxorem: Troianis im-
perare cœpit. Quarto dein exilij sui anno
bellum inferentes sibi ac Troianis Rutulos &
ducem eorum Turnum ingenti prælio vicit:
in quo etiam Latinum socerum, ab hostibus
interfectum desideravit. Vnde factum, ut so-
lus ipse rerum in Italia potiretur. Sed pauco-
rum annorum spacio intericto, alterum illi
bellum cum Hetruscis, & Mezentio fuit: in
quo ipse fortiter prælians, superata hostium
acie ad amnem Numicium eodem modo, quo
Romulus ad paludes Capreas disparuit: &
pro Deo indigete à suis haberi & coli cœpit.
Hæc brevis est narratio, & summa rerum ab
Aenea post excidium Troiæ gestarum, quas
in hoc opere Maro, versibus suis celebra-
das sibi sumpfit. Etsi autem ab historia in-
terdum recedit, & ad plures gentes Aeneam
errando pervenisse fingit: tamen utile est
hæc in promptu esse, quæ recitavi: ne omnia

pro fabulosis habeantur: & ut vera à fictis dis-
cernantur. Ac de excidio quidē Troiæ à Græ-
cis, propter adulterium Paridis eversæ, Liber
secundus ait: De erroribus autem & naviga-
tionibus Aeneæ, liber tertius est. Sed Virgili-
us Aeneam non statim è Sicilia in Italiam per-
ducit, ut fides habet historica: sed prius in A-
fricam ad Didonem reiicit: ut hac occasione
originem exponat Carthaginis: & odij, quo
Carthaginenses contra Romanos flagrabant,
causam quasi fatalem afferat quod fit libro pri-
mo & quarto. Postea demum lib. 5. Troianos
in Siciliam reducit: vbi Aeneas patrem Anchisen,
anno præcedenti amissum, ludis Funebri-
bus ornat. Tandem lib. 6. è Sicilia egressum, in
Campaniæ oram ad Sibyllam, mulierem fati-
dicam provehit: cuius ductu Aeneas ad infe-
ros descendit: ut Patrem Anchisen illic futu-
ra sibi de sua posteritate, & fortuna suorum
prædicentem audiat. quæ quo consilio fiant,
suis in locis indicabitur. Neque enim Home-
ricam tantùm poësin, vt multi putant, imitari
voluit: sed multo magis patriæ gentis primor-
dium atque originem celebrare studuit. Bella
verò ab Aenea contra Turnum, & Mezentium
gesta propter matrimonium cum Lavinia ini-
tum, libris sex posterioribus coniunctim pro-
sequitur: vt eodem tempore duos potentissi-
mos hostes, ab exule & profugo, sed pio Aenea
victos esse doceat. Et quemadmodum Home-

rus in morte Hectoris, laudes Achillis finit: ita
 noster Virgilius laudes Aeneæ in morte Tur-
 ni absolvit. Reliqua verò, quæ ad gloriam La-
 tini nominis, & decus Albani regni atq; impe-
 rij Romani pertinēt, suis locis admirāda qua-
 dam ingenij facultate interserit: ac dulcissi-
 mis fabulis permiscet: ut omne lectoris tædi-
 um effugiat. Quid enim iucundius, quām
 quod primo Aeneidos libro Iovem fingit va-
 ticingantem Veneri pro Troianis sollicitæ . de
 regno Albano, & Alba civitate: quam Ascani-
 us olim conditus , & trecentis annis, cum
 sua posteritate sub imperio habiturus erat?
Quid pulcrius, quām quod sexto libro Anchise
 ses introducitur , filio Aeneæ apud inferos,
 quasi indice digito monstrare animas regum
 Albanorum, qui ab Ascanio: & Romanorum,
 qui ab Albanis orituri erant? Quid eleganti-
 us, quām quod Romulus & Remus, condito-
 res Romæ, libro primo à Iove, lib. 6. ab Anchise.
 lib. 8. à Vulcano, in clypeo Aeneæ, ita descri-
 buntur & ob oculos proponuntur : ut Lupæ
 vbera ab ipsis trahi , non legas , sed videas?
Quid magnificentius, quām est pictura urbis
 Romæ, & regum Romanorum, Itemque Con-
 sulum & Imperatorum, Iulij Cæsaris, & Augu-
 sti: ab Anchise , Iove & Vulcano, locis citatis
 ita delineata: ut nullo penicillo accuratiūs de-
 pingi potuisset? Omitto alia, quæ sunt penè
 innumerabilia: quibus non modò populos &
 reges

ii

reges vetustiores Italiæ , sed etiam gentium
istarum mores , & consuetudines descriptæ in
hoc autore continentur. Hæc verò quæ bre-
uiter de Antiquitatis monumentis attigi , eò
dixi, ut juniores sciant Romani Imperia initia
non nuper extitisse: sed omni omnium secu-
lorum memoria , excellentes in hoc Imperio
heroas & principes extitisse: quorum virtute
bellica , & prudentia militari hostes oppressi,
patria defensa, oppida constituta, civitates le-
gibus munitæ atque conservatæ sunt. Deinde
ut omnes intelligent , quām parva soleant esse
maximarum rerum principia. Ut enim ex mi-
nimo grano sēpè maxima oritur arbor, ita ple-
runque magnoram Imperiorum & regnum
amplitudo ac splendor, ex parvis initijs exis-
te consuevit: ut Virgilius exemplo Romæ &
Carthaginis, aliarumque civitatum declarat.
Vnde Propertius :

Hoc quodcumq; vides, quæ nunc est maxima Roma,

Ante Phrygem Aeneam collis & herba fuit,

Atq; ubi navali stant sacra palatia Phœbo,

Evandri profugæ procubuere boves.

Fictilibus crevere Deis, hæc aurea templa,

Non fuit opprobrio, facta sine arte Casæ.

Sed & hoc nomine grata esse debet ista ve-
tustissimarum rerum in Virgilio commemo-
ratio, quod non tantum Romanorum , & am-
plissimi huius imperij: quod cæteras Monar-
chias longè superat: & cuius Germani hodie
præcipua

præcipua pars sumus: tām insignia extant monumēta: sed etiam aliarum gentium, & Germanorum quoque haud obscura in eo fit mentio. Quot enim, & quantos in Germania etiam tum heroas & principes à Tuyscone ortos fuisse putatis: qui animorum virtute ac robore,
invictisq; armis nulli terrarum populo cōcesserint? Sed quia literarum lumen ipsis defuit,
 neque scriptores habuerunt, quorum opera
 & labore res præclaræ ac memorabiles, ad posteros transmitti potuissent: ideo factum est,
 ut idem tumulus nomen obruerit, qui corpus
 obtexit. Meritò igitur amare eos debemus,
qui summis ingenij viribus res fortiter gestas
ab interitu vindicarunt: & in orbis terrarum
memoriam sempiternam sparserunt ac disseminarunt. Mirari interdum solemus monumēta ærea, imagines vetustas, & mutas statuas. At multò magis homines antiquos, & qui ante multa secula vixerunt, admirari nos decet. Hos enim poetæ, non ut mutas imagines, sed nobiscum colloquētes, & morum nostrorum viva quædam simulacra in conspectū nobis fistunt. Nam, si Horatio credimus:

*Non magis exp̄essi vultus per abenea signa
 Quām per vatis opus mores animi q̄, virorum
 Clarorum apparent.*

Pictores enim corporum duntaxat lineamenta & externam oris speciem exprimere possunt: poetæ verò ipsos animos, & intimos
 mentis

mentis humanæ recessus depingūt, & ob oculos nobis statuunt: ut in exemplis maiorum, quales nos simus, aut esse debeamus, tanquam in speculo contemplemur.

X
Non possum mihi hoc loco tēperare, quin huius seculi ingratitudinem reprehendam. Cūm enim & nostri homines suos Virgilios habent: quorum monumentis ipsi cum sua familia & avitis, paternisque virtutibus ornari, & immortalitati commendari poterant: eos ipsi tam ex alto despiciunt, cōtemnūt, rident, ut propter imperitos versifices, & Chærilos, qui Phormionum ritu è flamma cibum petūt, eodem loco optimos poetas habeat: quo corvos poetas, & picas poëtrias, ut ille ait. Quare nihil consequuntur aliud, quam ut pro laudatoribus & præconibus paternarum virtutum, ipsi facinorum suorum probos Cantores, Persios & Iuvenales inveniant: quod Vitellio, Othoni & Neroni accidisse videmus. Sed de his & Virgilianæ historiæ antiquitate satis dictum reor. Venio nūc ad rerum quæ in hoc scripto retractantur, singularem, & admirandam varietatem: quæ ipsa lectori non minus grata est, quam antiquitas. Ut enim Crambe bis posita mors est: & Citharœdus ridetur, chordâ qui semper oberrat eadem: sic rerum varietas modis omnibus accepta, iucundaqne esse consuevit. Et quemadmodum

Tres mihi convivæ propè dissentire videntur,

Poscentes

Pōscentes vario multūm diversa palato.

Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod petit alter?

Quod petis, id sanè est invisum acidumq; duobus.

Haud secus in prolixo opere eadem omnibus grata non sunt. Proinde nihil magis commendat egregium artificem, quam varietas: quā Virgilius omnes scriptores ad miraculū insque superavit. Quod dum paucis ostendo, quæso animū dictis meis advortite: & eadem æquanimitate ac benevolentia istam varietatem, quā prius vetustatem cognoscite.

Primum igitur in hoc Virgilij opere pleraque sunt historica, & exempla factorum: quibus proponitur discrimē honestorum, & turpium: ut infrā monebimus. Hæc autem ipsa. quæ historica voco, vel antiquiora sunt, vel recentiora, & ad Virgilij ætatem proprius accidentia. Nam illa à morte præservare: hæc popularibus suis commēdare: utraque ad posteritatem transmittere voluit. Et antiquiora quidē, aut propria sunt gentis Troianę & Phrygū. aut sunt Græcorū contra Troianos & alios populos gesta, de quibus est liber secūdus: & alij. aut sunt propria Italie monumenta, de quibus diximus: aut sunt Tyriorum, & Phœnicum, qui à Chaldæis descendunt, & in Africa Carthaginē condiderūt: ut sunt ea, quæ lib. 1. & 4. scribūtur. Recētiora verò sunt partim de rebus Consulū contra Carthaginenses & exteras gentes, præclarè gestis: quas passim celebrat Virgilius: partim

partim sunt de factis Iulij Cæsar is, & Augusti,
 in quorum gratiam opus Aeneidos ab autore
 cœptum, & institutum est. In hac parte quā feli-
 citer versatus sit, & quanto cum animorū mo-
 tu res gestas descrips erit, postea indicabimus.
 Deinde in hoc autore etiam plurima fabulosa
 sunt, & figmentorū nebulis res veræ involutæ:
 præsertim quæ de Dijs gentium dicuntur: qnos
 originem suam à Regibus, & Heroibus traxisse
 constat. Nam ea ætate, ut inquit Fabius Pictor,
 nulla erat monarchia: quia mortaliū pectorib.
 nondum hæserat ulla regnādi cupido. Princi-
 pes quia iusti erant, & religionibus dediti, iu-
 re habiti Dij & dicti. Hæc ille Cum verò huma-
næ mentes verā de Deo notitiam nō gignant,
 neq; innatā sibi habeant: & oculos suos aut ad
 homines, qui cæteris antecellūt: aut etiam ad
 naturam, & res creatas cōvertant: ideo mon-
 strofas opiniones concipiunt, & mirabiles sibi
 Deos ex hominibus, & brutis animalibus: sole
 item ac luna, & similibus rebus à Deo conditis
 comminiscuntur & procreant. Etsi autem ma-
 gna est humanæ naturæ infirmitas, magnaque
 cæcitas: tamen profani scriptores, quorum
 ingenia Deus ad scribendum excitavit, & suis
 etiam donis ornavit, ipsaque opera, ad hæc us-
 que hominū memoriā cōservavit, nequaquam
 ex scholis Christianis propterea exterminādi
 ac profigādi sunt: quod multa absurd a, multa
 impia, nou pauca indigna suis Dijs attribue-
 runt:

runt: ut multorum hominum fert opinio. Quę
 certe ob hoc ipsum imminuenda est, ne opti-
 mi & præstantissimi autores, è manibus do-
 centium ac dissentiu temerè excutiantur. Pri-
 mūm enim fabulosa ista hoc nobis præstāt cō-
 mōdi, vt admoneant legentes, de mentium hu-
 manarum in rebus divinis cæcitate & caligi-
 ne: vt nostram infirmitatem agnoscamus, &
 Dēo pro revelata nobis parvulis luce veritatis
 grati esse discamus: neq; efferamur, quod Dē-
 us nos potiores habuit, quibuscū verbi sui lu-
 cem communicaret. Nam Virgilij nasus Dēo
 nō minus placuit: quām meus, aut tuus Quid
 enim habes, ô homo, quod non accepisti? De-
 inde & huc cōferunt fabulæ istæ, de Dijs, dea-
 busque confictis: vt nos gentium istarum ex-
 cæcatione admoniti, irā Dei, homines ob pec-
 catum in reprobum sensum dantis, verè expa-
 uescamus, neque alijs insultemus: sed vicem
 illorum deploremus: atque in timore Dei vi-
 vamus, nosq; spiritu veritatis regi petamus: ne
 in cæcam istam errorum voragine præcipite-
 mur: tūm in primis, cùm videamus etiam inter
 eos, qui Christiani & Catholici haberī ac dici
 volant: plurimos reperiri, qui in eadem cum
 Virgilio pietatis ignorātia hæreant. Evidem
 si vitam tantū Deus mihi concesserit: ita in istis
 fabulosis narrationibus versabor, Auditores:
 vt totum penè papatum, cū omnibus suis cere-
 monijs, & ritibus ex Virgilio pro manasse intel-
 lecturi

lecturi sitis. Quid enim est aliud Venus apud
 Iovem pro Troianis intercedens, quām pon-
 tificiæ intercessionis, quæ fit à Sanctis apud
 D E V M viva picturæ? Quid aliud parentalia
 Aeneæ in lib. 5. & sacrificium ad sepulchrum
 Anchisæ factum, quām pontificiæ exequiæ, &
 Missæ sacrificium pro mortuis? Quid totus li-
 ber sextus aliud, quām papisticum purgato-
 rium? ut nihil dicam de Exorcismis, quilib. 4.
 proponuntur: nihil de Polyphemo, monstro
 horrendo, informi, cui lumen ademptum, qui
 Romani Pontificis expressa imago est: nihil de
 vestalibus, quæ monialium exemplar sunt: ni-
 hil de igni æterno in templo Vestæ: nihil de in-
 numeris superstitionibus, quas Poëta ipse ri-
 det. Et hæc quidem de fabulosis. Sunt autem
 præter Historica & fabulosa, multa etiā in hoc
 autore Physica, & propriè ad naturam rerum
 spectantia: ut de varijs animalium naturis, de
 arborum, herbarum, apum & similiūm rerum
 virtutibus, de ventis & tempestatibus, de flu-
 minibus, & eorum ortu. Quæ omnia suavissi-
 mis ac dulcissimis numeris à Poëta describun-
 tur. Occurrunt etiam multa medica: qualis est
 curatio vulneris Aeneæ lib. 12. Itē descriptio-
 nes pestis, famis, somni, vulnerum lethalium,
 partium humani corporis, & aliorum. Adhæc
 plurima in hoc Autore sunt Geographica, ut
 tertius & septimus liber ferè totus: item Afri-
 cæ descriptio lib. 1. & 4. & aliæ τοπογραφιæ ur-

bium, regionum, montium, portuum, nemorum. Reperiuntur item Astronomica: ut descriptiones ortuum & occasuum Solis, Lunæ, & aliarum stellarum, respectu Horizontis: tūm ~~χρονιαφίαι~~ Noctis, Auroræ, Meridiei, & similiūm temporum. Quæ si omnia exemplis demonstrare vellem, nimis prolixum foret. Postremò extant in hoc poëta, multæ etiam gravissimæ sententie, quæ exemplis factorum ubique veluti gemmæ inseruntur: ad quas tanquam regulas virtutum, omnes actiones hominum accommodari possunt ac debet. Quid enim gravius à profano homine dici potuisse, quam

Discere iustitiam moniti, & non temnere Divos?

Quid principum vite accommodatius, quam parcere subiectis, & debellare superbos? Nam hoc versiculo multi reges ac principes pro insigni atque symbolo usi sunt. Quid verò de immoderata hominum in rebus prosperis insolentia & superbia verius: quam *Nescia mens hominum fati, sortisq; futuræ,*
Et servare modum rebus sublata secundis.

Quid dicto Christi de lata ad inferos, & angusta ad superos porta consimilius: quam hoc:

*Facilis descensus Averni
Noctes atq; dies patet atrii ianua Ditis.
Sed revocare gradum, superasq; evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est?*

Et si

Etsi enim ista morum ac vitæ doctrina mul-
 tò melius ac perfectius, in Salomone & Syra-
 cide ac reliqua S. scriptura proponitur: quām
 in Philosophorum & Poëtarum libris: tamen
 istæ sententiæ, quæ à naturali mentis luce pro-
 ficiuntur, & cum recta ratione consentiunt,
 haudquam ab ieiendæ sunt: sed cum reve-
 lata à D e o luce comparandæ, & conferendæ.
 Voluit enim D e u s istas sententias etiam in
 profanorum hominum libris extare, & con-
 spici: ut essent præcepta vitæ ac morum: ne
 hominum animi verbo D e i destituti, vo-
 luptatibus planè obbrutescerent. Sed hæc o-
 mnia, quæ ad vitam, moresque in omni ordi-
 ne rectè informandos, adeoque ad totam vi-
 tæ civilis consuetudinem pertinent, multò e-
 videnter in exemplis, tam fictis, quām veris,
 à Virgilio proposita sunt. Quis enim suppli-
 cijs impiorum, quibus illi in Inferno, aut ra-
 dijs rotarum districti, aut à vulturibus arrosi
 excarnificantur, ad timorem, & cultum D e i
 non revocetur? Quis Aiacem istum fulmine
 percussum propter stupratam Cassandram a-
 spiciens, à vagis non absterreatur libidinibus?
Quis Aeneam videns, tergo patrem Anchisen,
senio confectum, ex incendio Trojano effe-
rentem, pietatis exemplum erga parentes
non inde capiat? Quis Lausum in acie stantem,
 & pro salute patris caput hostium telis obijci-
 entem, nō laudet, nō miretur, nō ei similis esse

cupiat? Quis hospitalitatem Didonis & Alcestis non lubens imitari velit? Quis miserabile Troiae excidium sibi ob oculos ponens, nō exclamet cum Herodoto: Atrocia delicta puniri atrocibus pœnis? Quid multis? Nullum in vita vel honestatis exemplum est, ad quod Virgilius te non invitet: neque illum turpitudinis, à quo te non absterreat: ut quod Horatius de Homero cecinit: id multò melius de Virgilio dici possit, quòd

*Is quid sit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicat.*

Quæ enim officia virum fortem & generosum, in omni fortunæ statu, domi & foris, terra mariq; deceant: id multò evidentius exemplo Virgiliani Aeneæ, quam omnibus Aristotelicæ philosophiæ regulis, & prolixis Platoniconrum disputationibus commonistrabo.

Quantum verò ad factas res, earumque usum, si pietatem respicias, hīc dicere attinet, & iam antè aliquid diximus: & hoc nunc insuper addimus, factis exemplis non minus moveri, afficiique hominum animos, quam veris. Idq; non modò in laudationib. usu venit, sed multò magis in vituperationibus: quæ, si fabulis tectæ sunt, fortius pungunt, & animum occultè penetrant: sin apertæ, plerunque primo incursu graviter impingunt, & hominum mentes offendunt. Cùm enim veritas odium, obsequiū amicos pariat, & homines sua vitia non libenter

ter reprehendi & corrigi patiantur: ideò Poëtæ monstræ finxerunt, & Polyphemos, Cyclopas, Centauros, & Lapithas commenti sunt: ut eorum deformitate proposita, homines à sceleribus & flagitijs deterrent. Ut enim ulceræ duro attacū non mitescunt, sed ægrū multò peius afficiunt, ac proinde leviter, sensimq; tractanda sunt, ita atrocia hominum delicta, carptim & tectè reprehendenda, non Satyriça mordacitate infectanda, nisi tum demum, ubi priores illæ castigationes nihil profecerint. Ibi enim exulceratum, & putridum corporis membrum, ense recidendum, ne pars syncera trahatur. Hoc poëtico obiurgandi genere, Nathā propheta ille celeberrimus, usus esse legitur, qui adulterium & homicidium Davidis reprehensurus, & ipsi autori obiecturus, fabulam de rapta ove comminiscitur. Eodem usus est Salvator Christus, ut passim historia Evangelica monstrat. Nam Phariseorum & Iudæorū stultitiam infectatus, alias fabulam de septem virginib[us] stolidis: alias figmentum de convivis ad nuptias divitis Domini vocatis: alias parabolam de vinitorib. & servis, nuncios heri sui, & tandem ipsum herilem filium in vinea occidentibus proponit. Sed & T. Livius, nobilis historiæ conditor refert, L. Menenium Agrip-pam, plebem Romanam, quæ ex urbe in montem sacrum profugerat: & secessionem à patribus fecerat: neque ullius oratione & voci-

bus flecti poterat, solius fabulae, quam de ventriculi & membrorum corporis dissidio artificiosè confinxerat, in urbem revocasse: & concitatum populi animum lepidissimo figmento sedasse: & Senatui, Rei que publicae reconciliasse. Eodem modo Neptunum noster fingit, ventos regno suo ab Aeolo immisso, tridente suo compescere: & dicto citius tumida placare æquora Quid dicam de Amicitia, principio societatis humanæ vinculo? Nam hæc, quibus in reb. consistat: & quæ veri amici propria sint officia, si & Nisi & Euryali exemplo clarius multò patebit: quæm ex Aristotelis octavo & nono Nicomachiorum: totaqué illa prolixa disceptatione Lælij cū Fannio & Scævola, quæ est apud M. Tullium. Quæ quidem non eo commemoro, ut suam autoritatem Philosophorum, & Oratorum scriptis derogem: sed ut Poëtas ipsis non inferiores, sed propè potiores esse commonestrem. Nam & Strabo poëticam artem primam Philosophiā, & Poëtas solos sapientes vocat: & Plato in Lyfide πατέρες τῆς σοφίας, νοῦς ἡγεμόνας, patres & duces sapientiæ nominat. Quin ipse summi ingenij doctrinæque Philosophus, Aristoteles, quanti Poëtas fecerit: ex eo liquet, quod pronunciata sua Poëtarum, Euripidis, & Homeri autoritate constabilire voluit. Sunt enim regulæ virtutum, exemplis factorum illustrandas: & vicissim factorum exempla, ad normas

mas & regulas virtutum referenda ac revo-
canda. At verò, non hoc tantum commodi
lectoribus præstat Virgilius, ut unusquisque
suos mores, & vitam ex illo regere & ad hono-
rabilem informare possit: sed etiam singulis
hominum, ac vitae generibus plurimum con-
ducit. Primò enim tota Aeneis, viri princi-
pis, & in Republica magistratum gerentis ex-
pressa imago est. Quàm enim infracto & im-
pavido animo, omnes adversos casus ferre de-
beat, exemplo Aeneæ demonstrat: quem se-
ptem annos maria omnia circum errantem,
& multis vitaे periculis ac monstris exposi-
tum fingit: ut patientiae & magnanimitatis
specimen omnibus ijs præbeat: qui virtutem
colere, & voluptatum fordes evitare cupiunt.
Verissimè enim à Poëta dictum est:

*Qui studet optat am cursu contingere metam,
Multatulit, fecit q[uod] puer, sudavit & alsit:
Abstinuit vino & Venere.*

Et quod Aeneas de Italia exclamat:
*Per varios casus, per tot discriminarum
Tendimus in Latiū: sedes ubi fata quietas
Ostendunt, illic fas regnare resurgere Troia:*

Id multò rectius nos Christiani de cœle-
sti Italia, & animorum nostrorum patria di-
cemus. Est enim *πολιτευμα* nostrum, ut Pau-
lus ait, in cœlo: quo per multas tribulationes
perveniendum est: ut sacræ loquuntur literæ.

Quām verò tranquillo & sedato animo regem
 aut principem esse deceat in pace, & prospero
 fortunæ statu, ne rebus secundis efferatur, aut
 insolescat: eiusdem Aeneæ exemplo planum
 & clarum facit. Nam qualem ipsum in exci-
 piendis hospitibus esse velit: qualia eundem
 deceant colloquia, lib. 1. 2. & 3. exponit: qua-
 lem hunc ipsum in venationibus, in certami-
 nibus navalibus, iaculatorijs, & equestribus,
 ludisque Gymnicis ac palæstris esse cōveniat,
 lib. 4. & 5. dilucidè exponit, ubi omnia, quæ
 breviter attigi, ita recitat: ut omnia coram a-
 spicere videaris. Postremò qualem in acie, &
 bello principem esse oporteat: quibus orna-
tum virtutibus: qua præditum fide & indu-
stria, nemo apertius, nemo luculentius, nemo
breuius, nemo picturatus describit, quām Vir-
gilius. Quomodo enim bello conflato, ubi
 pax retineri non potest, conscribendi milites:
 qui delectus habendi: quæ loca castris idonea
 querenda, quid agendum in obsidēndis urbē-
 bus, oppugnandis mœnibus, vastandis regio-
 nibus, instruenda acie, committendis prælijs,
 Aeneæ exemplo manifestissimè declarat. Etsi
 autē longè alia nunc militandi ratio est, quām
 tum temporis: tamen grata est illarum con-
 suetudinum, & totius vetustatis recordatio, &
 magnam affert voluptatem ijs, qui nova cum
 antiquis comparare, & veterem istam discipli-
 nam militarem, tanquam rudem & simplicem
 admi-

admirari possunt. Neque verò principiū dunt
 taxat vitam ac mores in suo Aenea delineavit,
 sed eorum quoque hominum, qui cum viris
 ad rerum gubernacula assidētibus ætatem de-
 gunt. Qualem enim Aulæ magistrum, & qui-
 bus erga Dominum suum studijs affectum es-
 se oporteat, exemplo Achatis demōstrat. Qua-
 lem Oratorem, sive legatum, & qua ornatum
 fide, atque facundia esse velit: proposita per-
 sona Ilionei docet. Denique nullum officium
 prætermittit: quod vel ad pacem, & civilem vi-
 tam, vel ad disciplinam militarem pertineat.
 Quid enim Mnestheum & Sergestum comme-
 morem: qui bonorum in exercitu ducum ex-
 pressam imaginem probent? Quid de Miseno
 dicam, tibicine optimo? Quid de Palinuro, na-
 vium gubernatore præstantissimo, & siderum,
 stellarumque peritissimo? Quæ si omnia ver-
 bis ipsius poetæ illustrare velle, dies me po-
 tius, quam verba deficerent. Sed opinor satis
 à me commostratum esse, hunc autorē, & pul-
 cerrimarum rerum varietate, eaqué ad omnē
 vitam civiliter agendam accommodatissima,
 nulli scriptorum secundū esse: cæterisque non
 immeritò, vel uno hoc nomine anteponen-
 dum. Quæ sanè res meritò in adolescentum
 animis studium & amorem excitare debet, ut
 non tantum varias res ex hoc autore cogno-
 scere expetant, sed etiam vitam, & mores suos
 ad exemplum aliorum comparare discant.

Nam vos ego nunc moneo: felix, quicunq_z, dolore
Alterius disces posse carere tuo.

Et:

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

X
Nec malè Terentius: Scitum est periculum
ex alijs facere, tibi quod ex usu siet Verūm no-
ster Virgilius, nō hactantū laude alijs antefer-
ri meretur: quòd rerū antiquitate, & venusta-
te, & iucundissima quadā varietate: tū perso-
narum, quas in theatrū suum producit, eximia
dignitate: ac sententiarū mirifica gravitate, ut
diximus, lögē excellit: & reliquias poëtis tantū
præcedit: ante citos quantum Pegasus ibat e-
quos: sed præcipuè hoc etiam nomine omni-
bus anteponi debet: quòd admirādam rerum
varietatem uerborum varietate exæquat, ora-
tionis copia amplificat, uocum splendore illu-
strat, & pulcerrimis figuris exornat. Neque
enim Virgilij oratio concisa est, ut Silij Italici,
neque arcta, ut Lucani: neque vaga, ut Clau-
diani, & Statij: sed ad fluminis modū copiosa,
& apta loco. ac penè cū rebus ipfis nata: & cui
nihil addi, nihilque detrahi possit. Quemad-
modū id uersus isti docent: quos in sua Aenei-
de consultò imperfectos reliquit, ut iam olim
illud: Sic vos non vobis: quòd sciret neminem
futurū, qui eos de suo ingenio supplere posset.
Sicut enim Venerem Apellis ab autore cœ-
ptam, nemo aliorum pictorū absolvere potu-
it; ita Virgilij imperfectos versus nemo poeta-
rum

rum unqñā absolvet: cùm ex vetustissimis ne-
 mo repertus sit, qui hoc conari auderet. Ora-
 tionis verò ea est puritas, ea verborū elegātia,
 ac nativa venustas: ut nihil à quoquā in ea de-
 siderari, aut iure reprehendi possit: etsi Zoilis,
 & maledicis calūniatoribus ipse non caruerit:
 ut ex Gellio & Macrobio cōstat. Evidem ob-
 soletis, & antiquis vocabulis nō utitur: quem-
 admodum Ennius, Lucretius, Plautus: sed usi-
 tatis, proprijs, & cū reb. natis. Verissimè enim
 cuidam se interroganti, quid ex Ennio collige-
 ret: Aurum, respondit, ex sterquilinio. nam ea
 duntaxat ad Latini carminis maiestatem excerpti:
 quæ pondus, & lumen aliquod habere vi-
 debantur. Est enim Virgiliana compositio ali-
 orum poetarum, præsertim Ennij & Lucretij
 longè dissimilima: & rebus ita accōmodata,
 ut quidem antè monui, nō narrari, sed geri ui-
 deantur. Quid enim piñuratiū illa tempe-
 statis descriptione, quam venti ab Aeolo im-
 missi in mari excitant, ac vastos volvunt ad lit-
 tora fluctus? Quis quæso artifex hominem ne-
 quam, & subdolum melius aut accuratius de-
 lineare potuisset, quā noster poeta Sinonem,
 perfidum, proditorem, mendacijs instructum,
 atque arte Pelasgā: cuius etiam oculos & vo-
 cēs repräsentat:

Namq; ut conspectu in medio turbatus inermis
 Constitit, atq; oculus Phrygia agmina circumflexit:
 Heu quæ me, inquit, tellus, quæ me aquora possunt

Acciper.

Accipere: aut quidnam misero mihi denig restat?

X *Quis Apelles equum Didonis penicillo
venustius adumbrasset, adventum Dominę in
atrio expectantem, quām Virgilius isto versu:
stat sonipes, & frēna ferox spumantia mandit?
Quis caballorum decurrentium sonitus, hu-
manis auribus melius subiecisset, quā iste ver-
siculos:*

○ *Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum?*

X *Quis Daretis & Entelli pugilum certamen
gymnicū pulcrius describere potuisset, quām
poëta noster: qui ita idoneis, ita accommodis
verbis id recitat: ut ipsos pugiles mutuis i&t-
ibus concertantes præsens corām aspicere vi-
dearis:*

*Constitit (inquit) in digitos exemplò arrectus ut ergo,
Brachiaq; ad superas interritus extulit auras:
Abduxere retro longè capita ardua ab ictu,
Immiscent q; manus manibus, pugnamq; lacefunt.*

X *Quis Vulcani fabros & horum in Lemno
fabriles operas luculentius exposuisset, quām
Virgilius: quieas concinnè, apteque expre-
fit: ut qui legit, is malleorum ictus, & incudum
sonitus audire se purer? Quid enim his versi-
bus iucundius, quid elegantius?*

*Illi inter se magna vi brachia tollunt
In numerum, versantq; tenaci forcipe massam.*

*Quis quæso ex his à me cōmemoratis nō
intelligit, verissimè dictum ab Horatio: ut pi-
ctura, poësis erit, quæ si propriùs stes, Te capiet
magis?*

magis? Sed referta est talibus exemplis tota Aeneis: quibus ego percensendis consultò supersedeo. Nam in hac ingenij gloria Virgilius inter omnes Latinos autores vix quenquā habet sibi similem, nisi penè Ovidium, qui quam proximè ad Virgilij descriptiones & adumbrationes verborum proprietate & sententiarum perspicuitate accedit. Sed elegatiōres in Virgilio sunt metaphoræ, epitheta pulcriora: periphrases venuſtiores, quām in hoc & alijs omnibus poētis. Ut nihil interim de castitate verborum dicam, qua obſcēnas etiam res velare & tegere studuit. Quid enim pudicius de re turpi dici potuſſet, quām hoc,
Speluncam Dido, dux & Troianus eandem
Deveniunt—?

X
 Quid castius de maritali consuetudine Vulcani & Veneris, quām illud in octavo:
Optatos dedit amplexus, placidumq; petivit *Coniugis infusus gremio per membra soporem?*

Nam regendæ & velandæ obſcēnæ, ut apparet, rei γλυπτοσεμνιαν̄ decenter admiscuit: ut ait Ausonius. Quę sanè modestia Virgilij, Gręcis, qui ſcribendo ipsnm imitati sunt, causam præbuit: ut eum Partheniam, facta ad nomen eius alluſione, quasi virginēum dicērent. Nam in toto Virgilio, verbum nullum reperitur obſcēnū: nihil impurum, nihil impudicū, nihil, quod teneris adolescentū animis officere poſſit. Neq; enim statuendum est, quod imperiti iudicant,

iudicāt, lasciva illa, & obscenissima Epigram-
 mata de Priapo, quæ vulgus Typographorum
 falsò adscribit Virgilio, ut Politianus docet, &
 pessimo exemplo castissimæ Aeneidi, tanquā
 scortum Virginī, aut honestæ matronæ adiun-
 git: è pudico Virgilij ingenio pro manasse: sed
 veterum poëtarum, Catulli, Ovidij, Propertij,
 Tibulli, Martialis, & similis farinæ scriptorum
 versus esse: quos ipsi diversis temporibus à se
 conscriptos ad Priapi statuas suspenderint, at-
 que affixerint. Quod ideo iuniores moneo:
 ut melius de Virgilio, quām inepti nonnulli
 sentire discāt, & lasciviam Catulli, atque aliorū
 detestantes, Virgilij similes esse, ac similia dice-
 re ac scriberē nitantur. Etsi autem suos etiani
 Metaplasmos, & səpiusculè audaciores Meta-
 phoras habet: & ingens discriminē est, inter u-
 sitata & poetica seu tropica: tamen ad sermo-
 nem quotidianum, & aptam orationem confi-
 ciendam, plurimum præstare hunc autorem
 emolumenti & commodi, manifestum est. Ut
 enim non omnia illius, solutæ orationi admi-
 scenda: ita non omnia ab eadem removenda.
 Nam ut nihil dicam de apto pronunciationis
 sono, & uerborum accentu: qui ex solis poetis,
 eorumque numeris hodie descendus est (nisi
 inepti esse, & ea, quæ pueri sciunt, ignorare ve-
 limus) quis vestrūm non videt, Latinā oratio-
 nem, quæ ad poëticum numerū accedit, & uer-
 ba grādia ex ipsis mutuatur, ut est ipsius Cice-
 ronis,

ronis, & Senecæ, non multò graviorem & sua-
 viorem fieri? Nescio enim profectò, quomo-
 do illorum orationes humi reptitent: quibus
nihil poëticæ sublimitatis, nihil numerorum,
nihil condimenti aspersum est. Nec video, quo
 pacto circumstantiæ personarum, rerum, lo-
 corum, temporum, consiliorum, & eventuum
 melius ex narrationibus Livij, Cesaris, & Sallu-
 stij, quā Virgilianis discantur. Sunt enim histo-
 ricæ narrationes plerunq; simplices, & neque
 uerbis, rebūsve amplificatæ, neque ad affe-
 ctum comparatæ: poeticæ verò pulcerimis lo-
 corum, temporum, & personarum descriptio-
 nibus, ac uenustissimis comparationibus ex-
 ornatae. Et historici ferè humana tantum, &
 fortuita: poetę uerò etiam divina, & fatalia ob-
 oculos proponunt, & arcana Deorum immor-
 talium consilia, quasi ex adyjis, in conspectum
 proferunt. Sed & hoc non satis intelligo,
 quod nonnulli affirmant, locos Inventionis,
 & amplificationis, itemque Tropos, & Sche-
 mata, quæ sunt Elocutionis, adeoque totum
 Oratorium artificium melius ac perfectius ex
 Cicerone, & Demosthene perdisci, quam ex
 brevioribus illis, & pulcerimis Dialogis-
 mis, quos suis heroibus noster affingit Virgi-
 lius. Nam ut mores atque virtutes principibus
 dignas attribuit: ita quoque aptas, conveni-
 entesque & decoras orationes. Etsi enim lon-
 gitudine sua & verborum copia Ciceronianas

non

non exæquant: tamē quia docta & erudita bre
 vitas, quā viri principes & reges maximoperè
 delectantur, nō minorem gratiam & laudem
 meretur, quām ingens verboū flumē: nequa-
 quam propterea lōgioribus illis Orationibus
 Virgilianæ posthabendæ erunt. Macrobius
 certè, acerrimus poëtæ huius censor, eum Ci-
 ceroni in hac ipsa arte, à qua nomen ille sibi
 comparavit, anteferre nō dubitavit: quòd Ci-
 cero in uno tantū dicēdi genere, poëta noster
 in omnib. excelluerit. Quid? quòd plerique o-
 mnes Rethores, qui artis præcepta post Cice-
 ronē scripserunt, sine poëtē huius testimonijs,
 & versib. regulas suas explicare, aut noluerūt,
 aut certè non potuerunt? Sed esto, quod illi di-
 cūt: & statuamus Oratorium artificiū, & Retho-
 rum ista pigmenta, plenius atque perfectius
 ex Cicerone, quām Virgilio cognosci & intel-
 ligi: hoc tamen omnes mihi Rethores conce-
 dant necesse est, motum animorum & affe&tu-
 um, in quo maxima Oratoris virtus, cernitur,
 ex poëtis vel solis cognoscendum. quod Ma-
 crobij testimonio confirmare in proclivi esset
 (cum in hac doctrinæ parte laudum Virgilij
 diligentissimus ipse scrutator sit) nisi vndique
 exempla suppeterent. Quām enim Tragico or-
 rationis filo horribilem Priami exitum Virgi-
 lius persequitur? Quām gravibus verbis huma-
 næ fragilitatis, & inconstantis fortunæ in eo
 proponit? Fuit enim Priamus Asiae minoris

rex potentissimus, pater quinquaginta libe-
rorum: quibus omnibus in bello amissis, tan-
dem capta patria, in conspectu coniugis, in a-
ra, ad quam confugerat, interficitur: & in filij
sui sanguine volutatur. Hoc tristespectaculū,
quo cūm omnes homines, tum præsertim ij,
quorum fortuna splendet, meritò affici de-
bent, Poëta in secundo Operis lib. sic exponit:

Hæc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati:
Implicitusq; comam leva, dextraq; coruscum
Extulit, & lateri capulo tenus abdidit ensem.
Hæc finis Priamifatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam & prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisq; superbum
Regnatorem Asie: iacet ingens littore truncus,
Avulsumq; humerus caput, & sine nomine corpus.

Quām verò pathética, & plena commi-
serationum sunt, quæ lib. 4. de interitu Dido-
nis, propter vim amoris, cui succumbit, necē
sibijpsi conscientis, proferūtur? Quām hor-
ribilia quæ de morte Mezentij, Turni & simi-
lium scribuntur? Quām conciliata & flebilia,
quæ de Aenea mortē Creusę coniugis, & An-
chisę patris deplorante venustissimè perhibē-
tur? Quām grave & luctuosum illud Epiphō-
nema, quod initio primi libri de difficultate
condendæ urbis, & Romani Imperij constitu-
endi præmittit, cūm ait: Tantæ molis erat Ro-
manam condere gentē? Nam si verū est, quod

nonnulli asserunt: isto versu, cùm suam Aeneidem Augusto recitaret Poëta: fortissimo, & summo Imperatori lacrymas excus sit. Sed fortasse nec ille locus silentio prætereundus est, qui apud hunc poëtam lib. 6. sub finem extat, de morte immatura Marcelli, ex Octavia, sorore Augusti, & Cn. Marcello nati, cui Augustus filiam nuptui dederat, tantum pueritiam egresso, ut refert Suetonius. Cùm enim librum istum recitaret Poëta: & Augustus, sororq; eius Octavia cupidissimè auscultarent: tandemque ad locum illum de Marcelli exitu per ventum esset: ibi constat, omnia lacrymis & eiulatu permixta fuisse, Poëtamque coactum esse, ut lectionem abrumperet: nisi finem adesse dixisset. Ipsa quoque Octavia fertur, eo versu audito:

*Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenū:
evestigiò defecisse, ac propè examinata, ægrè
ad se revertisse. Inde pro singulis istis versibus,
quorum sunt octodecim, Poëtæ dena sestertia
numerata: quæ summa, opinor, quatuor mil-
le & quingentos aureos excedit. Quòd si ho-
die viveret in his terris Virgilius: & totidem
nummos plumbeos pro tota Aeneide præmij
loco auferret, sanè esset, quòd magnas ageret
gratias. Nam paucissimos hodie boni Poëtæ
Mæcenates habent. At Sylla tamen, cùm ipsi
malus Poëta libellū de populo subiecisset; & in
eum epigrāma fecisset, tantummodò versibus*

lon-

longiusculis, statim ex his rebus, quas tum vē-
 debat, præmium ei reddi iussit: sed ea lege, ne
 quid posteā scriberet. Existimabat enim mali
 etiam Poëtæ operam aliquo dignam præmio.
 Intelligo, Auditores, quantus se mihi ad dicen-
 dum campus aperiat, si omnia breviter attin-
 gere velim, quæ Virgiliano poëmati laudē con-
 ciliare possunt. Sed plura cur addā, non video.
Quis enim eum Poëtā non admiretur, qui Ro-
manū Imperij incunabula à tenebris in lucem
 revocavit? quis hunc scriptorē non amet, qui
 optimarum rerum copiā ac varietate proposi-
 tā, non modò ad ingenij culturam, sed etiam
 ad vitæ morumq; integritatem plurimum fa-
 cit? Quis in hoc Autore non omne studium, o-
mnenque laborem & operam insumat, ex quo
 præter Latinæ lingue puritatem & copiam, et-
 iam Orationis maiestas, & affectuū in animis
 hominum ciendorum exquisitissima ratio di-
 sci ac percipi potest?

X

quis denique eum va-
 tem nō nocturnā diurnaque verset manu: cuiq;
 versibus, tanquam proverbij, non modò sum-
 mi Imperatores, Augustus, Alexander, Seve-
 rus & alij usi fuisse perhibentur, sed summi et-
 iam ingenij Oratores ac Philosophi eosdem,
 tanquā oracula & testimonia, quibus sentētias
 suas muniūt ac fulciūt, in scriptis suis adhibue-
 rūt, ut fecere Seneca, Plinius, Fabius, Gellius,
 Macrobius, Lactantius, Pótanus, Rhodiginus,
 Scaliger: ipse D. Augustin. Hieron. & Eusebius,

X

X

qui & quartam Eclogam Gr̄eco carmine trans-
stulit: ac nostra ètate complures doctissimi, &
in omniscientiarum genere præstantissimi vi-
ri: quemadmodum suis à me locis, & tempo-
ribus luculenter commonstrabitur. Quòd si
quem ista, quæ retuli, nondum commovent,
ut Virgilium amet, & admiretur, ille Proper-
tium audiat, poëtam facundissimum, quid is
de Virgiliana Aeneide sentiat: & quanti eam
faciat. Cuius iudicium cùm non sit cæcum, aut
cæci de colore: sed eruditissimi poëtæ de sum-
mo poëta, meritò certè à nobis magnifici debet.
Sic enim circa finem lib. 2. Elegiarum de
Virgilio canit:

*Actia Virgilium custodis littora Phœbi,
Cæsaris & fortes dicere posse rates.
Qui nunc Aeneæ Troiani suscitat arma:
Iactaq; Lavinis mœnia littoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graj,
Nescio quid maius nascitur Iliade.
Et paulò pòst:
Tu canis Ascrei, veteris præcepta Poëtæ,
Quo seges in campo, quo viret uva iugo:
Tale facis carmen docta testudine, quale
Cynthius impositis temperet articulis.*

Quid de ipso dicam Augusto, cuius iam
antè memini? qui quanti Virgiliana opera ex-
istimaverit, suis ipse versibus posteriorum me-
moriæ mandasse fertur. Sic enim inter cætera
de Virgilio scriptum reliquit:

Vivat Maro clarus in orbe,
 Ingratusq; sibi : sed quod male iusserrat ipse,
 Sit vetuisse meum. Sacer est post tempora vita,
 Sicq; erit aeternum, tota resonante camæna
 Carmen, & imperij divi sub nomine vivat,
 Laudetur, placeat, rigeat, relegatur, ametur.

Huic Augusti Cæsar is, tam gravi de nostro
 poëta iudicio, & Lyricorum princeps, & poë-
 taterissimus, Horatius subscribit, in quadam
 Epistola ad Augustum sic scribens:

At neq; dedecorant tua de se iudicia , atq;
 Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt,
 Dilecti tibi Virgilius, Variusq; poëta.

At neque Ovidij mihi deest calculus, qui
 Virgilij, cum passim honorificè, tum in primis
 his versibus, qui in fine lib. i. Amorum extant,
 præclarè meminit:

Tytirus, & segetes, Aeneiaq; arma legentur,
 Roma triumphali dum caput orbis erit.

Idem alibi Virgilium, felicem Aeneidos
 conditorem vocat. Sed & Statius Papinius, in-
 signis Poëta, quanto in honore Aeneida collo-
 cet, in fine Thebaidos suæ his verbis declarat:
 quibus librum suum in lucem abiturum sic
 compellat:

Vive precor, nec tu divinam Aeneida tenta:
 Sed longè sequere, & vestigia semper adora.

Quid multis? Virgilij nostri tanta fuit o-
mnibus temporibus autoritas, tantaq; existi-
matio: ut ipsi vivo populus Romanus in thea-

tro assurrexerit: & mortuo, dein optimi quiq;
Philosophi, Oratores, & Poëtæ palmā tribue-
rint: ut Lucanus, sublimis certè autor, multum
sibi ad Culicem Virgiliū adhuc restare dixerit:
ut Silius Italicus, ad quem Virgiliū hæreditas,
non ingenij tantū, sed etiam prædij Mantua-
ni pervenerat, natalē eius quotannis celebra-
verit: & Actius Samazarius nostrā ætate idem
hoc, Silij more fecerit.

Ostendi haec tenus, Auditores humanissimi, ea qua potui brevitate, Virgilianum poëma, non modò rerum antiquitate & mirifica varietate, sententiarumq; gravitate, iucundū esse: sed etiam ad mores in omni vitæ genere, tum verò in primis ad linguæ Latinæ cultum & elegantiam apprimè esse utile. Nunc paucis demonstrabo, quomodo istarum rerum omnium ex Virgilio possimus fieri participes: ut is non sibi & Romanis suis, sed nobis omnibus Aeneida suam conscripsisse videatur. Cùm autem hoc sine fidelis interpretis opera adolescentes consequi non possint: ego, cui enarrandi hoc munus commissum est, in hanc to-
to animo, & mente insistam: ut non tantum
 in verbis (per Id est, & Scilicet) inhæream:
 sed ut tota expositio, ex præceptis artis Dialec-
 tice & Rhetorice à me fiat, tum & loci rerum
 & personarum ex suis disciplinis singuli pro-
 bè, & ea brevitate, qua par est, explicentur.
 Erunt itaq; duo mihi in hoc instituto propo-
siti

siti scopi; alter Rerum, alter verborū; ad quos
 omnem nostræ interpretationis cursum, tan-
 quam ad Cynosuram, & Helicen, accommo-
 dabimus. Quæ enim Pericles apud Thucydi-
 dem vitæ humanæ ornamenta nominat: *yv̄s v̄c̄e*
τὰ δέοντα, οὐδὲ ἐργάζεσθαι τὰ τρα, scire necessaria, &
 ea verbis exponere, hæc cùm in omnibus reb.
 cognitu necessarijs, tum præsertim in bono-
 rum autorum enarratione observanda sunt: ut
 primò res ipsas intueamur ac perpendamus,
 deinde res animo comprehensas idoneo, con-
 venientiō: orationis genere exponamus: ver-
 baque prævisam rem non invita sequentur.
 Nos tamen, ut omnia fiant faciliora, ac planio-
 ra, præsertim in hac Auditorum varietate, pri-
 mūm verba considerabimus, & eorum collo-
 cationem & artificium, deinde sententiā ver-
 borum cognitā, de rebus ipsis agemus, tametsi
 industrij interpretes eam sibi libertatem reti-
 nere solent, ut pro materiæ subiectæ alia atque
 alia cōditione interdū verba rebus, interdum
 res verbis inter enarrandū præmittant. Quan-
 tum igitur ad verba attinet, duplex eorū in u-
 naquaq; re nobis erit interpretatio: una Grā-
 matica, in qua verborū & orationis proprietas
 indicabitur: Poëtica ab usitatis discernentur,
 elegantiores Metaphoræ, Epitheta, Periphra-
 ses, & similes loci annotabuntur, quæ omnia
 ex Nonio, Festo, Rufo, Varrone, Servio, Do-
 nato, Porphyrio, Prisciāo, Diomedē, Linacro,

Valla, Erasmo, Melanthone, & alijs Latinæ lingue autoribus, præsertim Cicerone, Deo volente, illustrabimus. Tum ut studijs commodam styli exercendi formulā habeant, ex poëtica Oratione solutam & prosam diligenter effingā, ac narrationes quidem ex Livio, Cesare, & Salustio. Dialogismos verò ex Cicerone & his ipsis, qua possum elegantia, περαφρεστῶς interpretabor. Altera dein explicatio, cū hac coniuncta, erit Rhetorica & Dialectica. Nam ex præceptionib. de Inventione, nō modò circumstantias personarum, locorum, temporū, consiliorum, factorum, consecutorum, & eventuum in narrationibus observabimus: sed etiam argumenta Confirmationis & Refutationis, ex locis Rheticis, & cuiq; rei proprijs, in Dialogismis ostendemus, & per Analysis retexemus: tum Circumstantiarum, & Argumentorum amplificationes ex locis Dialecticis seu Communibus diligentissimè indicabimus: ut inde & rerum & verborum copia agnosci possit. Postremò figuras, & schemata Oratoria, quibus ista omnia exornantur & illustrantur, ut sunt Interrogationes, Subiectiones, Repetitiones, Exclamations & similes, fideliter cōmonstrabimus: ut hoc modo totum Oratorium artificium, Virgilianis exemplis illustretur. Ad hanc doctrinæ partē adiungemus præcepta Rhetorica & Dialectica Aristotelis, Ciceronis, Hermogenis, Aphthonij,

nij, Quintiliani, Capellæ, Vivis, Erasmi, Rodolfi, Melanthonis, & aliquot recentium. Hanc verborum cōsiderationem alter nostræ expositionis scopus excipiet: qui erit tractatio, & cognitio rerum, quæ quàm graves, & vtiles ac necessariæ scitu, in hoc autore sint, suprà copiosè admonuimus. Primùm igitur historica intuebimur: eaq; à fabulosis, & poeticis fragmentis discernemus: ut quid in unaquaque re veri & falsi insit, à vobis intelligatur. Et antiquiora quidem gesta, quæ sunt Gentis Trojanæ, ex Darete Phrygio, Dicty Cretensi, Archilocho, Diodoro Siculo, itemque poetis Græcis Homero, Calabro, Calutho, Tryphiodoro, Euripide, Sophocle, Aeschylo, Lycophrone: & Latinis, Seneca Tragico, Ovidio & reliquis explicabimus. Quæ verò gétis Græcę propria facta: ad ea, præter iam dictos, etiam Herodotum, Thucydidem, Pausaniam, Suidam, & similes adhibebimus. Ad monumenta vetustissimarum rerū Italiæ, de Ianigenis, Latinis, Aboriginibus, Rutulis, Albanis, & Romanorum regibus, multum lucis afferēt Catonis fragmen-ta, Marfilus, Fabius Pictor, Manetho, Solinus, Sextus Rufus, Messala: in primis autem Berossus, Dionysius Halicarnasseus, Strabo, Livius, Plutarchus, cùm paßim, tum præsertim in Romulo & Numa: Ovidius item, Horatius, Silius & reliqui. Ad Tyriorum & Phœnicum, qui in Africa Carthaginem condiderunt, historiam

& gesta, faciet Iustinus, Diodorus, Eusebius, Berosus & alij. Ibi diligens instituenda, quantum res postulabit, temporum, & rerum in ecclesia Dei gestarum, cum profanis historijs collatio. Recentiora verò, quæ sunt de rebus Consulum contra Carthaginenses, & exteras gentes fortiter gestis, exponemus, ex Livio, Polybio, Floro, Salustio, Appiano, Dione, Plutarcho, Zonara, Silio poëta & alijs. Res denique, Iulij & Augusti, quarum in Virgilio fit mētio, ex ijsdem modō commemoratis, sed maximè ex historia Cæsaris, Patrculi, Suetonij, Dionis, Eutropij, Orosij, Sabellici, & Lucani, ac similiūm libris. Cæterūm fabulosa, præsertim quæ de Dijs gētium sunt illustriora reddemus ex Orpheo, Homero, Pindaro, Hesiodo, Ovidio, Claudio, Statio, Valerio Flacco, & reliquis suprà recensitis. quibus adiungemus Lucianum, Aristophanem, Ciceronem de Natura deorū: Apuleium. Fenestellā: præterea Mythologos Palæphatum, Euſtathium, Lačtantium, Augustinum de Civitate, Boccatium, Gyraldum & similes. In hac parte ita versabimur, ut τὴ πολυθεῖα, multitudini Deorum, sanctos regni pontificij: Vestæ, seu igni æterno, lampades templorū papisticorum: ipfis Vestalibus, moniales: Campo Elysio, purgatorium: Exequijs funerabilibus, Missam pro animabus vivorum & mortuorum, & similibus nugis ethnicorū, similes in papatu nugas successisse demonstremus,

monstremus, ut suprà etiam monuimus. Physisca porrò, & ea, quæ ad naturā rerū, ut anima-
 lium, arborum, herbarum, ventorū & tempe-
 statum, ac similiū pertinent, ex Aristotele, Pli-
 nio, Aeliano, Seneca, Nicandro, Oppiano, Lu-
 cretio, Gratio, Nemesiano: Columella item,
 Catone, Varrone, Palladio, Constantino, Dio-
 scoride, Xenophótis item Cynegetico, & de re
 Equestrī libris enarrabimus. Medica etiam ex
 Hippocrate & Galeno obiter attingemus, &
 ea brevitate hæc omnia, qua par est: ne plura
 fint πάρεργα τῶν ἐργῶν. Quæ verò ad doctrinā mo-
 rum, & vitā cuiusq; in omni cōditione & statu
 bene beateq; degendam pertinent: ea nō mo-
 dò S. Scripturæ dictis, & morū præceptis, quæ
 sunt apud Aristotelem, Theognidem, Phocyl-
 idem, Pindarum, Epicetetum, Arrianū, Plutar-
 chum & alios: itemq; Oratorū Demosthenis,
 Isocratis, Aristidē, Lycurgi, Ciceronis, Senecē:
 deniq; omnium Gr̄corum & Latinorū poëta-
 rum sentētijs: sed & proverbij, Apopthegma-
 tis, Apologis, & exēplis accōmodis ex univer-
 sa historia, Sacra, Romana, Gr̄ca, aliarūq; gē-
 tium, pr̄sertim Germanicæ, petitis ac leviter
 attactis. Militaria autem etsi ex Aeliano, Vege-
 tio, & Frontini stratagematis utiliter illustrari
 possunt: tamen, quia militia nostra togata, &
 pacis ac literarum socia est: & ferè nulla salus
 bello, ideò studiosæ iuvētuti nos ea potissimū
 ex Virgilio proponemus: quæ ad vitæ Civilis
 consuetudinem, & linguæ elegantiam perti-

nere videbuntur. Postremò Geographica & Astronomica suis locis ita prosequemur: ut nō modò Italiam, Græciam, Africam & Asiā, sine viatico, tūti ab omnium latronum insidijs mecum peragraturi, & veterum urbium ruinas visuri: sed ipsum quoque stellatum cœlum, & hoc totum mundi theatrum, magna cum animalium voluptate inspecturi sitis. Et Cosmographica quidem ex Plinio, Strabone, Solino, Mela, Ptolomæo, Pausania, Stephano, P. Victore, Sempronio, Lēto, Volaterrano, Blondo, Vadiano, Dionysio poeta: Astronomica verò ex Arato, Manilio, Ovidio, Lucano, Theone, Proclo, & recentioribus nō nullis perspicua & clara faciemus; ubique verò Gellium, Macrobiūm, Pontanum, Rhodiginum, Scaligerum, Ale xandrum ab Alexandro, Decembrium, & nō nullos alios cōmentarij vice adhibebimus. Et quoniam non satis est, bonas res intelligere, & verba idonea ex poetis annotare, ut tantum sciantur (neque enim studij huius finis est sola cognitio) sed etiam à studiosis requiratur, ut bonas res animo comprehensas, verbis conceptas, in usum transferant: & sedula æmulatione aliorum similes esse nitantur: ideo in nostris prælectionibus postremo loco iuniores etiam de imitatione admonebimus. Ea verò in nostro poeta triplex est: una, qua alios ipse imitatus est, & bonos autores imitandi nobis exemplū reliquit; altera, qua ipsum alij, ex vetustiori-

tustioribus poetis, scribendo imitati sunt: ter-
tia, qua omnes eruditi ac diligētes eum imita-
ri possunt. Quantum ad primū imitationis ge-
nus attinet, duplicem eam cōstituo, Rerum &
verborum: partim ex Græcis, ut ex Theocrito
in Bucolicis, Hesiodo in Georgicis: Homero
in Aeneide partim ex Latinis, Ennio, Lucretio
& alijs. Ipsum Virgilium scribendo æmulati
sunt Ovidius, Lucanus, Seneca, Silius, Statius,
Valerius Flaccus, Claudianus, Ausonius, Gra-
tius, & complures alij, ut suis locis indicabi-
mus. Nos verò è Sacra scriptura exempla fa-
ctorum & precationum similiumq; rerum ita
proponemus, utea ex Virgilio feliciter cōver-
tere, & audita in usum transferre possint. Ut
enim Israelitę profanū aurum, quo Aegyptios
spolia verant, in sacrum usum conveterunt: &
vasa ex illo ad templum Domini præpararunt:
ita nos profanis Virgilij uersibus res divinas
& sacras persequemur: & quod D. Hierony-
mus scribit, Christiani Virgilij esse conabi-
mur. Sic enim alibi scriptum is reliquit: Qua-
si non legerimus Homerocentonas, & Virgi-
liocentonas, ac non sic etiam Maronem sine
Christo possimus dicere Christianū, quia scri-
pserit:

*Iam redit & Virgo, redeunt Saturniaregnā,
Iam nova progenies cœlo demittit tur alto.*

*Et patrem loquentem ad filium:
Nate mea vires, mea magna potentia solus, &c.*

Ab hoc versuum faciendorum præclaro
 exercitio, nemo vestrū calumnijs ineptorum
 hominum absterreri se patiatur. Si enim Au-
 gustus, Domitianus, & Adrianus summi Impe-
 ratores in hac arte ingenium excolere volue-
 runt: neque te pudeat, qui nondum ad impe-
 rij Romani fastigium ascendisti, poetice ex-
 ercere Nam styli hæc ratio, quæ in versibus fa-
 ciendis impeditur, quantum emolumenti &
 commodi habeat, non tam iij intelligunt, qui
 in iuventute sua eam secuti sunt: quām iij, qui
 propter inopiam præceptorum, vel alia impe-
 dimenta, in poetica sese exercere non potue-
 runt. Ego verò, ut nulla in re vestris desim stu-
 dijs ac cōmodis, summis deinceps annitar
 viribus, ut & maximas optimasque res, & ele-
 gantissima verba, vobis ex Virgilio, tanquam
humanæ sapientiæ Oceano proponam & ani-
 mos, ingeniaque vestra, diligentissimè exer-
 ceam, quantū quidem à me (cuius ætatem pro-
 pè iuvenilem minusque exercitatam, & cōdi-
 tionem in hac schola perquām humili cōstitu-
 tam loco videtis) Deo annuente, fieri poterit.
 Intelligitis enim ex his à me commemoratis,
 quātum studij & laboris ab eo requiratur, qui
 Virgilianam Aeneida pro captu singulorum,
 in hac Auditorum varietate & ingeniorum di-
 versitate cū fructu discētum enarrare cupiat.
 Nā quod Pindarus de ingenti multitudine gu-
 bernanda, & in pace cōservanda pronūciavit,
 ubi

ubi multudo est, & multa confluunt negotia,
 ibi omnia recte dijudicare, & feliciter discer-
 nere, grave ac difficile est, Deique auxilium po-
 stulat, id ego in hac etiā multitudine, & audi-
 torum frequentia usurpare posse mihi videor,
 in qua tot sententiæ, quot capita. Quo nomi-
 ne facundissimus poëta eum qui sapit innume-
 ris moribus, aptum esse dixit: & sapientem vo-
 cavit Pindarus, qui multarū rerū peritiā vale-
 at, stultos verò corvis similes fecit, qui ineptâ
 loquacitate garriat. Sed & politissimus Ange-
 lus Politianus, quām multa à poëtarū interpre-
 te requirantur, in Miscellaneis suis ita testatur:
 Qui (inquit) poëtarum interpretationem su-
 scipit, eum non solum, quod dicitur, ad Aristote-
 phanis lucernam, sed etiam Cleanthis oportet
lucubrasse. Nec prospiciendæ autem philoso-
 phorum modò familiæ, sed & Iureconsultorū
 & Medicorum item, & Dialecticorum, & quæ-
 cunque doctrinæ illum orbem faciunt, quæ vo-
 camus encyclia, sed & Philologorum omniū.
 Quæ quidem multiplex scientia, in Virgilij o-
 pere enarrādo, atque intelligēdo, quā necessa-
 ria sit, Poëta ipse in Epistola quadam ad Augu-
 stum (teste Macrobio) haud obscurè in hunc
 modū innuit: de Aenea quidē meo, si me Her-
 cule, iā dignū auribus haberē tuis, libenter mit-
 terem. Sed tanta inchoata res est, ut penè vi-
 tio mentis, tantum opus ingressus mihi vi-
 dear: cùm præsertim, ut scis, alia quoque stu-
scimus fe
fig. spiss.
 dia ad

dia ad id opus, multoque potiora impertiar. Nec his Virgilij uerbis, ut ait Macrobius, copia rerum dissonat, quam plerique penè omnes litteratores pedibus illotis prætereunt, tanquam nihil ultra uerborū explanationem liceat nosse Grammatico. Ita sibi belli isti homines certos sententiae fines, & uelut quædam pomeria, & effata posuerunt, ultra quæ si quis egredi audiat, introspexisse in ædem Deæ, à qua mares absterrentur, existimandus sit. Hæc ille, & plura. O igitur cœcos iudices, qui rē tam facilem explicatu esse arbitrantur Virgilianam Aeneida, loco publico, in ista auditorū varietate, pro captu & utilitate cūiusq; enarrando propone-re. O iniquos rerū æstimatores: qui continuo eum poetam esse prædicant, qui templi valvis, carmen exalijs commendicatum, quasi pituitam allidere potest. O ingratum seculum, erga hoc præclarissimū Dei donū: quod nostri homines tam præpostorē contemnunt: ut nihil in precio habēdum putent, nisi quod magnifica stipendia, opipara salario, & nescio quas phaleras suis cultoribus reportat. Verūm nos aliorum splendore, ac nostra abiectione nihil deterriti, & Spartam, quā nacti sumus, tantisper exornabimus, quo ad licuerit, & vestris studijs labore ac diligentia nostra prodeſſe laborabimus, ut neq; vos temporis ac sumtuum, quos hīc facitis, neq; me operæ & olei pœniteat. Iesus opt. maximus clementia ac propitio suo nomine

mine mihi docenti, & vobis discentibus fa-
veat: ut studia nostra ad nominis sui sempiter-
num dextis. Ecclesiæ & Reipubl. emolumen-
tum, & laudem vestram, animorumque salu-
tem quam prosperrimè cedant. AMEN.

IN P. VIRGILII MA- RONIS AENEIDA NICO- DEM I FRISCHLINI

PROLEGOMENA.

De inscriptione Operis. Cap. I.



VONIAM VITA AVTORIS à
Petro Crinito de Poëtis Latinis lib.
3. luculenter & copiosè, & à non-
nullis Virgilij interpretibus, Servio,
Donato, Ascensio, & Ramo abundè exposita
est: nos, ne actum agere videamur, eius loco
titulum seu inscriptionem operis examinabi-
mus, quę talis est. P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS LIBER PRIMVS. Initio quan-
tum ad nomen Poëtę attinet, sciendum est, a-
liter Gr̄ecos, ac Romanos usos esse nominib.
Gr̄eci enim uno utebantur nomine, cui discri-
minis causa adiiciebant nomen patris, aut pa-
trię, ut, Αριστοτέλης ὁ Νικομάχος, ἦ ταχείτης: σοφοπλῆς
ὁ σοφίας: περιπλῆς ἡ Ξανθίππη, αληβιάδης ὡντενίς. Sic
ἀπολλάνις ὁ πόδις, οἰρόδας ὁ αἱλιπαργασεύς, παλλί-

μαχούντες. Latini verò & Romani tribus uti solebant nominibus, prænomine, nomine, & cognomine. Eius consuetudinis primam originem, præter Eutropium & Linacrum, recitat etiā Alexand. ab Alex. lib. 5. Gen. Dier. cap. 4 Cognomen verò plerunq; aut à maioribus partum, aut ab eventu aliquo tractum, aut ab agricultura & studio rei rustice (ut Plinius docet lib. 18. cap. 3.) adsciscetur. Sæpè etiam à corporis habitu aut vitio imponebatur, ut testis est Plutarchus in Mario : *τόπο οὐδέ (inquiens)* προσηγοριών ἐνέπιθετο πρὸς τὰς φύσεις, οὐ τὰς πράξεις, οὐ τὰς σώματος ἐδην οὐδὲ πάθη τίθεσθαι. τὸν μανένων, οὐδὲ τὸν τερπυσάτον, οὐδὲ τὸν σύλλαν, οἷον ἐστιν ὁ μνήμων, οὐδὲ γρῦπος. οὐδὲ λακκίνος : Id est, Cognomentum ex apposito Romani mutuati sunt à natura, vel factis, vel à corporis figuris & vitijs, ceu Macrinum, Torquatum, Syllam : qualia sunt & hæc, Mnemon, Grypus, vel Callinicus, &c. Sic aliquid dicti sunt Capitones, aliqui Frontones, aliqui Nasones. *P V B L I V S* igitur prænomen est Virgilij, quod cum Ovidio, Terentio, & alijs commune habet. Eo significatur Poëta nobilitas, & generis splendor. Neque enim prænomibus uti licebat, nisi solis patricijs & civib. Romanis, aut civitate Romanâ & libertate donatis, sicut hoc Iuvenal. Sat. 5. testatur, cùm ait : *Et ponere forū, si quid tentaveris unquam*. *Hincere, tanquam habeas tria nomina.*

Quem locum Angelus Politianus Miscell.
cap.

cap. 31. de servis manumissis interpretatur, sed
quām dextrè, suo ostendemus loco. Horatius
item lib. 2. Serm. Sat. 5. huc facit. Sic enim de
prænominibns canit :

*Quinte puta aut Publi (gadent prænomine molles
auricule) tibi me virtus tua fecit amicum.*

Et Persius Sat. 5.

*Libertate opus est, non hac ut quisq; velina
Publius emeruit scabrosum tesserculafar. &c.*

Cæterūm Publios alij dicti volunt, quasi
populeos, quòd populo grati essent, quasi po-
publiceos. Et Varro libro 4. de lingua Latina,
quasi publicos appellatos esse affirmat. Alij ex
pube: alij ab eo, quòd priùs pupilli facti essent,
quām prænomina à patre accepissent.

VIRGILIVS Poëtæ nomen est, de quo in-
ter doctos viros dubium, utro modo in prima
syllaba scribendum Virgilius ne, an Vergilius.
Angelus Politianus vir eloquētissimus ca. 77.
Miscell. ex veterum monumentis & manu scri-
ptis exemplis, Vergilius dicendum esse affir-
mat: idque nomen à Vergilijs, nobili illo cœli
sydere deducit. Sic enim locum cum cōcludit.
Nā sicuti à vere dictæ Vergiliæ stellæ, sic à Ver-
gilijs, vel item à vere proprium hoc nomen cre-
diderim inclinatū, potius herclè, quām à vir-
ga, quod quidam nugantur, laurea. Hæc ille,
cui etiā Suidæ scriptura adstipulatur, qui ὁρ-
για, & scribit. At verò Cælius Rhodiginus in
contraria est sententia, lib. 7. Lect. Antiq. ca 4.

ubi inquit: Virgilij meminit Eustathius in na-
 vium Catalogo apud Homerū, sed Virgilium
 inibi scriptum reperi. Ethnicographus Virgi-
 liū maluit, sicut & in Grēcis plerunq: epigram
 matis. Nam & Collectaneorū secundo , apud
 Grēcos item in rusticis præceptis, sic comperi
 annotatū, *βιγγίης*, inquit, quisquis autor fuit,
 semina nitro conspersa laudat, & aqua insuper.
 In fragmentis Cæciliij Minutiani Apuleij vete-
 ris Grammatici annotatum comperi, Virgiliū
 à Virgis, inter quas sit natus, cognominatum
 esse, propterea primam habere i, non e : Cui
 suffragatur illud Calvi: & Vates, cui Virga de-
 dit memorabile nomen Laurea. Hæc ille. Non
 dissimilia ab his scribit Priscianus, apud quem
 Virgilius ubiq; legitur , non autem Vergilius,
 Etsi autem frivolum videtur à Virga nomen
 Virgilij deducere , cùm patrium hoc ei fuerit
 teste Servio: & ex Cicerone constet multò an-
 tè Virgilios Romæ fuisse , tamen ut ego Virgi-
 lius potius, quàm Vergilius dicendum esse ex-
 istimem, præter Cælium , cuius autoritas non
 minor est, quàm Politiani, etiam Ausonius me
 movet , qui Virgilium à pudicitia morum, à
 Grēcis Partheniam (haud dubiè allusione ad
 nomen facta) quasi Virgineum appellatum es-
 se affirmat. Sic enim alibi scriptum reliquit:
 Quid etiam Parthenian dictū causa pudoris:
 qui octavo Aeneidos, cùm describeret consue-
 tudinem Veneris atque Vulcani, *γλιχοσεμνίας*
 decen-

decenter admisit? Idem refert & Servius: unde nonnulli asserunt in manuscriptis libris hunc titulum reperiri: P. Partheniatis Virgili Maronis liber, &c. Huc pertinere videtur & Græcum Pollianum Epigramma in lib. 2. Collectan: quo Parthenium & Callimachum notat, tanquam Homeri compilatores & fures. Nam, ut infrà patebit, Virgilius Homeri diligentissimus imitator fuit. Est autem tale Epigramma:

τὸς νυκτὸς τέτος, τὸς αὐτῷ ἐπειτα λέγοντας
 μισῶ, λωποδίντας ἀλλοτρίων ἐπέωρη.
 οὐδὲ διὰ τότε ἐλέγοις προσέχω ταλέον· διὸ δὲ ἐχω γάρ
 πορθενίς οὐλέπτειν οὐτάλι οὐαλλιμάχος
 θηρί μὲν βατόεντι γενοίμιν εἴποτε γράψω,
 εἶπελθὲν ἐν τοταμῶν ψλωρὰ χελιδόνια.
 οἱ δὲ ἔτος τὸν ὄμηρον αὐναδιωσ λωποδίντοι,
 ὥστε γράψειν οὐδην, μηδὲν δεῖσθε θεά.

Hoc est:

Odi illos teretes, qui dicunt αὐτῷ ἐπειτα,
 Carmina γέ expilant furto aliena suo.
 Me magis oblectant elegi. Quod furer in illis,
 Partheniae nihil est, sed neq; Callimachi.
 Sim certè aurit a pecudi similis, si tale quid unquam
 Scripsero, de fluvijs molle Chelidonium.
 Isti autem Priscum sic deprendantur Homerum
 Turpiter, ut scribunt, iram age pande Dea.

Atque hoc Epigramma in Virgilium non
 minus quam ipsum Callimachum Poëtā præ-
 stantissimum à Poliano quadam invidia &

malitia factum esse, ex eo liquet, quod Virgilius compilator Homeri ab emulis est dictus. Aliud Epigramma Christodori poëtæ Thebani in ijsdem Collect. 5. lib. habetur, ubi *βιργίλιος* duplicit ill. legitur, hunc in modum.

νησὶ φίλοι αὐτονόμοι, λιγύθροι ἐπειπε πύνοι,

πνεῖσθαι εὐεπίνης βιργίλιοι, ὅμη ποτε ρώμης

θυμβεταῖς ἄλλοι δικηροι αὐτέ τρεφε πάτειοι οὐχά!

Hoc est:

*Suavis erat cygnus, Latys gratissimus oris
Virgilius, cultus oris, quem maxima Roma.
Voce olim patria Tyberinum sovit Homerum.*

Stephanus de Vrbibus in dictione Mantua. *ἔξαυτης λίνη βιργίλιοι ὁ ποιητής. μαντήτης χρηματίζων.* Ex hac civitate fuit oriundus Virgilius poëta, cognomento Mantuanus.

Hæc de nomine MARO VERÒ, cognomen Poëtæ fuit, quod à mare deductum videtur, sicut & Marij nomē, quasi Marones mares, hoc est, viri fortes & masculâ virtute prædicti fuerint. Nam, ut Poëta cecinit, conveniunt rebus nomina sacerè suis. Et Plato in Cratyllo aliquoties affirmat: *τὸν ὄνοματα, τὰν αλλοι λείψεναι, ἐοιότα εἴναι εἰς εἴροις, ὃν ὄνοματα πεῖται: νησὶ εἴναι εἰνόντας τῷρη πρᾶγματῶν.* Eusebius etiam *ἐν τῷ τῷρη ἀγίων συλλόγῳ.* In concil. Sanctorum, ubi quartam Eclogā Græco versu translulit: Maronem nominat, eumq; *ἔρχωντας τῷρη πατέτητα ιταλίου ποιητῶν* vocat. Fuit & Maro rex Thraciæ, à quo vinum Maronæum, celebre apud Homerū, & magis, mensuræ gen⁹.

Cur

Cur verò operi suo nomen inscriperit Virgi-
lius, causam habes apud Ciceronē pro Archia:
Trahimur, inquit, omnes laudis studio, & optimus quisque maximè gloria ducitur. Ipsi illi
Philosophi etiam in illis libellis, quos de con-
temnenda gloria scribunt, nomē suum inscri-
būt. In eo ipso, in quo p̄dicationē nobilitatēq;
despiciūt, p̄dicari de se, ac nominari volunt.

AENEIDOS LIBER PRIMVS.

Poetæ operibus suis varia imponunt nomi-
na, eaque vel à locis trahunt, in quibus res
illæ, quas descripturi sunt, acciderunt, vel ab
ipsis personis, quæ fortiter ac præclarè eas ges-
serunt: vel denique à rebus, quas sibi tractan-
das suscipiunt. Ita Homerus operi de reb. A-
chillis & Gr̄corum ad Ilium gestis, ab Ilio no-
men Iliados fecit: Alterum verò Vlyssæam vo-
cavit, ab Vlysse: cuius errores & pericula in eo
celebraturus erat. Statius autē Papinius operi
suo, quod de Achillis reb. conscripsit, à perso-
na ipsa nomē indidit, & Achilleida appellavit.
Idem alteri suo operi, quod de bello Thebano
finxit, nomen Thebaidis indidit. Sic incertus
Poëta apud Aristotelē in lib. de Poët: opus in-
scripsit ἡρακληῖδα: quòd esset in eo dicturus de
rebus Herculis: & apud Juvenalē i. Satyr. Co-
drus quidā, itemq; Diphilus apud Pindarum
Scholia sten in Olymp. operib. suis titulū The-
seidos p̄fixerunt, q̄ in ijs Thesei gesta cele-

braturierant. Eodem modo Virgilius operi suo titulum Aeneidos fecit: quod in eo res ab Aenea terrâ mariq; gestas persecuturus sit. Est que nomen forma patronymica deductum ab inusitato Nominativo aeneus, t̄s aeneo: unde aeneidus: quo nomine appellatur Ascanius lib. II. Vel t̄s aenii, hinc aenides: & forma fœminina aenae. Alioquin masculina forma, ab Aenea uisitate descendit Aeneades: ut libro 3. Operis huius:

Aeneadasq; meo nomen de nomine fingo.

De Argumento huius Operis. Cap. II.

E A, quæ prolixo hoc opere tractantur, Ovid. 13. & 14. Metam. libris summatis perstrinxit, ac breviter comprehendit, quanquam separatim, alijs fabulis, quas Virgilius præterierat, passim admisisti. Et secundi quidem ac tertij Aeneidos argumentum lib. 13. complexus est, ut suis locis ostendemus. Quatuor verò libros reliquos priorum, lib. 14. his versibus inclusit:

(Scyliam) ubi Troianæ remis avidamq; Charybdin
Evicerates, cum iam propè littus adessent

Ausonium: Libycas vento referuntur ad oras.

Excipit Aenean illic animoq; domoq;

Non bene dissidium Phrygij latura mariti

Sidonis: inq; pyra, sacri sub imagine facta,

Incubuit ferro, deceptaq; decipit omnes.

Rursus arenosæ fugiens nova mœnia terre,

Ad sedes Eryois, fidumq; relatus Acesten,
 Sacrificat, tumulumq; sui genitoris honorat.
 Quasq; rates Iris Iunonia penè cremarat,
 Solvit, & Hippotadæ regnum, regnasq; calentes
 Sulphure fumantes, Acheloiadumq; relinquit
 Syrenum scopulos, orbataq; præside pinus
 In arimen prochytenq; legit, steriliq; locatas
 Colle pythocusas, habitantum nomine dictas. Et mox:
 Has ubi præteriit, & parthenopeia dextra
 Mœnia deseruit lava de parte canori
 Aeolide tumulum, & loca fœta palustribus undis:
 Littora Cumarum, vivaciq; antra Sibyllæ
 Intrat: & ut manes adeat per Averna paternos,
 Orat: at illa diu vultum tellure moratum
 Erexit, tandemq; Deo furibunda recepto.

(Paulo pōst)

Fulgentem ramum sylva Iunonis averne
 Monstravit, iusitq; suo divellere truncō.
 Paruit Aeneas: & formidabilis Orci
 Vedit opes, at avosq; suos, umbramq; senilem
 Magnanimi anchisæ: didicit quoq; iura locorum,
 Quæq; novis essent adeunda pericula bellis.

Eodem libro sex posteriorum Aeneidos li-
 brorum argumēta Ovid. exponit his versibus:
 Solvitur herboso religatus ab aggere funis:
 Et procul insidias, infamatæq; relinquunt
 Tecta Deæ, lucosq; petunt, ubi nubibus umbra
 In mare cum fulva perrumpit Tybris arena,
 Faunigenæq; dono potitur nataq; Latini.
 Non sine Marte tamen bellum cum gente feroci

Suscipitur, pactaq; furit pro coniuge Turnus,
 Concurrit Latio Tyrrhenia tota, diuq;
 Ardua sollicitis victoria queritur armis.
 Auget ut erg; suas externo robore vires:
 Et multi Rutulos, multi Troiana tuentur
 Castra: neq; Aeneas Evandri ad mœnia frustra,
 At Venulus frustra profugi Diomedis ad urbem
 Venerat: ille quidem sub lapyge maxima Dauno
 Mœnia condiderat, dot aliaq; arva tenebat.

Paulo pōst:

Hinc ubi legati redière, negata ferentes
 Arma Aetola sibi: Rutuli sine viribus illis
 Bella infœsta gerunt, multumq; ab utraq; cruxoris
 Parte datur. Fert ecce avidas in pinea Turnus
 Tecta faces, ignesq; timent, quibus unda pepercit.

Et mox:

Spes erat in Nymphas animat à classe marinas
 Posse metu monstri Rutulum desistere bello:
 Perstat, habetq; Deos pars utraq;, quodq; Deorum est
 Instar, habent animos: nec iam dotalia regna,
 Nec sceptrum saceri, nec te Lavinia virgo,
 Sed viciisse petunt, deponendiq; pudore
 Bella gerunt, tandemq; Venus victricia nati
 Arma vidit, Turnusq; cadit, cadit Ardea Turni, &c.

Hactenus Ovidius: cuius nos versus ideo potissimum recitavimus, ut iuniores non modo summā Aeneidos in ipsis, tanquā in tabula intueantur, sed etiam utriusque poëtæ diligentē collationem instituant, & bonæ imitationis exemplum inde capiant. Nos quoque duplex argu-

argumentū totius operis proposuimus; unum
brevi Elegia comprehensum, ut memorię con-
sulamus: alterū prolixius & filo historico con-
textum, ut hoc studiosi penè commētarij vice
in omnes Virgilianæ Aeneidos libros adhibe-
re possint. Et elegia quidem talis est.

Aeneas Libyæ vento compulsus in oras,

Excipitur teētis, hospes Elisa, tuis.

Ac Troiae excidium, Priameiaq; fata recenset,

Ereptosq; suo cum genitore Lares.

Tum quos in pelago passus terraq; labores

In Libycam tandem venerit exul humum.

Eius amore furens poscit connubia Dido:

Phryx abit, infelix femina morte cadit.

Ille ubi Trinacriam redit, pro more parenti

Iusta dat, & ludos convenienter agit.

Cum as inde abiens, Orcum comitante Sibyllâ

Visit, & oraculum consulit antē patris.

Post Laurentum adit, & pacem natamq; Latini

Impetrat: arma furens Turnus iniqua movet.

Huic Phryx Evandri, & turmis comitatus Hetruscis

Obyiat, ac scuti tegmina mira capit.

Obsidet interea Teucrorum mœnia Turnus;

Euryali in Nyssum mutuus extat amor.

Aeneae adventu fit atrox in littore pugna:

Tyrrhenum Aeneas, Arcada Turne necas.

Hunc sepelit genitor, Turni fera pectora Drances

Obiurgat, bello victa Camilla perit.

Concipitur fœdus, quo rupto prælia fiunt:

Vrbs capitur; Turnum traçcit hasta Phrygus.

EIVSDEM OPERIS COMPEN-
dium historico filo conscriptum.

Captâ à Græcis Troiâ, & universâ Priami familiâ propter adulterium Paridis deleta, Aeneas Anchisæ filius, qui unus adhuc de stirpe regia superstes erat, sive dolo & proditio[n]e patriæ, sive virtute, quam in Deos penates & patrem suū annis & senio confectum exercuerat, cum filio Ascanio & patre Anchise, quem humeris sublatum ex urb[us] incendio exportaverat, hominumq[ue] ter mille & quadrin[g]entorū numero profugit, & ijsdem navibus, quibus Alexander Paris in Græciam ierat, numero viginti duabus, profectus est, ut Dares Phrygius memoriae prodidit. Ac primò per Hellespontum vectus, circa Autumnale Aequinoctium in Thraciam venit: ubi comperta cæde Polydori, Priami F. à Polymnestore Thracum rege, cuius fidei commissus fuerat, crudeliter interficti, locum celeriter mutavit. Inde in Delum iter cōvertit, ut ibi Apollinis de suo exilio consulere oraculum. Quò cùm venisset, ac Dei responsum perperam intellexisset, Cretam petijt, & quòd stabilem ibi sedem habiturum se consideret, urbem in ea condere cœpit. Sed miserabili ortâ fame, viso per quietem admonitus, illinc rursum excessit, & soluto portu, in Strophadas pervenit. Is locus Harpyis execrabilis monstro, infestus erat. Harum ille ingluvie

ingluvie & minis deteritus, loco celeriter ex-
 cessit, & fœdis volucribus tergum dedit. Reli-
 etis in hunc modum Strophadibus, multas in-
 sulas Græciæ obiectas prætervectus, Leucaten
 domum appulit. Ibi cum Apollini Actiacovo-
 tum solvisset, rursum naves cōscendit, & secun-
 do cursu Butrotum defertur. Ea Epiri in ora
 maritima est civitas. In hac præter expectatio-
 nem Helenum & Andromachen, quondam He-
 toris uxorem, regno Pyrrhi potitos offendit.
 Multa ab his edoctus, & de futuris periculis
 præmonitus, cōscensis iterum navibus, in eam
 Italiæ partē transmisit, quæ olim magna Græ-
 cia appellata fuit. Hinc solvens, quod omnes
 Græcos à belli Troiani tempore suspectos ha-
 beret, in Cyclopum terram nō procul ab Aet-
 na Siciliæ adnavigat. Cognitâ illic ex Achæme-
 nide, quem casu ab Ulysse relictum ibi offen-
 derat, incolarū immanitate, noctem non plus
 unam eo in loco moratus, trepidè rursum na-
 ves concendit, omnemque Siciliæ oram, quæ
 Austro & Zephyro obversa est, circumnavigat,
 donec tandem in portū Drepani secundo cur-
 su pervenit. Erat eo tempore Siciliæ rex nobi-
 liissimus Acestes, homo veteris potentia, qui
 Aeneam & Troianos hospitio excipiebat, &
 suis, suorumque opibus enixè iuvabat. Apud
 hunc paucos dies moratus Aeneas, patrē An-
 chisen amittit. Itaque illo sepulto, omni dein
 adhibita celeritate iter in Italiam, à qua nō lon-
 gè ab-

gē aberat, cum socijs suis instituit. Proiectus
 leni Africo è Sicilia, cùm iam medium ferè cur
 sum teneret, fœdiSSima tēpestate orta, retrò in
 Africam reiicitur, & mirabili fortuna in portū
 Carthaginensem defertur. Explorata ibi loco-
 rum & hominum naturā, tandem in urbem per-
venit: & navibus omnibus, prēter unam, inco-
 lumibus illic repertis, à Didone regina hospi-
tio excepitur. Ea tum Carthaginem condebat,
 & nuper ante paucos annos è Tyro, Pygmalio-
 nis crudelitate & immani parricidio eiecta, co-
 loniā eò deduxerat. Huic Aeneas in convivio,
 quod illa exquisitissimis epulis instruxerat, ha-
 bitis ultrò citroque multis ac varijs sermoni-
 bus, Troiæ excidium, & errores suos longā o-
 ratione exponit: & crebrā nominis sui, rerum-
 que fortiter à se gestarum commemoratione,
 magnū reginę animo amorem sui iniicit. Nam
 Dido, ut subita & repentina sunt mulierū con-
 filia, summā potiundi eius cupiditate incensa,
 postero die, cum sorore inito consilio, cùm
 multas & varias animo cogitationes instituis-
 set, tandem quod consultissimum, & factu o-
 ptimum videbatur, Aeneam in venationē se-
 cum educit. Ibi magno casu accidit, ut ortā tē-
 pestate in unam speluncā ambo devenerint, &
 remotis arbitris coniugium inierint. Sed quia
 fato cōstitutum erat, ut Aeneas cum sua poste-
 ritate in Italia regnaret: ideo Deorū imortaliū
 oraculis ipse monitus, Africā rursum excede-
 re, &

re & Didonem deserere statuit. Quare media circiter nocte socijs navib. impositis, è portu solvit, & rursum in Siciliā navigat. Eius discesu exanimata Dido, cùm amoris vi resistere nō posset, doloris magnitudine superata, necem sibi ipsi consciscit. Quę res magnarum postea calamitatū causa fuit, & multis bellis inter posteros utriusque occasionē præbuit. Aeneas è Libya in Siciliam reversus, portū Drepani rurus tenuit: ibi quę patri Anchisæ ludos funebres & parentalia instituit. In ijs navali certamine vicit Cleāthus, cursu Euryalus, cæstuum pugna Entellus, sagitta Acestes. Equis verò Troiam lusit Ascanius. His perfectis rebus cū Troianæ mulieres odio navigationū & amore Siciliæ, naves incédisserunt, Aeneas reparata clas se, & relictis in Sicilia mulieribus, celeriter loco excedit, & idoneā noctus tempestatē sublati anchoris in Italiā navigat. Ac primò Cumas delatus monitorū Heleni memor Sibyllā oraculi causa adit, ut viam ad inferos pervenienti ab ea disceret. Mox du&tu illius ramum aureū consecutus, iter facit ad inferos. Sed priusquā itineri se accingit, Misenum terræ mandat, & Diti ad fauces Lacus Averni sacrum facit. Erat in primo Inferni aditu portitor quidam Charon, qui mortuorum umbras per Stygiām paludem scaphā traijciebat. Ab hoc in ulteriorē ripam transportatus, primū offa sopito Cerbero ad diversa damnatorū loca circūducitur.

Casu

Casu hīc inter eos, qui necem sibi ipsis consci-
verant, Didonem conspicit. Non procul ab eo
loco Deiphobum Priami filium, & complures
alios videt. Duplici deinde in via consistens,
ductu Musæi in campum Elysium ad patrē An-
chisen pervenit. Ab hoc per colloquiū de sua
fuorumq; posterorum fortuna, & imperij Ro-
mani origine ac magnitudine docetur. Tan-
dem eburneā portā emissus, ad classem suam
Cumæ revertitur. Non dñs hic moratus, con-
scensis iterum navibus, Baiano portu egredi-
tur: & secundo vento ad eum locum defertur,
qui postea Caieta appellatus est. Conditâ ibi
nutrice, sub noctem Circos præternavigat, &
sub Auroram, cœlo albête, littus Tyberinum
attингit, ibiique commodam nactus stationem
socios exponit. Progressus inde non longè, cū
locum urbi cōdendæ peridoneum invenisset,
missis ad regem Latinum, qui summam Impe-
rij illic tenebat, legatis, ut pacem ab eo pete-
rent: Dij Laurentibus rem divinam facere in-
stituit. Duplex exinde fama est. Alij Latinum
& Aborigines, qui tum agrum Laurentum in-
colebant, ad arcendam vim advenarum arma-
tos ex urbe atque agris concurrisse, victumq;
prælio Latinum pacem cum Aenea, deinde af-
finitatem iunxisse tradunt. Alij (quæ nostra est
sententia) pacem ultrò sine armis obtulisse, &
agri partem non longè ab ostio Tyberis con-
cessisse: ubi oppidum Troiani condiderint.
Postquam

Postquam enim Latinus audierat multitudinem illam Troianos esse : ducem Aeneam , filium Anchise & Veneris, crematā patriā & domo profugos , sedem , condendāque urbi locum querere, ibi & nobilitatem gentis virique admiratus est , & fœdere cum legatis inito, non modò fidem futuræ amicitiæ sanxit, sed regem ipsum Aeneam , ad regni sui societatem , & filiæ Laviniae , quam unicam habebat, matrimonium invitavit. Hac re cognitâ Turnus rex Rutulorum, cui pœcta Lavinia ante adventum Aeneæ fuerat, prælatum sibi advenam à grè patiens , & ob id furore accensus, bellum Aeneæ infert. Latinum amata coniunx contra Troianos incitat: & ne Turnū deserat, gravissimè hortatur. Huius vocibus & concursu ci-vium torrentur infirmiores , dubij confirmantur. Ad postremum rustici adversus Ascaniū, quòd is in venatione cervum peculiarē vulnerasset, in agris tumultuantur. Tota Italia turbatur, & Ianitemplo aperto, undique delectus habentur, & copiæ adversus Troianos cōscribuntur. Refertur etiam de Diomede, rege Arporum in Apulia, ut socius sit atq; amicus. Ad hunc Venulus properè cū mandatis in Apuliā mittitur. Reliquis municipijs arma imperantur , pecuniæ ex ærarijs depromuntur: deniq; omnia raptim atq; turbatè aguntur. Quib. rebus cognitis Aeneas de fortuna sua dubius, cū varia animo consilia agitasset, tandem accepto

per somnium oraculo, regē Evandrum adit, q
 iam olim ex Arcadia in Italiā profugerat, & ur
 bem Pallantiū condiderat, ut copias ab eo con
 tra hostē impetret. Eò cùm pervenisset, primū
 à rege Evandro benignè excipitur, & per col
 loquium de multis Italij rebus & de toto Latij
 statu docetur. Deinde icto cum eo fœdere, ac
 ceptisq; quadringentis equitibus, quib. Evan
 der Pallantem filium præficerat, in Hetruriam
 proficiscitur, ut à Tarchonte auxilium petat. Is
 eo tempore maximas copias & instructum ex
 ercitum contra Mezentium tyrannum crude
 lissimum, regno eiectum, habebat, & summam
 belli gerendi Evandro commiserat. Nam aru
 spicum responsis compulsus fuerat, ut copijs
 suis externum ducem præficeret. Sed imperiū
 illud Evander reiecerat, quòd senio confectus
 & viribus exhaustus ad bellicos labores inuti
 lis iam esse videretur. Ita magno fortunæ casu
 in utramque partem accidit, ut & Tarchon
 externum imperatorem suo exercitui, & Ae
 neas auxiliares copias contra hostem inveni
 ret. Fama est abeundi in Hetruriam Aeneæ cly
 peum admiranda specie, & robore invicto, di
 vinitus oblatum, in quo Romanorum regū se
 ries, & populi Romani ac Cæsaris Augusti
 res fortiter gestæ auro insculptæ, & multis an
 tè seculis, quām accidissent, à Dijs immortalib.
 adumbratæ fuerint. Hoc ille accepto, & omni
 Hetruria celeriter ad suā sententiā perducta, q
 matur-

maturimè potuit, ad exercitum suum, quē in littore Tyberino relictum fuisse suprà mōstravimus, magnis itinerib. contendit: veritus id, quod accidit, ut imbelles ac inopinati ab hostib. opprimerentur. Nam priusq; eò pervenisset, Turnus Troianorum castra obsidet, eosq; nova re perterritos ad pugnā provocat. Mnestheus, qui per omnes superiores dies, præceptis Aeneæ, summa diligentia milites in castris continuisset, neminē extra munitiones egredi patiebatur. Quo cognito, Turnus cùm eos elicere non posset, naves ipsorum incendit, & castra oppugnare instituit. Sed solis occasu oppugnatio impeditur. In his erat angustijs res, neq; ulla de Aeneæ reditu fama afferebatur: neque quisq; ad eū in tali periculo sumo timore omnib perterritis dimitti poterat, neq; duces castrorū sibi quicq; de eruptione conandū existimabant. Erant apud Mnestheū Troiani duo, Nisus & Euryalus, amici arctiss. qui portis castrorū p̄erāt, homines singulari virtute, & magna animi ac virium fiducia prædicti. Hic cōmunicato cum Ascanio & ducibus consilio, clam noctu profiscuntur, ut Aeneam de his rebus certiorem faciat, & properè adesse iubeat. Sed ut hominum audacium fert temeritas, prius in castra hostium irruunt, & multos eorum in somno trucidant. Illinc egressi, ut institutum iter perficiant, à Turni equitibus, in quos forte incident, circumveniuntur & ambo inter-

ficiuntur. Horum cede elatus, & adventu equitum confirmatus Turnus, castra Troianorum magnis viribus oppugnare instituit. Ibi rei novitate perturbatis Troianis, confirmatur opinio Rutulis, nullū intus esse præsidium: perrupere nituntur, seq; ipsi hortātur, ne occasione rei benè gerendæ ex manib. dimittant. Illi ubi hostes imminere vident, & in sumo esse rē discrimine, celeriter sese muniūt, & oppugnationem fortissimè sustinent, ac omni telorū genere è muris & turribus in Rutulos devoluto, ad postremum etiā immani turri iniecta, hostē ab oppugnatione repellunt. Hac victoriā elati Pādar⁹ & Bitias, portis castrorū apertis, Rutulos ad pugnam laceſſunt. Non deest negotio Turnus, suasq; copias celeriter in hostem expedit: ac multis primo incursu interfectis, tandem Pandarū & Bithiam fortiter præliantes superat, & in porta occidit, reliquas intra munitiones cōsistere cogit. Portis castrorū clausis, multi Troianorū, qui in hoste eruperant, cùm ad suos receptum habere non possent, circumvēti à Rutulis crudeliter interficiuntur. Ibi magnam in rerum suarum desperationem Troiani perveniunt, donec tandem Mnestheus & Sergestus, nacti occasionem, redintegrato prælio, Turnum in fugam reiſciunt, & omnes hostes terga vertere cogunt. Dū hæc ad castra Troianorum geruntur, interim Aeneas, cum magnis Arcadum & Hetruscorū auxilijs, ad littus Tyberinum

berinum cum classe advenit: & omnibus navi-
 bus ad unā incolumibus, milites in terram ex-
 ponit: & quia hostē non longē abesse arbitra-
 batur, celeriter aciem instruit. Equitatui Arca-
 dum cum imperio præterat Pallas, Evandri fi-
 lius. Novissimum Hetruscorum agmē Tarchō
 ducebat, quem plurimi ex reliquis Italiæ par-
 tibus, & universa Liguria populi comitabātur.
 Primam aciem Aeneas gubernabat, ad quem
 suīma imperij respiciebat. Cognito horum ad-
 ventu, re inopinatâ perterriti Rutuli, celeriter
 arma capiunt, & hostem aditu prohibere, & à
 castris Trojanorum intercludere conantur. Id
 ubi Aeneas animadvertisit, præmisso equitatu
 levā hostium aciē invadere iubet, ipse à dextro
 cornu pedestribus copijs Rutulos vehemēter
 premere cœpit, ac plurimis eorum interfectis,
 anceps prælium diu sustinuit. Arcades, quod
 imparie equitum numero cū hoste congressi, &
 militaris usus imperiti essent, Rutulorum viri-
 bus resistere non potuerunt. Quare paulatim
 acie excedere, & ad suos refugere cœperunt.
 Horū trepidatione pmotus Pallas, qui ei parti
 equitum præterat, in primam aciē procedit, &
 Arcades suos cohortat, partim precibus, par-
 tim minis ac terrore à fœdiss. fuga retrahit, ac
 signa in hostem ferre iubet. Simul ipse magna
 animi fiducia adversis hostibus occurrit, & plu-
 rimos eorum primo statim impetu proculcat.
 Huius oratione & singulari virtute spe illata e-

quitibus, ac redintegrato animo, cùm pro se
 quisq; pugnaret, Rutuli repressi sūt. Erat in ad
 versa Turni acie adolescens egregiā virtute &
 ætate integra, Lausus, Mezentij filius: cum hoc
 Pallas collato pede, paribusq; armis congres-
 sus, præter opinionem à Turno circumventus
 adversum pectus tragula traiicitur, & perfidè
 interemptus armis exuitur. Hac iniquissima cę-
 de cognitā, Aeneas gravi irā percitus magnam
 in acie Rutulorum stragem edidit: & quòd in-
 timum amicum in eo prælio desideraret, unū
 sibi Turnum, à quo interfectum esse cōstabat,
 modis omnibus persequendum statuit. Sed fa-
 to quodā prohibebatur, ut eo potiri non pos-
 set. Nam pugnante ipso, Turnum quidam è
 superis, ut fertur, in navem intulit: fugientem
 Ardea patria excepit. Eo elapso, in pugnā suc-
 cedit Mezentius: & multos suorum hostium a-
 criter dimicando opprimit. Hic iā antè in pa-
 tria crudeliter imperaverat: & regno ob tyrā-
 nidem exutus, cum Rutulis & Turno socia ar-
 ma coniunxerat. Tandem cùm multos Hetru-
 scorum & Arcadum in acie trucidasset, impari
 fato cum Troianis dimicans, adversum præliū
 fecit. Nam Aeneas cum eo armis congresus,
 hominem Dijs, Deabusq; omnibus invisum
 facile superavit, & adversum femur hasta per-
 cussit. Sed quò minus statim necaretur Mezé-
 tius, filij tūm primūm pubescentis virtute ef-
 fectum est, qui periculum intercursu suo pro-
pulsa-

pulsavit, & patrem pugnantem clypeo protexit. Is erat Lausus, cuius modò meminimus. Sed Aeneas, quem Turni crudelitate & cæde Pallantis acerbissimo dolore affectum, & gravissima ira incitatum fuisse ostendimus, & ipsum Lausum filium interficit, & patrem Mezentium, equo vulnerato deiectum, miserime obtruncat. Atq; hic exitus prelij illius fuit, quod in littore commissum est.

Postero die Aeneas trophæum erigit: & corpus Pallantis imperfecti magnificâ pompâ Evandro patri dehumandū mittit: simul Latini regis legatis, qui cæforum Rutulorū causâ venerant, cadaverum cremandorum potestatem facit. Evander recepto filij funere, in acerbissimum dolorem ac luctum incidit: quē tamen paulò post filij honorifica sepulturâ solatur & mitigat. Interim Troiani & Latini suorum cadavera busto & sepulturæ utrinq; mandant. Quo facto, tantus Latinarum matrum in urbe luctus exoritur, ut Turno ea res non parum invidiæ apud suos concitaverit. Dū hæc in Latio geruntur: Venulus, quē suprà in Apuliâ ad Diomedé auxiliorum gratiâ missum fuisse demonstratum est, cū legatis domū reversus, Latino & Turno responsum refert. Horū adventu Rex Latinus concionē convocat: in qua legati Diomedis mādata exponunt: quorū hęc summa erat. Debere Latinos ac Rutulos pertinaciæ suæ finē facere, & ab armis discedere, neq;

amplius fortunā periclitari. Quantum in bello Troiani & cum primis Aeneas posset, iam omnes Græci incommodis suis esse documento. Nam decem illis annis, quibus ad Troiam pugnatum sit, Græcorum vires ita ab Aenea & Hectore attritas fuisse, ut propè peius victoribus, quam victis acciderit. Proinde sibi ac Reipub. Arporum cōdonarent, quod nec ipse veniret, neq; auxilia mitteret. Satis esse magna expertum à Troianis incōmoda, quæ pro disciplina & præceptis habere possit, ut reliquos fortunæ casus timeat. His respōsis ad Latinum & Turnum relatis, de pace Latinus cum Aenea agendum esse statuit: & agri partem Troianis concedendum existimavit. Huius sententiam Drances, homo antiquâ fide & virtute, multis rationibus confirmat: & quod Turno esset infensor, Laviniam quoq; Aeneæ dandam esse suadet. Qua oratione permotus Turnus primum loquacitatem Drancis severiter perstrin git, eumq; acriter obiurgat: deinde omnium sententijs reiectis, cum hoste pugnandum esse iudicat. Atq; hęc vicit in concilio sentētia. Rūtulis ad hunc modum disceptantibus, Aeneas aciem instruit, & propè oppidum castra ponit. Cuius inopinato advētu oppidani perterriti, portis clausis, custodias vigiliasq; in muro turribusq; disponunt. Matres templa Deorū immortaliū adeunt, & ante simulacrū Miner-va Palladis proiecta, victoriā à dijs exposcunt.

Inte-

Interim Turnus copias suas ex urbe educit, ut hostem aditu mœniorum & portarum prohibeat. Huic vix portâ egresso, Camilla Volscorum regina, cū magnis auxilijs obviām venit. Cognita eius voluntate, duces celeriter inter se officia partiuntur: uti Turnus cum suis copijs Aeneam, iugis oppidum petetem, itinere intercludat: Camilla & Messapus hostiū equitatum reprimant. Sed propter celeritatem & propinquitatem hostium fiebat, ut diu delibrandi tempus non esset. Itaque cum equitatus Troianorum iam non longius, quam quō telum adiici poterat adesset, signo prælij dato, & clamore sublato, celeriter inter se equites concurrunt. Neque verò Troianorum primū impetum equites Rutuli ferre potuerunt: sed duobus vieti prælijs, & multis suorum amissis, reliqui se in oppidum receperunt. Paulo post tamen brevi spacio temporis intericto, Camillæ virtute prælium restituitur, & impetus hostium paulum tardatur, ac multi Troianorum & Hetruscorum fortissimè pugnantes à bellicosa muliere interficiuntur. Tum reliqui Volsci, reginæ exemplo incitati, cum alijs alij subsidiū ferrent, neque timerent, ne aversi ab hoste circumvenirentur, audacius resistere ac fortius pugnare cœperunt. Hac re animadversa, Tarchon Hetruscus suis laborantibus celeriter subvenit. Ibitanta rerum commutatio facta est, ut Hetrusci equites turpitudinem fugæ

summa virtute delerent & omnem vim hostium repellerent. In eo prælio Camillam incautius dimicantem, Aruns teli iactu occidit. Sed elatus ista victoria, cū inflatius & insolentius se gereret, Deorū ultione in infidias perducitur, & sagitta percussus interimitur. Cognita morte Camillæ, Volsci rebus suis diffisi, penè omni acie perterrita, terga vertunt, & in oppidum se recipiūt. Quos Troiani acrius insecuri, pluribus in ipsa porta interfectis, reliquos intra muros cōsistere cogūt. Huius rei nunciū ad Turnum pervenissent, ipse relicto colle quē tenebat omni celeritate adhibita, suis subsidio venire properat. Facit idem Aeneas. & prope oppidi muros suas uterq; copias instruit. Sed noctis interventu prælium dirimitur.

Postero die cùm uterque exercitus in acie ad dimicandum stare videretur: Turnus desperata suorum salute, solus cum Aenea pedem conferre, & pugnam facere constituit. Itaque convocato cōcilio, cum Latino de summarerum deliberare incipit. Erat Latini sententia, quæ modis omnibus à singulāri certamine abstinendum censeret: quòd salvo atque incolami Turno, rem obtinere mallet. In eandem loquitur & regina Amata, Turnū omnibus precibus orans atque obsecrās, ut à stulta pugnan di cupiditate desistat. Verum cùm ille nec Latini verbis, neque Amatæ precibus neque Lavinia lachrymis flecti posset: tandem Idmen

cum

cum Turni postulatis ad Aeneam mittitur: ut
illi singulare certamen indicet. Hoc digresso,
Turnus interim domi, intra munitiones & val-
la, se armat: & animū configendum cum ho-
ste confirmat. Postridie reges utrinque in cam-
pum descendunt: & fœdere inito, fidem inter
se & iusurandum dant, ut aut Turno, aut Ae-
nea in prælio viēto, Lavinia & regnum Italie
victori cedat. His ita constitutis, probatisque
consilijs, cùm uterque ad præliandum in acie
staret: inopinato casu accidit, ut cœptum ne-
gociū subito dirimeretur. Nam Iuturna, soror
Turni, cū periculi fraterni magnitudinē fama
ac nūcijs accepisset, in castra Rutulorum per-
venit: eosque hortatur, ne ducem suum dese-
rant, aut hosti proijciant. Neque enim pati Ru-
tulorum dignitatem, ut tantis copijs tam exi-
guam manum, præsertim exulum, adoriri non
audeant: unumque hominem, cōmuni omni-
um periculo obijciant. Tolumnius aruspex vi-
so augurio, militum cohortibus persuadet, ut
sublato fœdere Turnū defendāt, & hosti arma
inferant. Simul ipse telo in hostes emissō, Arca
dem quendam interficit. Quibus rebus addu-
cti Troiani & Rutuli prælium restituūt, & rem
ad pristinam belli rationem redigunt. In eo
prælio inopinati Troiani, cùm nihil adversi
metuerent, novare perturbati facile ab ho-
ste opprimebantur. Aeneas ipse, gravi accepto
vulnere confessim acie excedit: & sui reficien-
di causa

di causa in castra se recepit. Hac re animadver-
sa, Turnus spei bonæ atque animi plenus, pas-
sim Troianos palantes ac dispersos irruit, ac
plurimos eorum incautos atque inopinatos
occidit. Sed Aeneas celeriter in castris refe-
ctus sanatusque, cum Ascanio & reliquis co-
pijs in pugnam revertitur, & laborantibus suis
subsidio venit, ac prælium restituit. Huius ad-
ventu Rutuli repulsi, clamore sublato terga
vertunt. Ille unum Turnum sibi persequen-
dum statuit. Commisso prælio, cum multis ac-
ceptis illatisque vulneribus Turno potiri non
posset, oppidum obsidere, & vallo circumve-
nire, & in ictis facibus oppugnare instituit:
ut hac necessitate Turnum, qui ubique Aene-
am fugiebat, ad pugnandum eliceret. Hoc in-
opinato malo, & repentinâ oppidi oppugna-
tione, regina Amata perterrita, omnibus pre-
cibus se ipsam detestata, ut quæ Turno pu-
gnandi autor fuisset, laqueo seipsam exanima-
vit. Turnus incendiorum fumis procul cōspe-
ctis, & se sororemq; suā graviter incusat, & de
suā civiumque salute desperās, ut extremo vite
tempore homines faciūt, mortem exoptat. In
his angustijs versati celeriter occurrit Sages
ipsumque de expugnatione oppidi, & suspen-
dio Amatæ certiorē facit: hortatur, ut afflīctæ
patriæ extremam opem ferat. Quo tristi nunc-
cio accepto, Turnus omni adhibita celeritate
urbi appropinquat, ut Troianis resistat, & Ae-
neæ im-

neæ impetum retardet. Adventu Turni auditio, Aneas ab urbis oppugnatione desistit, & contra Turnum ac Rutulos aciem movet. Erat inter utrumque planicies aperta: in qua cùm ambo se mutuo conspexissent, armis celeriter concurrunt, ac singulari certamine acerrimè dimicant. In eo conflictu Turnus summo conatus prælians, gladium in scuto Aeneæ medium frangit. Fugientem Aeneas persequitur, ac necem intentat. Ibi Turnus omni divino, humanoq; auxilio à Iove cæterisque Dijis immortibus exurus, unam hāc spem reliquam salutis arbitratus, immanē lapidem sustulit, & contra Aeneam emisit. Quòd ille periculum, longius se ab illo removens, facile devitavit. Tum verò ad summam desperationem Turnus pervenit: & primum ab Aenea hastâ percussus in terram procumbit; deinde fidem hostis frustra implorans, ab eodem interficitur.

De Argumenti tractatione. Cap. III.

ARgumentum historiæ, qua res ab Aenea gestæ percensentur, Poëta commutato ordine artificiose tractat, neque errores exiliumq; Aeneæ ab Ilij captivitate,

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo.
Semper ad eventum festinat, & in medias res,
Non secus ac notas auditorem rapit: & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.

*ie. Ior fuit Ei
caj fuit*

Atq; ita mentitur, sic verbis falsa remiscet:
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Quemadmodū in Arte eleganter ac venu-
stè de hoc artificio Horatius admonet. Virgiliq;
enim suum Aeneam, non à littore Troiano, in
Italiā perducit, sed à Sicilia in Italiā navi-
gātem facit, & subitâ tempestate retrò in Afri-
cam reiectū esse fingit, ubi Didoni in convivio,
& ipsius Troiæ excidium, & suos labores erro-
resque, quibus à Troia in Siciliā delatus, &
hinc ortâ tempestate in Africam pulsus fuerit,
prolixa narratione exponit. Ab hac demum
recedens , secundo vento in Siciliā redit, &
hinc soluto portu in Italiā pervenit. Primo
igitur libro, qui naturæ ordine tertius est, hi-
storia continetur de tempestate , qua Aeneas
ab instituto itinere in Africam reiectus, & à Di-
done hospitio exceptus est. Libro verò secūdo
& tertio , prolixa est Aeneæ oratio: qua ipse in
convivio apud Didonem , partim captivita-
tem Ilij, partim exilium & suos errores , qui-
bus à Troia in Libyam delatus sit, ordine com-
memorat. Quarto dein libro amor Didonis
recitatur ergà Aeneam , & qui fuerit illius exi-
tus. Quinto reditus Aeneæ ex Africa in Siciliā,
& ludi funebres in honorem Anchisæ habiti,
describuntur. Sexto adventus Aeneæ è Sicilia
in Italiā, Cumas & descensus Aeneæ ad infe-
rios duce ac comite Sibyllâ: & Anchisæ de poste
ritate Ascanij & regno Albano , Romaniqe
imperio

imperio prolixum vaticiniū. Et hi quidem βιτα-
τυοι sunt, pertinentes ad communem vitæ u-
sum, in quibus Poëta singulis singulas res tra-
etavit. Nam in primo omina proposuit, in
secundo πάθη, in tertio errores, in quarto άθη,
in quinto festivitatem. in sexto scientiam. Epi-
logos autem horum sex librorum sic variavit,
ut in primo esset commiseratio Didonis, in se-
cundo mors Creusæ, in tertio Anchisæ, in quar-
to interitus Didonis, in quinto Palinuri, in se-
xto immaturus Marcelli exitus. Voluit enim
istis libris, ut infrà ostendam, vitæ humanæ ex-
emplar proponere quæ perpetuis miserijs ob-
noxia, ferè nihil aliud, quam animæ exilium
est, ac terminum habet mortem: quæ ultima
linea rerum est, uti à veteri Poëta rectè appel-
latur. Et quemadmodum Rethores præcipi-
unt, ut in exordio lenes sint affectus, quos άθη
vocant: in Epilogis autem vehementes, qui
πάθη dicuntur: ita Virgilius in omnium libro-
rum principijs lenior est, in Epilogis autem
vehementior & planè patheticus. Quantum
ad sex posteriores Aeneidos attinet, quibus
bella Aeneæ in Italia adversus Turnum ac Me-
zentium gesta describuntur, suo loco copiosi-
us agemus. Nunc ad reliqua transeundum.

De Consilio Poëtae, Cap. IIII.

DOETÆ in hoc toto opere cōfiliū triplex fuit. Vnum, ut Romani imperij vetustatem, & antiquissimam originem, quā omnino divinam, & à Diis immortalibus ortam esse constabat, propter populi istius summam potentiam & admirandam regni amplitudinem, versibus celebraret, tum ut Iulij & Augusti Imp., nobilitatē & vetustissimam prosapiam literarum monumentis posteritati commendaret, & res preclarè in isto imperio gestas ab interitu vendicaret. Etsi autem nobilitas sola est, atque unica virtus: & genus qui iactant, aliena iactare dicuntur, tamen familiæ splendor, & generis antiquitas, non exiguum Dei donum & ornamentum est, qui filios filiorū & seram posteritatem sui cultoribus ex gratia promittit. Sicut pœna eiusdem est, quā amplissimas familias interdum, propter nepotum flagitia, omni hærede sublatu funditus extirpat, ut exempla docent. Cæterū Livij Dionisij, Strabonis, Plutarchi & aliorum testimonij patet, Romanos ab Alba-nis, hos à Troianis & Latinis descēdisse: & gentem Iuliam, in qua Cæsar Iulius & Augustus huius ex Iulia sorore nepos, procreati sunt, ab Iulo Ascanio, Aneç filio propagatam. Vnde illud: *Iulus à magno demissum nomen Iulo.*

Huic rei etiam cura sacrorum Vestæ, quæ penes

penes istam familiam omnibus temporibus fuit, satis est documento. Ex hac familia ultimus Nero fuit: qui gētis Troianę amore, multa inepte, plurima sceleratē perpetrabat, ut ex Suetonio & Tacito alijsque historicis patet. Eū Poëtæ Troiugenam & Polydamantem per contemptū vocant, ut ex Persio & Iuvenale liquet. Poëta igitur Virgilius stirpem Iulij & Augusti, adeoq; totius gentis Romanæ nobilitatem, & res preclarè gestas celebraturus, hanc Aeneidam condidit: qua quantum gratiæ ab Augusto & Romana nobilitate consecutus sit, omnibus est notum.

Alterum dein Poëtæ in proposito operæ consilium fuit, Homericam Poësin, quæ tum sola reliquis longè antecellebat, tām rebus, quam verbis Latinis, imitando exprimere. Sic enim Alexandro Magno Julius Cæsar armorum virtute & laude bellicā similis, aut potius superior esse contendit: ita Virgilius Homerum non modò æquiparare, sed etiā ingeniū gloriā superare studuit, ne Græci, qui Romanorum armis iam locum cesserant, artium literarumque, quarum inventores erant, & cū primis poëticæ facultatis, laude ac splendore ipsis adhuc superiores esse viderentur. Vnde Horatius, qui & ipse veteris Græciæ Lyricos Poëtas ingenio vicit:

*Gracia (inquit) capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio.*

Ut igitur Homerus patriæ gentis, nempe
 Græcorum fortia facta adversus Troianos, ex-
 ternos & barbaros, itemque Vlyssis patientiā
 ac magnanimitatem in reb. adversis carmine
 heroico celebravit, & iucundissimis fabulis
 permiscuit: ita Virgilius gentis Troianæ res,
 adversum Rutulos & Aborigines, Italæ popu-
 los, præclarè gestas, & hac occasione populi
 Romani laudes, tum ipsius quoque Aeneæ pa-
 tientiam in exilio & periculis, Heroico versu
 persequitur, & figmentis longè venustissimis
 exornat atque illustrat. Quia in re utrumq; Ho-
 meri opus pulcherrimè imitatus est. Sed inge-
 ramen inter utrumque discrimen est, & multis
 de causis Homero maior & præstantior Virgi-
 lius mihi videtur. Nam primò, ut liberaliore es-
 set imitatio, non servilis, ordinē ipsorum ope-
 rum cōmutavit, & prius Odyssæam imitatus,
 errores Aeneæ pertexuit, deinde ad exemplū
 Iliados, eiusdem bella adversus Turnum & Me-
 zentium descriptis. Quare quantum Homero
 antecellat Virgilius, paulò pòst lectorem com-
 monebimus. Deinde nervosa & admiranda
 brevitate eundem longo intervallo post se re-
liquit. Nam utrumque Homeri opus uno ipse
 volumine tā ingeniosè imitatus est, ut semper
 quaternis Homeri libris, singuli Virgiliani re-
 spondeant, quemadmodū suis locis planū fa-
 ciemus. Quas n. virtutes Homerus duob. viris,
 Achilli in re militari & publica, Vlyssi in vita
 privata

privata solerter attribuit, eas Virgilius uni Aeneæ perquam ingeniosè adscribit, ostendens eundem virum decere, tamen in publica quam privata vita bonis moribus & laudatis virtutib. ornatum esse. Sic uni Veneri partes easdem tribuit, quas Homerus duabus, nēpe Thetidi & Minervæ : quarum hæc Vlyssē in mari errantē curat atque defendit, illa filium Achillē in bello tuetur ac protegit. At Venus utrobiq; tamen in bellicis negocijs, quam maritimis periculis filium Aeneam cura & studio materno prosequitur. Iupiter vero & Juno, apud utrumq; Poëtā ijdē sunt, & iisdem erga Aeneā & Troianos affecti animis. De reliquis personis suo loco & tempore. Præterea rerum quoq; ipsarum magna est in utroq; diversitas. Nam Homerus præcipue populares suos & patriam egentem, eiusq; res gentes contra exterros laudat ac celebrat : Troianos verò passim contemnit & elevat ; at Virgilius, ne ex affectu agere videatur, exteræ gentis Troianæ virtutes commendat, & veteris Italiæ barbariem, ac tetra quorundam popularium flagitia candidè proponit, ut hac ratione novæ Italiæ, & Romani imperij felicitatem ac splendorē celebret. Sed modum tamen utrobiique servat. Nam & gentis Troianæ mollitiem non dissimulat, aliaq; vitia eiusdem in persona hostium ut Iarbæ, Numani ac similium, carptim perstringit, & vicissim Rutulos, Turnū, Camiliā & alios, p'renata parcè convenienterq; lau-

dat. Postremò si tempus rerum utrobique gestarum consideres, magnum item inter utrumque Poëtā discrimen reperies. Nam Homerus in Iliade unius anni, videlicet noni, historiam tantummodo pertexit: & reliquorum octo historiā, quæ est præteriti temporis, passim inculcat: in Odyssæa verò decennale Vlyssis exiliū exponit, & unius tantum anni, nempè decimi, tanquam futuri temporis, historiā de capto & exciso Ilio interserit. At Virgilius contrà in sex priorib. unum annum complectitur, quo res apud Didonem in Africa gestas, & Aeneæ adventum in Italiam Carthagine exponit. In sex verò posterioribus integrum bellum ab initio ad mortē Turni perducit: in qua, Homeri exemplo, subsistit: qui laudes Achillis eodē modo in cęde Hectoris absolvit. Sed in historijs alliarum rerum, quas Aeneæ gestis admiscet, nō tantum præteritas res, quæ ante adventū Aeneæ in Italia acciderant, sed etiam futuras, & quas olim posteri Aeneę gesturi essent, tanquam verus vates & augur exponit. Quaingenij facultate quantum Homero prævaleat Virgilius, eruditī facile dijudicabunt. Ethāc in genere de Imitatione utriusque Homeri operis dicta sint: nunc etiam de partibus operum utriusque Poëtæ pauca quædam addamus. Ut igitur Homerus in Odyssæa varios Vlyssis erores, & pericula, quæ terra ac mari pertulit, priusquam domum redijt, ordine recenset: ita

Vir-

Virgilius prioribus sex libris gravissimos Aeneæ labores, quos toto exilij tempore, priusq; in Italiā pervenit, passim locorum sustinuit, eruditè recitat. Et quanquam principijs narrationum ferè convenient, quod nec Homerus Vlyssem, nec Virgilius Aeneam à littore Troiano deducunt, ut infrà cap. 6. copiosius monstrabo: tamen fine multum à se differunt. Nam Homerus Vlyssem suū per omnia iactatum maria, tandem è bello domum in patriā reducit, ubi reliquam ipse ætatem, imperfectis procis, cum pristina uxore Penelope, & patre Laërte in ocio ac tranquillitate peragit. Virgilius verò Aeneam, amissa domi coniuge viduum è patria in exilium abigit: & demum in Italiā patre orbatum, hospitem atque advenam perducit: ubi varia bellorū certamina illi subeunda. Deinde quemadmodum Homerus in Iliade res bellicas Græcorū & præcipue Achil·lis usq; ad mortē Hectoris persequitur, ita Virgilius arma Trojanorum & cum primis Aeneæ virtutes militares in posteriorib. 6. libris commemorat, easque in morte Turni absolvit. Et quemadmodum mulieris causa bellum suscipitur à Græcis, & irato Achille ab Hectore affliguntur Græci, deniq; ob Patrocli cædē virtū Achillis contra Hectorē incitatur, ita Laviniae causa Troiani & Rutuli dimicant, absenteque Aeneā apud Evandrum Trojanī premuntur, & Pallāte occiso, furor Aeneę adversus Turnum

cædis autorem inflammatur. Sed in hac posteriori operis parte non minus, quam in priori Homerus, à Virgilio superatus est, sicut in singulis libris fusè & affatim demonstrabimus. Hic generatim tandem & summis quasi capitibus quædam duntaxat attigisse sufficiat. Et causa quidem belli Troiani à Græcis suscepti parum honesta fuisse videtur, quod repetendæ Helenæ causa, quæ adulterū Paridem, deserto marito Menelao, in Asiam secuta fuerat, arma movet, ut Menelao coniux restituatur, ac non potius adulterum Paridem & Helenam ad pœnas reponscunt: quod nusquam apud Homerum legitur. Nam Helena reddita contenti fuissent, ut non obscurè Homerus indicat, quanquam singulari certamine Paridē Menelaus pro Helena aggreditur. Et sanè eversa Troia Menelaus adulteram domum reduxit, & in honore deinceps habuit, ut ex 4. Vlyss. apparet. At Virgilij Aeneam ad arma necessitate adductum docet pro Lavinia, honesta & pudica virgine, quæ illi desponsata fuerat, & Turnus præceptam cupiebat. Deinde Homerus Achillē fingit simulates cum Agamemnone gerentem, & sua pertinacia Græcis nocentem, nec Reipub. sed Patrocli interemti causa bellū redintegrare. Qua rum rerum nihil facit Virgilianus Aeneas. Nā Troiani in castris non irato ipso, sed auxiliorū causa peregrè absente premuntur. Nec Pallantis causa Aeneas bellum movet: sed susceptum & insti-

& institutum eò fortius & pertinaciùs exequitur. Præterea Homericus Achilles ad prælianum auxilia & copias nō necesse habet quære-re, & aliunde magno cū labore & periculo cōparare, ut noster Aeneas, sed conquisitis & in Asiam transportatis militibus tantùm utitur. Adhæc unum sibi præcipuum hostē Achilles, nempe Hectorem: Aeneas verò duos poten-tissimos inimicos habet, Mezentium & Turnum. Postremò Homerus non præcisè in mor-te Hectoris desinit, sed Patrocli sepulturā, lu-dos funebres, Priami luctum & sepulturā He-ctoris atrexit. At Virgilius historiā Aeneæ præ-cisè in exitu Turni absolvit. Quomodo verò in singulis libris Homerum autorē & quasi ducē secutus sit Virgilius, id partim Macrobius, par-tim Scaliger docet: sed ille Virgilio interdum, hic Homero plus iusto iniqor. Nā ea quādoq; in Homero reprehendit, quæ optimo iure de-fendi, & excusari possunt, quæq; doctiss. anti-quitas non absque ratione admirata est, ut ex Strabone, Plutarcho, Horatio & innumeris alijs liquidò constat. Omnia optime verbo-rum Homericorum & cōpositionis imitatio-nem in Virgilio demonstravit Fulvius Vrsi-nus: quem & nos in plerisque sequemur, sed ita tamen, ut non tantùm verbis inhæreāmus, quæ expedita est ratio, sed etiam de rebus ipfis dicamus, quæ cōsideratio difficilior est. Expo-sui hęc paulò prolixius, quòd ea ab alijs minus

accuratè diligenterque observata esse intelligerem. Nunc ad reliqua venio. Postremum igitur consilium in hoc scribendo opere Poëta non solùm cum Homero, sed etiam cum Philosophis sanioribus Poëtisque & Historicis omnibus cultioribus communè habuit. Sicut enim Homerus utrumque opus propter bonos mores instituit, ut Vlyssem imitati, temperantiam, patientiam in adversis, gratitudinem ac similes virtutes exerceamus: Achillis verò exemplo fortitudinem & prudentiam militarē, ceterasque artes imperatorias, quibus in Repub. gubernanda est opus: ita Virgilius exemplo Aeneæ, mores bonos in utraque vita, publica & privata, delineavit, & omnis generis virtutes suæ genti imitandas proposuit: tum profertim maiorum res gestas laudibus ornavit, ut posteri illorum similes esse eniterentur. Nā quod Philosophi preceptis aut regulis de studio virtutum prescribunt: id Poëtæ exemplis tam veris, quam fictis ob oculos proponunt. Sed quia de hoc cōsilio & fine operis in prefatione satis dictum opinor, reliquis percensendis cōsultò supersedeo. Vnum tamen hīc addo, quod omnium hominum memoriā dignissimū est, & in quo Homerum, si nulla re alia, vel solo Virgilius noster superasse censeri potest ac debet. Quas. n. Cicero regias laudes vocari vulgo dicit, fortē, iustum, gratum, magnanimum, largum, beneficium, liberalē (addo & patientē) appellari,

pellari, has Vlyssi & Achilli suo Homerus solas
 attribuit. At Virgilius Aeneæ etiam pietatem
 & curam religionis atque sacrorum, virtutem
 profectò maximā adscribit, Hinc tot religiosæ
 preces, tot præclara sacrificia & victimæ, deni-
 que tantus honor Deorum penatium, quos ex
 incendio ereptos, in Italiam secum asportavit.
 Fuerūt enim antiquissimis temporibus ijdem
 sacerdotes, qui reges, sicut exempla in sacris
 proponuntur literis, & Virgilius exemplo Anij
 lib. 3. Aeneid. & Livius exemplo Numæ Pom-
 pilij declarat. Etsi autem profanos ipsi colue-
 runt & factitios Deos, tamen hæc sacrorum &
 religionis veræ cura etiā ad Christianos reges
 ac principes pertinet, neq; audiendi sunt, qui
 alienum aut indignum principe munus esse ar-
 bitrantur, ut Pontificij, & pleriq: Aulici. Equi-
 dem mysterio non caruit, quod Virgilius, qui
 paucis ante natalem Christi annis diem obiit,
 pietatem Aeneę, tanquam populi Romani cō-
 ditoris, tam diligenter & crebrò inculcit. Vo-
 luit enim in hac Monarchia Christus humani
 generis conservator, è virgine nasci. Huic igi-
 tur advenienti, cùm reges ac principes portas
 aperire iubeātur, meritò Virgilius, quanquam
 aliò respiciens, pietatem & curam religionis,
 exemplo Aeneæ sui, Regibus & Imperatori-
 bus sequendam colendamque proposuit. Sed
 de hac re plura nos alibi: nunc ad ea, quæ re-
 stant, pergendum, ne prolegomena modum
 excedant.

*De summa & argumento lib. I. Aenei-
dos, Cap. V.*

GOntinetur hoc primo libro pulcher-
rima narratio de appulso Aeneæ in
Libyam, qui soluto Sicilię portu, cùm
iter in Italiam haberet, immani tem-
pestate, quam Iunonis hortatu Aeolus conci-
tat, à cursu suo versus Africam reiçitur, & Ne-
ptuni beneficio salvus & incolumis, unâ tantū
navi amissa in portum Carthaginēsum defer-
tur. Ibi socios in littore expositos primūm
vičtu reficit, deinde locos explorandi causa à
littore progressus, à Venere matre (quæ Io-
vis promissione & verbis confirmata, specie
venatricis se illi obtulerat) loci & hominum
naturam cognoscit, & ductu illius Carthagi-
nem pervenit. Erat in urbe novum templum,
& pulcherrimis picturis venustum & elegans.
Illud Aeneas cum Achate ingressus, cùm belli
Troiani picturam attentius lustraret, fortè so-
cios, quos in tempestate amissos putabat, ad
regiam Didonis accedere conspicit. Quare
animadversa, protinus eodem se confert, & im-
provisò apparens, magna cum sua socrorum-
que lœtitia Didonishospitio atq; convivio ex-
cipitur. In eo exhilaratus, tandem à Regina, quā
illius amore, à Cupidine subornato incensa
erat, Troiæ excidiū & labores suos narrare iu-
betur. Huius argumenti partem Quid. 14. Me-
tamor.

tamor. ut suprà monui, & in Heroid. Epist. Didonis ad Aeneam persequitur. Nos idem hac brevi Elegia comprehendimus.

Trinacrio classem solventes littore Teucros,

Aeolijs Iuno iactat iniqua Notis.

Sed Deus æquoreus Troas miseratus, obortis

Imperat hinc ventis, fluctibus inde maris.

Eius ope Aeneadæ Libycas vertuntur ad oras :

Et reparant vires, fessaq; membra cibo.

Alma Venus patrem miseris pro Troibus orat :

Cui spem Romani Cæsar is ipse facit.

Obviat hinc nato Aenea nemora avia circum

Erranti, & Tyrias in Libe monstrat opes.

Ille urbem ingressus picturam suspicit ædis :

Didonem Ilioneus supplice voce rogat.

Quo simul Aeneaq; ipso sub tecta recepto,

Sidonis hospitijs dat sua iura viris.

At Venus occultum Phœnissæ inspirat amorem,

Instruitur q; bonis regia mensa cibis.

De tractatione huius argumenti, Cap. VI.

ET si libri huius argumentum vnum & simplex est: tamen quia personæ, que introducuntur, & loci in quibus res geruntur, non sunt uniusmodi, & novæ circumstantiæ novas narrationes parunt, ideo nos librum hunc quinque partes seu Narrationes speciales complecti in se dicimus, easque instar quinque Comicorum, seu Tragicorū actuū habere censemus. Nam pro-

bè ad

bē advertenti, omnes Virgilianæ Aeneidos libri Dramatum, sive Comicorum, sive Tragorum consimiles esse manifestò apparebunt, ut in singulis, Deo volente, commōstrabimus. Et primus quidem hic liber Comœdiæ, seu Tragicomœdiæ, propter nobiliores personas, imaginem ac speciem refert. Habet enim principium triste & luctuosum, finem verò lātū, & catastrophen planè Comicam. Nam in primo actu Iuno & Aeolus immissa tēpestate Aeneam & Troianos miserè affligūt, & ab instituto itinere versus meridiem reiiciunt, ac summo capitis fortunarumq; discriminē pessimē multant. In secundo actu Neptunus cum Tritone & Cymothoe māre commotum sedat, & repulsi ventis Troianos in portum Carthaginensium perducit, ubi Aeneas socios in littore expositos victu reficit, ac cibo potuq; recreat. In tertio Venus apud Iovem pro Troianis & Aenea suo intercedit, cui Iupiter Romanā posteritatem ex Aenea & Ascanio promittit. His illa verbis erecta, & animo confirmata, Aeneæ & Achati locos explorantibus, habitu venatricis obviat, & indicatâ hominum locorumq; conditione, utrumque nebula septum Carthaginem in templū usque perducit, ubi Aeneas & Achates inter varias picturas etiam Ilij excidium in pariete depictum contemplantur. In quarto actu Ilioneus apud Didonem pro hospitio intercedit, cuius petitioni & ipse Aeneas cum

as cum Achate intervenit, & præter expectati-
onem socios , quos omnes naufragio perijisse
arbitrabatur,in regia offendit: simul à Regina
cum socijs suis hospicio excipitur,Achates ve-
rò ad reliquos è littore arcessendos & Ascani-
um adducendum dimittitur. In quinto actu
Venus Cupidinem pro Ascanio subornat , ut
Didonem amore erga Aeneam inflammet. In-
terim apparatur convivium , in quo Iopas ci-
thara canit,& varia instituuntur colloquia.

De consilio Poëta in primo libro,
Cap. VII.

 VO consilio Poëta Aeneam è Sicilia
per tempestatem in Libyam potius,
quam alium locū reiecerit , ipsem et
in vestibulo operis sui haud obscurè
innuit his versibus :

*Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat : Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populū latè regem, belloq; superbum
Venturum excidio Libyæ: sic volvere Parcas.*

Cùm enim Carthaginenses , qui Phœni-
cum & Tyriorum coloni fuerunt,maximo po-
puli Romani odio flagrarent , & pro imperij
gloria,duce Asdrubale & Annibale gravissima
bella cum Romanis tatis per gessissent, donec
tandem à Scipione Aemyliano vici , & urbs
ipsa delata fuit, ideo Poëta hoc libro odij hu-
ius cau-

ius causam & primā quāsi originem aperire voluit. Proinde Aeneam singit Iunonis invidia in Africam reiectum, & Didonis quē tum Carthaginem cōdebat, hospitio exceptum fuisse, & cūm Dido cōiungium cum eo inivisset, ipsum deserta regina profugisse, & Italiam terram fatalem petijisse. Quāe fuga cūm neci Didonis ansam præbuisset, sempiterna inter posteros utriusque, hoc est, Romanos & Carthaginenses, odium extitisse. Huc etiam respexit Silius Italicus, apud quem Iuno sic loquitur,

*Intulerit Latio, spreta me Troius, inquit,
Exul Dardaniam, & bis numina capta penates?
Sceptraqz, fundarit victor Lavinia Teucris:
Dum Romana tua Ticine cadaverar ipse
Non capiant? &c.*

Voluit igitur sapientissimus Poëta nō tantum suā gentis primordiū, sed etiam Carthaginis, quā Rom. Imperij æmula fuit, initium hoc primo libro celebrare, idquē cultiori versuum genere, quām Ennius ingenio maximus, arte rudis fecerat. Quantum verò ad imitationē attinet, etsi passim Homericos locos excerpit, & huic libro inseruit, tamen quatuor præcipue Odysseos libros hoc uno expressit. Ut enim Iuno opera Aeoli tempestatem in Trojanos & Aeneam immittit, eosquē à proposito itinere, quod è Sicilia in Italiam suscepserant, retrò in Africam pellit, ita Neptunus lib. 5. Odyss. Vlysem cui infensus erat, à suscepta navigatione ex in-

ex insula Calypſūs in Ithacam retrō in Corcy-
 ram agit: hoc tantū discrimine, quod Homeri-
 cus Vlyſſes à Calypſo muliere, cuius amore te-
 nebatur, ad regē Alcinoum defertur, noster ve-
 rò Aeneas à rege Aceſte ē Sicilia ad reginā Di-
 donē in Africā appellit, cuius in amorē ibi in-
 cedit. Deinde quemadmodū Neptunus apud
 Virgilium tempeſtatem à Junone commotam
 placat, ita apud Homerum Minerva tempeſta-
 tem à Neptuno concitatam ſedat. Præterea, ut
 Venus pro Troianis & Aenea apud Iovem pre-
 cibus intercedit, ita Minerva libro 1. Odyſſe pro
 Vlyſſe & ſocijs Iovi ſupplicat. Et ſicut ibidem
 Minerva à Iove digreſſa, Mentē Regis Taphio-
 rum faciem induit, & ad Telemachum profi-
 cicitur, eique viam & rationem perveniendi
 ad patrem Vlyſſem oſtendit, ita hīc Venus, ha-
 bitu Venatricis aſſumto, Aeneę occurrit, eum-
 que de hospitio Didonis certum facit, ſimul
 viam eō perveniendi commoniſtrat, & nebula
 ſeptum in oppidum deducit. Ilioneus verò &
 Aeneas Didoni pro hospitio ſupplicantes, ex
 libro 7. Odyſſe delineati ſunt, ubi Vlyſſes Are-
 tæ uxori Regis Alcinoi eodem modo, eadem-
 que de cauſa fit ſupplex. At Venus cupidinem
 ſubornās, ut reginam amore erga Aeneam in-
 cendat, exemplū eſt Minervę, quæ lib. 6. Odyſſe.
 Nausicaam Alcinoi filiam ad amorem Vlyſſis
 per ſomnium inflammat. Iopas denique ad
 modū Phemij & Demodici in cōvivio cantat,
 & citha-

& citharâ ludit. Aeneas igitur, ut breviter omnia complectar, personam Vlyssis atque Telemachi, Dido Alcinoi atque Calypsûs, itemque Nausicaæ & Aretæ, Iuno Neptuni, Venus Minervæ, Iopas Phemij & Demodicis sustinet. Ut autem non necessarias personas sapienter omittit: ita necessarias quasdâ alias ex suo ingenio substituit. Nam Iunoni Aeolû pulcherimè adiungit, & Aeneæ individuum comitem Achaten, quo cura & solicitude significatur, perpetuò addit, itemq; oratorem Ilionem eidem affingit, Neptuno verò Tritonem, & Veneri cupidinem annexit. Quæ omnia occultâ quadâ naturæ ratione nō carent, sicut patebit.

Postremò in hoc libro proponuntur etiam illustria virtutum & vitiorum exempla: quæ vel ad vitam communem pertinent, vt fortitudo Aeneæ in adversis, clementia & miseratione Neptuni erga afflictos: fides & amor Aeneæ erga socios, eiusdē φιλοσοφy/la erga Ascanium, hospitalitas Didonis, convivij hilaritas: & contrâ Iunonis invidia, temeritas Aeoli, parricidium atque crudelitas erga Sichæum, & si qua sunt alia: vel ad Rempub. spectant, ut principis officium in gubernatione rebellium, in sedando pacandoque tumultu, eiusdē solicitude & cura erga subditos, item divina providētia, amor Dei erga pios, precum exauditio, & multa similia, tum ad Rempub. tum ad Religionem & synceram de Deo opinionem pertinentia.

utrum

Vtrum quatuor hi versiculi: ille ego, qui quondam, &c.
Virgili sint, an secus? Cap. VIII.

VANQVAM SERVIYS ET Do-
natus, & hos securi plerique inter-
pretes Grammatici, hos quatuor
versiculos à Virgilio factos, & o-
peris vestibulo præfixos esse, pro
indubitato statuūt, & magna insuper audaciā
certò affirmant, versus istos à Tucca & Vario
demum detractos, qui totam Aeneida Augu-
sti iussu emendaverint, tamen longè aliter rem
se habere, nec fidem assertoribus temerè dan-
dam esse, rationibus, opinor, haudquaquam
frivolis, manifestum ac planum efficiam. Nam
quòd Servius & Donatus de hoc principio li-
bri primi asserunt, id tam verum est, quàm hoc
quod de semiplenis carminibus dicunt: de
quibus quid sentiendum, nostra te docebit
præfatio: tum illud item, quod Donatus ex
Niso Grammatico admodùm temerariè affir-
mat, Varium duorum librorum ordinem cō-
mutasse, & qui tum secundus erat, in tertium
locum transtulisse. Quàm enim hoc falsum &
putidum sit, ex ijs, quæ hactenus à me dicta
prolataque sunt, vel cæco apparebit. Neque
meillorum movet oratio, qui hoc exordium
à Virgilio propter adversarios institutum nu-
gantur: ne esset, qui laborem istum pro suo
venditaret. Quid enim prohibuit, quò minus

& Georgica à compilatoribus Virgilio auferrentur, cùm nec illa tali præsidio munita esset, & versas, qui in fine quarti adduntur, facilius illinc removeri potuissent, quām à principio? At cōstat inter omnes, quōd Virgilius aliquot Aeneidos suæ libros Augusto & Octaviæ recitaverit, neque ullus facile existere potuerit, qui tam augusti operis conditorem se esse falso dicitaret. Itaque nihil horum, quæ illi dicunt, metuendum fuit Virgilio: neque his rationibus mihi quisquam persuaserit, ut non Tuccam potius horum versuum autorem esse, quām Virgilium credam. Primò enim ex suprà dictis liquidò patet omnibus, præcipuū Virgilij studium fuisse, Homerum scribendo, imitandoque non solum æquiparare, sed etiam superare. Cùm igitur Homerus, ut & cæteri Poëtæ Græci, in utriusque operis principio brevissimè & dexterimè, totius negotijs summā proposuerit, minimè dubium est, quin Virgilius eam proponendi rationem non modo imitatus sit, sicut in enarratione docebim⁹, sed ambas Homeri, in utroque opere, propositiones hac una comprehendenterit, & ut eò brevior ac nervosior esset. Homericam invocationem, quam is propositioni admiscet, contramorem Græcorum Poëtarum seorsim collucarit, quemadmodum patebit. Hinc Quintilianus lib. 4. Orat. Instit. cap. 1. Docilem sine dubio, inquit, & hæc ipsa præstat attentio: sed & il-

& illud, si breviter & dilucidè summam rei, de qua cognoscere debeat, indicaverimus. quod Homerus atq; Virgilius operum suorū principijs faciunt, &c. Quorsum .n. opus erat Virgilio à sua persona benevolentiam captare, commemoratione præteriorum laborum & operum, cùm hac una propositione omnium lectorum animos sibi benevolentissimos efficeret, quòd de bellis Troianorum, & initio Albanorum, ac Romæ origine dicturū se promitteret? Quid .n. hoc aliud est, quàm officij sui erga Répub. & laudes eius cōmemoratio? quid, quod à persona Aeneæ rectius apertè, quàm à sua obliquè captare voluit benevolentia, dum inquit, se descripturum labores Aeneæ, quos terra ac mari exantlaverit, ut in Italia urbem conderet, religionē institueret, & posteritatē Albanorum regum, & populum Romanū de se propagaret? Quis .n. talem virum, tamq; insignem pietate, non lubens prædicari audiat? Sed & benevolentia non minus à persona adversariæ Iunonis captavit, quàm à persona Aeneæ, dum ostendit, Iunonem ex invidia & iniquo odio, pio Aeneæ immerito iratam fuisse, neque ullam iustum persecundi illius causam habuisse. Persius verò i Satyr. hoc exordium ab insulis Poëtis, tanquam tumidum inflatumq; fuisse reprehensum, autor est: cuius reprehensionis iustiorem profectò causam habuissét, si hos 4 tuor versiculos præposuisset

Virgilius. At hallucinatos esse, & sine iudicio
venustiss. & optimè elaboratum exordium te-
merè carpsisse, idē Persius his verbis affirmat.
Arma virum, nōnne hoc spumosum & cortice pingui?
Vtramale vetus prægrandi subere coctum.

Hoc est, ut nostra in hunc autorē habet pa-
raphrasis. Dicas fortasse, ut nunc est hominum
quorundam in reprehendendis aliorum bo-
nis laboribus audacia, etiam Maronis Aeneida
tibi inflatam ac turgidam, nimisq; affectatam
videri, cùm sic ille incipiat: *Arma virumq; ca-*
no. Sed facile est, quod respondeam. Nam id,
quod de Virgilij Poëmate obijcis, tam verum
est, ac si quis veterē & aridum ramum suberis
diuturno Solis calore penitus excoctum & de-
siccatum, tumidum, pinguem & spumosum es-
se contendat. Quod quām absurdum dictu sit,
nemo non videt. Nam Virgilij opus ita matu-
rum est, ita ab autore concoctum, & elabora-
tū ingenio, ut nullus in eo tumor, nulla pro-
fus appareat affectatio, &c. Huc facit & Vege-
tij testimonium, qui lib. 2. de Re milit. cap. I. in
hunc modum scribit: *Res militaris (inquit) si-*
cuit Latinorum egregius autor, carminis suite
statur exordio, armis constat & viris. Sed & O-
vidius lib. 2. Trist. ad Augustum Cæs. scribens,
ad hoc exordium allusisse & respexisse videtur,
cùm ait:

Et tamen ille tuæ fælix Aeneidos autor,
Contulit in Tyrios arma virumq; toros.

Quint

Quinetiam Florentinus Iurecotis ful. Digest.
lib. 45. titul. 1. de verb. oblig. l. qui extrinsecus:
exempli causâ versum aliquem notissimū ad-
ducere volens , Arma virumque cano , citare
maluit, quām Ille ego, qui quondam. Postre-
mò omnes Latini Poëtæ , qui Virgilium scri-
bendo imitati sunt, à propositione initium ca-
piunt: quod exemplis Ovidij, Silij, Lucani, Sta-
tij, Valerij Flacci, Claudiani, Manilij, Gratij &
similium commonstrare possem ac vellem, nisi
horum libri in manibus haberentur. Itaque
nihil ultrà addendum censeo , satisque osten-
sum à me arbitror , quatuor istos versiculos è
Virgilio removendos , nec pro genuinis post-
hac agnoscendos esse.

PROOEMII VIRGILIANI PARAPHRASIS, autore Nicodemo Frischlino.

BELLUM maximè memorabile scripturus
sum , quod Aenea duce Troiani in Italia
cum Turno , rege Rutulorum , & Aborigini-
bus socijs eius varia fortuna gesserunt. Pri-
mùm , quia antiquissimum , & à nullo rerum
scriptore literis comprehensum. Deinde , quia
fato quodam belli eventum gubernante , pri-
ma imperij huius initia Troianorū armis con-
stituta sunt. Nam victo ab Aenea Turno , & fœ-
dere cum Latino inito , ductaq; in uxorem eius
filia Lavinia , primùm urbē in Italia Aeneas cō-
didit , quam à nomine uxoris Lavinium dixit:

deinde, ut animos Aboriginum sibi concilia-
 ret, ne sub eodē iure solūm, sed etiā religione
 & nomine essent, sacra Troiana & Deos pena-
 tes Latio intulit, cultūq; Vestæ instituit, & u-
 trāq; gentē Latinos appellavit. Ab his deinde
 Albani reges orti sunt, qui Albam longā ab A-
 scanio conditā sub imperio tenuerunt. Vnde
 postea Romulus & Remus, primi urbis Romæ
 conditores, descenderunt. Sed priusquam ad
 bellum & arma perveniā, rem omnē paulò al-
 tiùs repetam, & sumto à Troiē captivitate nar-
 rationis initio, primò omnium errores Aeneę
 & pericula, quibus is toto illo tempore, quo ē
 patria exulavit, terra ac mari agitatus, tandem
 in Italiā delatus fuit, ordine exponam. Ma-
 ioribus enim Deorum immortalium viribus,
 & sævissimā Iunonis odio, quām culpā sua,
 tot atrocissimos labores, tamque varia peri-
 cula, & tot capitī discrimina vir optimus atq;
 innocentissimus sustinuisse non imeritò cen-
 seripotest. Quis enim illo fuit aut pietate erga
 parentem, aut fide erga socios, aut religionis
 cultu in Deos, aut vitæ innocentia, aut ullo ge-
 nere laudis præstantior? Quare non abs re mi-
 rari quis possit, quānam odij huius causæ ex-
 titerint, quōd regina Deorum tam insignem
 pietate virum nullo ipsius merito tot adversis
 casibus passim locorum obiecerit, ac tot cala-
 mitates & durissimos labores subire impule-
 rit. Sed non ea vis est humani ingenij, ut tam
 arcana

arcana Deorum consilia sine afflatu aliquo di-
vino explicare possit, cùm hoc lucidissimum
& aspectabile cœlum, mentibus nostris haud-
quaquam sit pervium, & multa nos Dij immortales
consultò ignorare voluerint. Te igitur Callio-
pe, decus Musarum, quæ cum Dijs, Deabusque
omnibus commercium habes, & omnium se-
culorum memoria vales, summis precibus oro
atque invoco, ut mihi tum in hoc toto opere
deducendo, benignè adesse, tum in primis hu-
ius acerbissimi odij, quo Iuno adversus Ae-
neam flagravit causas aperire non dedigneris.
Nam aut numē illius à Troianis violatum, aut
aliquo ipsam dolore affectam esse oportuit.
Quomodo n. Dij immortales tam adversum
odium, tamque atrocem iram, in quenquam ho-
minem, nullo illius merito concipere possint?
Atque ut hinc initium faciā, unde omnis odij
præcipua causa dicitur, urbs in Libia fuit Car-
thago, totius provinciæ clara & nobilis. Hanc
initio Tyrij & Phœnices tenuerunt, qui duce
Didone, coloniam eò duxerunt, urbemque in
adverso littore maris nostri, è regione ostiorū
Tyberis, primi condiderunt. Quod factū est,
ut nonnullis videtur, ante Romam conditam
annis septuaginta duobus, ut alijs, ante captū
Ilium annis quinquaginta: ut nobis, post Tro-
iæ excidium, eodem tempore, quo Latinus in
Italia apud Aborigines regnum tenuit Homi-
nes autē ipsi Carthaginenses, tum rerū omniū

copia, & summis opibus affluebat, tum in primis armorum gloria, & bellica virtute plurimum valebant. In ea civitate, ut perhibent, famum Iunonis perquam celebre fuit: in quo & currus illius & arma reposita erant, ac maximo a Carthaginensibus in honore habebantur.

Qua re Iuno adducta, populum Carthaginensem summo vicissim amore prosequebatur: & non modò omnibus alijs terris, in quibus colebatur, ipsique adeò natali terræ Samo urbem istam longè præferebat; sed gentē ipsam, si ulla ratione id fieri posset, neque fatis prohiberetur, totius terrarum orbis imperium obtinere volebat, idque ipsum summis viribus perficere contendebat. Sed audierat ab Aeneis & Troianorum posteritate populum Rom. vicerum, qui bellica laude & regni potentia, omnibus alijs gentibus præpolleret, ac non solum Carthaginem eyerteret, totamque Libyā excinderet: sed universo etiam terrarum orbis longè lateque imperitaret. Ita enim in fatis esse: & ut ista non fierent, nulla ratione a quocquam prohiberi posse. Huius rei metu, & memoria veteris cladis, qua Græci, acceptissimus Iunoni populus, in bello ad Ilium gesto afflicti erant, ut penè peius cum victoribus, quam cù victis actum esse yideretur, ipsa Aeneam & socios eius, terrâ ac mari, odio acerrimo insequebatur, & quibus poterat in commodis & calamitatib. assidue ipsos pimebat. Huc accedebat & aliae

aliæ causæ, quibus ira Iunonis & sævissimum odium adversus gentem Troianorum mirificè exasperabatur. Necdum enim Paridis iudicium animo eius exciderat, sed alta mente infixum hærebat, quòd is in certamine Dearum, spreta Iunone & Pallade, unā Venerem omnibus prætulisset. Tum verò & illud ægerrimè ipsi faciebat, quòd Ganymedes, Trois filius, in cœlum sublatus, & in eū dignitatis locum proiectus esset, ut neglecta Hebe, filia Iunonis, homo barbarus, & Dijs invisus Iovi pocillaretur. Ita fiebat, quod plerunque accidere solet, ut communi malorum odio innocentes pro nocentibus pœnam penderent. Nam Iuno Paridis & Ganymedis odio incitata, & quòd Cartaginensibus melius cuperet, quam Troianis eorumque posteris, Aeneam & omnes socios illius è Troiano incendio reliquos, & solos ex innumeris, qui in bello perierat, à Græcorum & immanissimi Achillis cæde conservatos, ab Italiæ aditu lögè lateque prohibebat, omnesque illis portus & regiones ac littora intercludebat. Quaratione factum, ut miseri Troiani septem annos continuos per omnia iactati maria, hinc inde erraverint. Adeò difficile ac laboriosum fuit, ut Aeneas & posteri illius Romanam de se gentem propagarent, & amplissimum hoc terrarum imperium armis consti-tuerent, &c.

DE TRANSITV ISRAELITA-
RVM PER MARE RVBRVM, ET IN-
teritu Pharaonis, Caput 14. Exod. è Virgilio red-
dendum, exercitij causa propositum à
Nicodemo Frischlino.

Ntere a Mosen rex omnipotens Olympi
Alloquitur, fulva deducens nube sequentem;
Mose, ait, armari nostris edice maniplis,
Instructaq; acie deserto è rure cohortes
Israhele satas totis descendere campus,
Est quædam anfractu valles accomoda curvo,
Tutus ab hoste locus, densis quem frondibus atrum
Urget utring; latus: tenuis quo semita dicit,
Angustæq; ferunt fauces, adit uq; maligni.
Hinc mare Erythraeum, scopulus hinc ardua Migdol,
Et montu iuga celsa iacent, tutiq; receptus.
Huc sua castra locent nota regione viarum,
Arripiantq; rubri sylvas & littora ponti:
Quippe ratus Pharaon trepida formidine septos
Desertis errare locus, & littore clausos
Terga dare Aegyptis, vastu palantia terris,
Protinus insurget, campoq; aget agmen aperto,
Et circumfuso volitabit milite paßim,
Vestigans profugos diversa per æquora servos,
Ut subito miseros hostilibus obruat armis.
Nam rabiem hanc diram illi, sevumq; furorem
Conyiciam, inq; sinu præcordia ad intima mittam,
Vipeream inspirans animam, furibundus in amne
Veruat exitium, & meritas det sanguine pœnas.

Stat delere hostem dextra omnipotente per vndas,
 Ingentemq; manu, stridentiaq; arma virorum
 Opprimere: & victis hodie spolia ampla referre
 Hostibus, vt Nili videant mea numina gentes,
 Imperiumq; meum, viresq; manuq; potentes
 Suppliciter discant colere, & non temnere divum:
 Dixit. At ille Deo morem cune milite gesit.
 Nuncius ingenti per regia tecta tumultu
 Ecce ruit, magnisq; implet rumoribus urbem,
 Pulverulenta fuga Hebreos dare terga per agros,
 Palantesq; errare viros nemora avia circum.
 Obstupuit varia confusus imagine rerum
 Impius, & vultu torvo stetit: astuat ingens
 Imo in corde furor, mixtoq; insania luctu,
 Et furij mens acta suis, & conscientia culpa
 Impulit, Hebreos nostris dimittere terris?
 Non arma inferimus, tota q; ex urbe sequemur?
 Non hos servitio premimus? prob Iuppiter ibunt
 Iudai, & Moses nobis illuserit? ite,
 Ferte citi ferrum, date tela, impellite currus.
 Nulla mora in nobis, pœnam dabis improbe Mose.
 Hæc ait, & portas & summas deserit arces:
 Poscit equos atq; alta simul, saltuq; superbus
 Emicat in currum, & manibus molitur habens.
 Insequitur nimbus peditum stridorq; rotarum
 Sexcentum, magniq; duces, simul agmine facto
 Et currus equitesq; ruunt, omnisq; relictis
 Turba fluit portis, tum cæco pulvere campus
 Miseretur, pulsusq; pedum tremit excita tellus.
 Nam Deus hunc savis ardorem mentibus ante

Addiderat,

Addiderat, meritoq; animos turbaverat oestro.
 Hebrei at miseri deserto in littore castra
 Servabant, sylvisq; & cœca valle latebant:
 Imbellis hominum numerus, matresq; viri q;
 Collecta exilio pubes, miserabile vulgus.
 Cūm manus interea profugis Nilæa propinquant,
 Compositi q; duces equitumq; exercitus omnis
 Imminet, & sevo campo magis ac magis horror
 Ingruit; h̄i subitam glomerari pulvere nubem
 Proficiunt miseri, ac tenebras insurgere campis,
 Instantesq; vident hostes, & terga prementes.
 Exemplo Hebreis solvuntur frigore membra,
 Demittunt trepidi mentes, subitoq; dolore
 Turbati insurgunt gemitu, totusq; remugit
 Mons circūm, & vocem latè nemora alta remittunt.
 Mox trepidi Mosen compellant talibus orsi.
 Heu quæ nos, clamant, tellus, quæ littora possunt
 Accipere? aut miseri quid nobis deniq; restat?
 En quò perducis? quæ nos in funera mittis?
 Hostibus infandam nostris Pharaonis ob iram
 Prodimur, & patrijs longè disiungimur oris,
 Incerti quò fat aferant, ubi sistere detur.
 Et nunc hostis adeſt, ut nos in littore mactet
 Impius, & patrio lapsantes sanguine natos
 Cruelis volvat. ô terq; quaterq; beatos,
Oneis ante ora patrum Nili sub fluctibus altis
 Contigit oppere, & duris amittere vitam
 Servitys. nos Niliacis occumbere campis
 Non potuisse? istoq; animas effundere demum
 Littore, fraude tua inductos, ô perfide Mose?

O toties precibus nequicquam orate benignis,
 Desineres turbare viros Regemq; superbum,
 Neu nos imperio velles subducere Nili.

Quid? satiūsne mori deserto in littore pressos,
 An servire fuit populo regiq; potenti?
 Heu quibus & quantis perdis nos cladibus omnes?
 Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?
 Sic omnes clamant, variusq; per ora cucurrit
 Isacidū turbata tremor: ceu saxa morantur,
 Cum rapidos omnes, clauso fit gurgite murmur,
 Vicinæq; fremunt ripæ crepitantibus undis.

Ille hæc audit is placido sic reddidit ore:
 Ne trepidate metu, pavidi neu vertite terga,
 Durate, & vosmet rebus servate secundis.
 Prospéra lux hodie nobis nova gaudia reddet.
 Nam quos aspicitis refluo de gurgite Nili
 Adventare viros, extremum cernitis omnes,
 Nec quisquam illorum patrias remeabit ad oras.
 Quaecunq; est fortuna, Dei est: hunc verius unum
 Pro vobis pugnam facere, & decernere ferro.
 Hunc sinite, atq; metus auferte: hic omnia reddet
 Firma manu, & statuet placida vos pace quietos.
 Hoc freti revocate animos, mœstumq; timorem
 Mittite: vos etiam hæc olim meminisse iuvabit.
 Talia voce refert, curisq; ingentibus æger
 Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat:
 Ingemuitq; animis, volvitq; in corde dolorem.
 Cum pater omnipotens cælo prospectat ab alto,
 Atq; illum varias iactantem pectore curas,
 Alloquitur, Quo te curis premis usque? quid istum

Clamorem.

Clamorem attollis? quóve hinc fiducia cefit?
 Incute vim pelago, mirandam erige virgam.
 Hac undas impelle maris, & cœrula ponti
 Divide, ut Hebræi sicco pede flumina tranent,
 Adversæq; omnes contingant littora sylvæ.
 Namq; animum regis, ductorumq; omne lœvo
 Decipiam, & falsis implebo pectora votis;
 Ut laxius illi vos insectentur habenis.
 Tum subito imv; iſſo rubrarum gurgite aquarum
 Demergam, & magnum referam mihi laudis honorem,
 Omnis ut Aegyptus mea numina civis adoret,
 Meq; Deum dominumq; vocent fortem atq; potentem,
 Qui tanto obruerim Regemq; ducesq; furore,
 Vastarimq; leves equites, currusq; volucres.
 Sic ait, & cœlo subitò demittit ab alto
 Aligerum iuvenem, sacrum ut præcederet agmen
 Duxq; comesq; viæ, se seq; opponeret hosti
 A tergo custos simul actus ab æthere nimbus
 In morem pilæ factus, mirabile visu,
 Inter utrumq; agmen tota se mole locavit,
 Hinc atq; hinc geminas acies seiungere iussus.
 Nam Deus ipse cava se nube obtexerat illa,
 Nocte micans clara, nec se contingere telis,
 Nec visu valuere viri, nec prælia ferro.
 Interea Moses extenta frondea dextra
 Virgultæ exeruit, & rubras percutit undas,
 Cùm subitò exoritur grandi cum murmure ventus,
 Incumbitq; mari, totumq; à sedibus imis
 Abripit, & siccas in fundo monstrat arenas,
 In partesq; rapit geminas, & flumina pontis

Stare facit, duro ceu mœnia condita saxe.
 Nec mora: Iudæi, positæ formidine, rubras
 Ingrediuntur aquas, & sicco tramite, fundo
 Insistunt imo. Quos Rex quod duces quod secuti,
 Nocte illa lato succedunt æquoris alveo.
 Postea Phœbæa lustrabat lampade terras,
 Humentem quod aurora polo dimoverat umbras,
 Cum pater omnipotens nimbo prospexit ab atro,
 Immittit quod ægris terror em mentibus altum.
 Inde rotæ avulsis solvuntur ab axibus omnes,
 Præcipiti quod ruunt lapsu, excutiunt quod superbos
 Aegypti dominos, & arena pulvere fœdant.
 In sequitur clamor quod vir ûm stridor quod rotarum,
 Et tristem ingeminant mœrorem vocibus ægris,
 Exoptant quod fugam, & summi testantur lovæ,
 Quam meruere iram. Tum Moses æthere ab alto
 Iussus, in immotas virgam rursum exerit undas,
 Et pontum impellit. Subito tunc astus aquarum
 Ingruit, & veteri labuntur flumina cursu.
 Obruit unda viros, immersit quod æquore currus,
 Et volucres evertit equos, atque omne Pharonis
 Robur aquis perimit, ne tanta e strage superstes
 Vnus, ibi accepti mœroris nuncius iret.
 At medij ponti servantur cœlitus undis
 Iudæi, & siccis transcurrunt æquora plantis.
 Nam mare præruperum dextra lauaquod rigebat,
 Ceuscopuli, & duro quæ constant mœnia saxe, &c.

Vvolffgangus Comes ac Do-
 minus in Castel, &c. F.

ORATIO

*DE EXERCITATIONIBVS ORATORIIS ET POETICIS,
ad imitationem veterum, recte utiliterq; insti-
tuendis Vvitebergæ Anno
1587. recitata.*

X ET SI VEREOR, MAGNIFICE D.
Rector, Illustrissimi Principes, Ge-
nerosissimi Comites ac Barones,
viri pietate, sapientia, doctrina, &
virtute præstantissimi, Doctores
& Professores clarissimi, auditores nobilissi-
mi humanissimique, Etsi vereor, inquam, ne
me plerique vestrū temeritatis arguendum
putent: quod in hunc amplissimum dicendi
locum venerim, qui neque publica auctorita-
te sum armatus, neque ad docendum in hac
celeberrima & laudatissima Academia, à quo
quam vocatus, neque ad hanc ipsam rem, de
qua verba facturus sum, propter istud tempus
meum, satis instructus, tum insuper ad hanc
quoque orationem, quam non ad vos omnes,
sed ad paucos tantum, & eos præcipue, qui sua
apud me nomina profesi sunt, recitare con-
stitueram, valde imparatus: tamē non parum
mere-

me recreat in his difficultatibus, tūm loci hu-
iū conditio, tūm Academīæ ipsius ratio, tūm
verò in primis animorum vestrorum erga me
æquitas atque humanitas. Nam si loci huius
amplitudinem considero, quę fortè aliquem à
dicendo magis deterrere, quām huc invitare
possit, video ego ex hac ipsa cathedra, tanquā
ex fonte quodam Hippocrenes, illa ipsa studia
eloquentiæ, de quibus dicturus sum, nunc o-
lim promanasse, & hinc ad varias gentes, vari-
osque populos, in multas regiones & urbes,
per magnum illum Germaniæ nostræ Apollin-
em, Philippum Melanthonem, transmissa ac
propagata fuisse. Scholæ verò eam rationem
esse intelligo, ut nulli docto & artium illarum
perito, quas Philippus ille, è Barbarico cœno
primum exemptas, & è densissimis superiorum
temporum tenebris erutas, in clarissimam lu-
cem protulit, interdictum sit, publicè priva-
timque, easdem explicando illustrare, aut po-
tius illustrando explicare. Sed & procerum
laudatiss. & inclytæ huius scholæ, quos D e v s
Melanthonij thesauri, in hac Academia depo-
siti, custodes esse voluit, animadverto talem
esse tum erga omnes bonarum artium, tum in-
primis erga me etiam, æquanimitatem ac be-
nevolentiam, ut ad eam nihil ferè amplius pos-
sit accedere. Quomodo igitur non alacriter
dicam de re oratoria, ex hoc loco, unde tot
pulcherrimæ orationes, à Philippo Melantho-

ne, de eadem materia, s^ep^e numero, tum suai-
 p^sius, tum aliorū voce recitat^e sunt: quomo-
 do non hilari & excitato sim animo, qui in hoc
 laudatissimo tot doctissimorum virorum cæ-
 tu, aliquos intueor, qui viventē adhuc Philip-
 pum, & suavissimē modulantem Philomelam
 totius Germanię, suis aurib. audire? O verē
 beatam hanc cathedram, quę tantum in parvo
 corpore virum, capere potuit! cuius laudes nō
 capit universa Germania, ac ne universus qui-
 dem terrarum orbis. O aureum illud seculū,
 quo trium iste linguarum Phœnix, & restaura-
 tor ac repurgator omnium artium & discipli-
 narum liberalium, vixit & viva voce hunc am-
 plissimum locum implevit! O felices illos,
 quibus illius ora tueri contigit, & veras audi-
 re ac reddere voces. Non despero, quanquam
 hominum animi incipiunt languescere, & stu-
 dia nostra liberalia paulatim in antiquam Bar-
 bariem relabi, ac retrò sublapsa referri, fore
 adhuc aliquos, quibus vel propter hunc locū,
 è quo primū in Germania revixerunt artes,
 vel propter Philippum, per quem suus illis vi-
 gor restitutus est, hæc studia non modò gra-
 ta sint, sed etiam curæ illorum & summo fa-
 vori, patrocinioq^{ue} commendata. Nam s^e-
 pè fit, ut quarum nos rerum non movet utili-
 tas, earum tamen specie & voluptate capia-
 mur, præsertim si è locis longinquis, & ex re-
 gionibus dissisitis, atque etiam à charis amicis,
 nobis

nobis offerantur. Quantò igitur magis hæc studia, quæ nobis in hac celeberrima Academia per manus Philippicas tradita, atque ad hunc usq; diem conservata sunt, nos afficere, nobisque grata esse debent? Docti n. non solum vivi, ac præsentes, studiosos discendi eridunt, atq; docent, sed hoc idem etiā post mortem, monumentis literarum assequuntur. Et quomodo veterum ac recentium quorundam libri, non perinde nobis curæ sint, ut fuere nostris maioribus: quando illorum usus hodie non minor est, atque olim fuit? Nam ut de Oratoria solum arte dicam (propter hanc enim omnis hæc mihi instituta est oratio) si ad effectum illius respicias, qui certè nihil est aliud, quam docta, diserta & elegans, proprijs quæ verbis & gravib. sententijs, ornata ac perpolita oratio: quis, quælo est omnium, qni nō intelligat, quantum possit eloquentia in ob-eundis legationibus, in exponendis Senatus populiq; mādatis, in habēdis concionibus, in moderanda plebe, in regendo senatu, in exturbandis improbis civibus, in seditionū repres-su, suasione & dissuasione legum ac statutorū, exornatione funerū, laudationib., causis publicis, periculis civium, consiliorum tractatione, militum animis vel comprimendis, vel concitandis, in omni re denique, quæ explicanda sit verbis, ornanda sententijs, illustranda oratione? Sed quando de hac re sāpē dictum

est ex hoc loco, & s^ep numero gravissimis o-
 rationibus, ab huius scholæ Professoribus, cō-
 monstratū, quæ tum ipsius artis, tum Eloquen-
 tiæ, quæ quidem ex illa acquiritur, sit magni-
 tudo, dignitas, utilitas, necessitas: nolo ego
 de rebus his, quarum dubitatio non est, hoc
 loco dicere. Cure enim apponam vobis crān-
 ben recocētam? cur actum agam? cur id e-
 doceam, quod nemo ignorat? cur Orato-
 riā artem laudem, quæ ipsa semet ipsam cō-
 mendat, & quam nemo prudens, nemo sa-
 piens, nemo vir bonus, unquam vituperan-
 dam esse censuit? Si enim homini nihil me-
 lius datum est à D^eo immortali, quām mens
 atque sermo, ut quæ homo mente concipiatur,
 verbis cum aliò communicare possit facile in-
 telligitis eum, qui ambo hæc diligenter exco-
 luit, tantò perfectiore ac meliorem esse, ru-
 dibus & incultis hominibus, quantò cæteris
 animantibus homo dignior est atque prestanti-
 tor. Et quantum ad mentem attinet, exco-
 litur illa, in hac literaria Republica, studijs o-
 ptimarum doctrinarum: ut est studium The-
 ologiæ, ut Iurisprudentiæ, ut Medicinæ, ut
 Philosophiæ, ut Historiæ, ut Poëticæ, ut Ma-
 thematum. Nam hinc rerum optimarum, &
 saluberrimarū cognitione animus noster im-
 buitur: ut sciamus, quid sentiendū sit de D^eo,
 eiusque vero cultu, quid de Ecclesia, quid de
 scriptis Propheticis & Apostolicis, quid de
 Repub-

Republica, de Iure & legibus, de præmijs bo-
 norum & pœnis malorum, quid de morbis,
 de que illorum remedijis, quid de natura rerū,
 de cœlo & astris, de herbis & plantis, de varijs
 animalibus, quid de vita, de moribus, de va-
 rijs hominum actionibus, de consilijs, eorum-
 que progressu & eventu, deniq; etiam de no-
 titijs, quarum adminiculo, homo rationis par-
 ticeps, perspicit quid in unaquaque re verum
 sit, quid consentaneū cuiq; quid consequens,
 quid contrarium. Et quanquā in has res mul-
 ti hodie totis mentibus atque animis, sibi insi-
 stendum putant, ut earum sibi comparare pos-
 sint notitiam: (quod quidem nos studium, ut
 per se honestum & laudabile, haud quaquam
 reprehendimus) tamen nisi etiam sermo, quē
 & ipsum homini Deus, præ cæteris animanti-
 bus, cōcessit, ad res, quæ in mente atq; animo
 hominis concipiuntur, accedat, frustra est,
 quòd multum studij ac multum laboris & im-
 pensarum, consumimus, in acquirenda rerum
 omnium, quas dixi, sola cognitione. Quòe-
 nim, per immortalem D E V M, prospic optima-
 rum & maximarum rerum scientia, nisi possis,
 quæ tecum sentias, verbis idoneis proferre, &
 animi tui conceptus cōmodo orationis gene-
 re explicare? aut quid pdest ut rectè quis sen-
 tiat, si id, quod sentit, politè eloqui non pos-
 sit? aut quòd confert multa scire, & nihil posse
 dicere? aut etiam multa dicere, & nihil com-

mode? Garrire, hoc est potius, & inani verbo-
 rum strepitu animos hominum obverberare,
 quam animos auditorum afficere, & scientia
 tuæ partes aliquas, veluti aculeos quosdam, a-
 liorum mentibus infigere. Quod cum ita sit,
 proposui mihi non de eloquentia, sed de mo-
 do & via, ad illam perveniendi, in præsentia
 dicere. Ea autem cum omnino duplex sit, una
 quæ arte Oratoria traditur, altera quæ exerce-
 tatione comparatur & stylo, qui quidem di-
 cendi magister est: ut Quintilianus ait: Ego
 priori omissa, de posteriori tantum ad vos ver-
 ba faciam. Nam quod ad artem attinet, ea
 à Philippo Melanthone, duobus libris ita com-
 prehensa est, ut nihil in hoc genere, ex recen-
 tum scriptorum, præsertim ex novellorum
 quorundam Rhetorum libris, extet perfe-
 cius, nihil absolutius. Eadem quoque ars
 hæc ab huius Academiæ Professoribus ita tra-
 ditur, & exemplis illustratur, ut si quid velim
 ego ad istam docendi rationem afferre am-
 plius, non immerito dici possim, NOCTVAS
 ATHENAS. Quantum vero ad exercitatio-
 nes attinet, quanquam ne his quidem studio-
 sa iuventus hic destituitur, quia tamen in ma-
 gna auditorum frequentia multi sunt, qui ex-
 colendo sermone plus operæ & laboris pone-
 re cupiunt, quam alijs studijs, non putavi e-
 go, rem me illis facturum ingratam, neque in-
 utiliem, si ad conatus eorum iuvandos ac pro-
 moven-

movendos, aliquid mēx quoq; operæ atq; in-
 dustriæ conferrē. Hoc autē quale sit, & in qui-
 bus rebus consistat, paucis aggrediar dicere.
 Est n. exercitatio omnis, tam Oratoria, quām
 Poëtica, ferè nihil aliud, quām quædam bo-
 norum auctorum imitatio, & similiūm operū
 cum alijs effictio. Is enim optimè censetur i-
 mitari aliquem auctorem, qui illi est in com-
 ponenda oratione simillimus, non tamen idē.
 Nam eundem esse cum alio, non est imitari,
 sed furari, & omnino plagium committere.
 Harum verò exercitationum duo sunt gene-
 ra: Vnum, præexercitamentum, Græcis *πρό-
 γύμνασταις*: quasi præludium quoddam: qualia
 sunt Aphthonij Rhetoris, & Theonis Sophi-
 stæ Progymnasmata: alterum verò genus, est
 exercitatio Oratoria & Poëtica, quæ in scho-
 lis vulgo appellari solet **D E C L A M A T I O.**
 Ut enim in bello, ubi iam ad arma perventum
 est, non statim pugnainitur, neq; mox omnis
 exercitus in aciem educitur, sed equites ac ve-
 lites, quædam inter se miscent prælia, & vires
 invicem virtutemque explorant: ita in arte o-
 ratoria, non statim ad Declamationes, veni-
 dum est, neque omnia præcepta artis, uno
 quasi momento, simul in usum traducenda:
 sed initio quædam quasi velitationes ingenio-
 rum præmittendæ, & singularum, quæ in arte
 sunt, præceptionum usus monstrandus est.
 Nam sicut pueri in arte Grammatica, priusquā

verba & Nomina, eorumq; Syncategoremata
 discant, per Regulas Syntaxeos coniungere,
 docentur simplices primū voces variare: ita
 omnino etiam in arte Oratoria, rectè exerci-
 tanda, faciendum est, ut singillatim propo-
 nantur quædam transferenda in usum, donec
 Oratoriæ studiosus, rectè doctus, tractare par-
 tes Orationis Rhetoricæ, tandem etiam pos-
 sit orationem tractare integrum. De harum
 autem exercitationum ratione, tam in Poë-
 tica, quam in Oratoria facultate, iuste & cum
 fructu discentium, instituenda, dum breviter
 & perfunctoriè magis, quam oratoriè dico:
 Oro te Illustrissima & clarissima, nobilissimo-
 rum & doctissimorum hominum corona, be-
 nevolè me balbutientem magis, quam pero-
 rantem audias. Nam in hoc argumenti gene-
 re tractando, magis scholastico, quam Orato-
 rio dicendi genere mihi utendum est: & omni-
 no à consuetudine forensi recedendum. Non
 enim hic causam agemus corā iudice, sed mo-
 dum iuventuti ostendemus, & viam, qua stu-
 diosi Oratoriæ incedentes, possint eum finem
 invenire, quem quærimus. Nam quod Ma-
 nilius de arte Astronomica dixit, hoc nos i-
 dem etiam de nostra hac via dicere possumus:
 Ornari res ista nequit, contenta doceri.
 Tria autem cùm sint spectanda in omni ex-
 ercitacione, sive imitatione, nempè ver-
 ba, sententiæ, & facta, sive exempla, nos
 de

de verbis prius agemus. In quo ignoscunt mihi doctiores, si quædam repetam, quæ iam ante nota sunt omnibus. Hec autem duplia sunt, vel simplicia, ut nomina & verba¹, & horum Syncategoremata, de quibus in Grammaticis vel coniuncta ; quorum illa à Græcis λέξεις, hæc phrases dicuntur. Sed ambo hodie in lingua Latina, ex usu loquendi & familiariter consuetudine evanuerunt : ita ut neque verba Latina, neque eorum phrasis, ulli iam genti sit materna atque vernacula. Conservavit tamen ea nobis Deus in bonis auctoribus, qui recte & emendatè locuti sunt, siue sint Oratores, siue Historici, siue Philippi, siue Poëtæ. Quorum è libris cum sermo Latinus omnino sit discendus : nobis in tractatione & observatione verborum, tam simplicium, quam cōiunctorum, duo hæc spectanda sunt: proprietas, & usus loquendi. Nam & propria oportet esse verba & omnino illius rei, quam concepisti animo, quædam quasi symbola, quæ genuinam eius, & propriam naturam exprimāt. Sed quoniam Latini scriptores, in verborum structura non sunt cōformes, sed alij alijs locuti sunt tersius, venustius, elegantius, quidā etiam magis propriè, quam alij : siccirco ante omnia, in verbis delectus quidam est habendus. Nam in phraſi Poëta ab Oratore longissimè recedit. Etsi enim Poëtæ quoque propria habēt vocabula, & eandem omnino cum Oratore rerum No-

menclaturam , & eadem ferè verba eademque
 Nomina , atque etiam Syncategoremata : ta-
 men in phrasī & structura sermonis plurimum
 differunt . Sæpe enim Methaphoris utuntur
 remotioribus , & impropriè aliquid dicunt ,
 quod Oratori nō sic liceret dicere . Quis enim
 Orator ita loqui velit : Tuus Reginalabor est ,
 quod optes explorare : mihi fas est iussa capel-
 sere . Tu enim concilias mihi quodcunque hoc
 regni est , tu sceptrā , tu Iouem : tu das accum-
 bere Divum epulis ? Etsi enim numerorum vin-
 cula his verbis ademta sunt : tamē non ubique
 servata est in his , à Poëta proprietas . Nam sic
 dicet Orator : Tuum est regina imperare mihi ,
 & omnino explorare , quod per me tibi effe-
 dum velis : meum verò obtemperare , & quæ
 tu iusseris , summo studio , totaque animi mei
 contentionē exequi . Nam hoc regnum me-
 um , quodcunque est , id totum mihi tua virtu-
 te partum est . Tu enim hoc sceptrum mihi de-
 disti : tu Iovem mihi conciliasti , atque ita con-
 ciliasti : ut illius quoque epulis nunc assidere
 possim . Nam , quæso vos , per immortalem
 Deum , annon ridiculus sit Orator , qui Ovidi-
 um imitari velit ac dicere : O tu edax rerū tem-
 pus , tu vetustas odiosa , quæ destruitis omnia ,
 & omnia ævi dentibus vitiata , paulatim lenta
 morte cōsumitis ? Ita enim Cicero dicit : Nihil
 est tam firmū , quod non aliquādo conficiat at-
 que consumat vetustas . Quām item ridiculus
Historicus,

Historicus, qui suam historiam nullo adhibito delectu, sic ordiatur? Aggredior arma canere, & virum illum, qui primus ab oris Troiae venit in Italiam, & Lavinia littora. Sic enim Salustius incipiāt: Bellum maximē memorabile scripturus sum, quod Aenea duce, Troiani in Italiam delati, contra Rutulos, & eorum regem Turnum, varia fortuna gesserunt: &c. Atque hæc non eò profero, ut adolescentes velim à lectione Poëtarū deterrere, quò illos maxime invitare cupio: sed ut ostēdam illis, quomodo imitandi sint Poëtæ: nempe adhibito verborum delectu. Non enim omnia Poëtarū verba sunt Tropica, aut figurata, aut impria, sed quædam tantum: plæraque vero propria: quibus si numerum demas, planè erunt oratoria. Itaque Persius in prima Satyra illos valdè reprehendit, qui affectatè scribunt, & nihil propriè dicūt in carmine, Quàm enim stulta hæc sunt, quæ ibidem ridet Persius:

*Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lincem meneas flexura corymbis
Evion ingeminat: reparabilis affonat Echo.*

Portenta verborum, & monstra phraseon: quæ quia nō possunt intelligi, debent negligi. Quò enim sermo Poëtæ est clarior, & proprietati cognatior, eò melior, eoque suavior. Non igitur nihil imitandum est Oratori in Poëta, quia nō omnia quod ut intelligat Iuniores (cū his

his enim mihi iam negotium est, non cum do-
ctoribus) dabo huius rei exemplum. Virgil. 2.
Aeneid.

*Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro, nec tela, nec ulla
Vit avisse vices Danaum: & si fata fuissent,
Ut caderem, meruisse manu.*

Deme hic numerum, & multa habebis pro-
pria, multa quæ ipse Cicero non dixisset aliter.
Testor vos Troiani cineres, te extrema meo-
rum flamma, me nulla hostium tela, nullas in
occasu vestro vices vitavisse, & si ita fata tulis-
sent, ut caderem, manu meruisse. Vide enim
quomodo Cicero hoc ipsum dicat, in oratio-
ne pro Sestio: Vnum (inquit) mihi restabit il-
lud: quod forsitan non nemo vir fortis, & acris
animi magnique dixerit, Restitisses, repugnas-
ses, morte pugnans oppetisses. De quo te, te
inquam, patria testor, & vos penates, patrij: q:
Dij, me vestrarū sedium templorumque causa,
me propter salutē meorum civium, quæ mihi
semper fuit mea carior vita, dimicationē ex-
demq: fugisse. Nam quid aliud dicit sub perso-
na Aeneæ, ad Didonem loquentis Virgilius, si
numerū versibus adimas quam hoc? Vos, vos
inquam, cineres Troiani testor, & vos penates
patrij: q: Dij, me vestrarū sediū templorumque
causa, nullas hostium vices, nulla tela devitasse:
& si tum in fatis fuisset, vt morte pugnans op-
peterem, hac, hac inquam, manu istud prome-
ruisse.

ruisse. Erasmus certè Roterodamus, quamlibet
 Orator copiosus & elegans, hoc tamen di-
 scrimen in selectu veterorum, non ubique ser-
 vavit. Itaque sæpe Poëticas Phrases solutę ora-
 tioni admisit. Sed reprehendit hōc antiquis-
 simus linguae Latinæ auctor, vir Græcis literis
 & latinis eruditissimus, ut à Cicerone appelle-
 latur, M. Terentius Varro. Ita enim lib. 8. de
 ling. Lat. Orator, inquit, non debet in omni-
 bus uti, quod sine offensione non potest face-
 re: Cum Poëtæ TRANSILIRE LINEAS im-
 punè possint? Non possum hoc loco mihi tem-
 perare, quin accusem quorundam inertiam.
 Nam multi sunt, qui expertunt quidem hanc
 quam dico, verborum proprietatem, & nihil
 optant magis, quam ut cōcepta animi possint
 idoneo & proprio, cumque ipsis rebus nato,
 sermonis genere efferre: interim tamē neque
 ipsi legunt probatos autores, ut hanc sibi ver-
 borum proprietatem inde comparent, neque
 ea, quæ à me & alijs inde, tanquam è penu de-
 promuntur, multum curant, sed ne legere qui-
 dem dignantur. Tum quando aliquid latinè
 vel dicere, vel scribere coguntur, destituti pro-
 prijs verbis, hærent tāquam mures in pice. Ibi
 demum hæc eorum oratio: magna est vocabu-
 lorum penuria, magna inopia: plures enim
 sunt res, quam verba. Nam quis auctor Latini-
 nus, hæc rem suo nomine proprio nominavit?
 Et profecto non omnino falluntur: cum nihil

sit quod orationis cursum magis impedit, quam propriorum verborū defectus. Sed miseri dum conqueruntur de orationis paupertate, interim non vident ingeniorum suorum curtam supellec̄tilem. Annon enim Adrianus Iunius tibi Nomenclatorem de dit locupletissimum? annon post Iunium ipse tibi dedi trilinguem Nomenclatorem, in quo habes ultra tredecim millia Græcorum & Latinorum vocabulorum? Et tu qui millia nondum tenes memoriter, adeo iniquus es Latinis literis, ut in scholam venias oratoriam, & Nomen clatore vel meo, vel Iunij non instruētus, ausis accusare paupertatis atque inopiarum linguas tam divites? Sed venio etiam ad alterum caput, quod in verbis observandum dixi, quod est usus loquendi, in probatis auctoribus. Eum Philippus noster appellat sermonē Grammaticum. Et quanquam Fabio teste, non idem est Latinē loqui, quod est Grammaticē: quia tamen Latina oratio è libris hodie solis perdisceatur, non malè dicitur sermo Grammaticus, qui est sermo Latinus. Pugnant autem cum hoc usu sermonis verba obsoleta, & usu antiquata, ut sunt Enniana, Paccuviana Cæciliana, Acciana: qualia sunt mis pro mei, tis pro tui: Verba NOVA, amantote, docentote; Denique verba BARBARA, & nostris quibusdam scriptoribus valdē usitati Germanismi. Hic ego
 vos

vos omnes quotquot tum honoris mei causa,
 tum discendi studio, adestis, vos, inquam, vos
 omnes oro, & per Priscianum vapulantem ob-
 testor: benignè ut aures detis mihi: & igno-
 scatis, si quid liberius in homines obstinatos,
 & de manifestis erroribus convictos, in medi-
 um brevissimè protulero. Quàm enim stu-
 diosè sermonem Grammaticum futuro ora-
 tori commendet Philippus: quàm operosè
 hoc ipsum totò libro primo agat Quintilia-
 nus, hoc neminem vestrum latere arbitror.
 Quæ igitur tandem amentia est, crucem effer-
 re masculino genere, in arte Grammatica:
 quia Ennius dixerit: Magno cruce? quæ fa-
 cuitas, dicere, stirpe antiquo, quia Actius di-
 xerit stirpe supremo? quæ pertinacia, contra
 omnem latini sermonis consuetudinem, dice-
 re proba homo, docta homo? quæ impuden-
 tia obstinatorum Grammatistarum huius tem-
 poris, quod dicunt verbalia nomina in A esse
 utriusq; generis tam fœminini, quam masculi-
 ni, ut sunt scriba, lixa, rabula, verna, pincerna,
 collega, auriga, aduena, incola, indigena, terri-
 gena? Nam quis vestrum est, qui ista legerit
 unquam cum fœminino Adiectivo posita &
 constructa, apud ullum bonum scriptorem?
 Sed præstat audire veteres, quando non-
 nulli Grammaticuli, istas sordes in scholas
 Grammaticas hodie reducunt, & nobis Latini
 ac Ciceroniani sermonis mūdiciem malitiosè
 conspur-

conspurcant. Sic enim Quintilianus lib. i. cap. 6. Auctoritas ab oratoribus vel historicis peti solet. Nam Poëtas metri necessitas excusat: qualia sunt imo de stirpe recisum. Idem Quintilianus lib. 8. cap. 6. In illo, inquit, plurimum erroris, quod ea quæ Poëtis permissa sunt, con venire quidam & iam profæ putant? Nam Poëtæ & omnia ad voluptatem referunt, & plu rima vertere etiam ipsa metri necessitate co guntur. Idem lib. 10. Meminerimus non per omnia Poëtas esse oratori sequendos, nec li bertate verborum, nec licentia figurarum. Ser vius quoque in illud Virgilij, Aut oculis capti posuere cubilia talpæ, Mutavit GENVS, nam hæc talpa dicitur. Idem in fine 3. Georgico rum in illud: timidi damæ cervique fugaces, MUTAVIT GENVS: ut vitaret οὐοιοτέλευτην Nam Horatius fœminino genere posuit dicen do: Et superiecto pavidæ natarunt, æquore damæ. Cur igitur dubij generis dicamus in Grammatica, quæ sunt generis certi? cur promiscui quæ sunt distincti, sive discreti? cur gen erum duorum, quæ sunt generis unius tan tum? Nam quis probatus auctor, dixit parus cristata, galerita, montana? quis nominibus anser, pasler, acipenser, legit fœmininum Ad iectivum à probato scriptore additum? Re stè igitur Scaliger, in libro de causis lingua Latinæ capite 79. ostendit, quod veteres pro miscuum genus negligentissime invexerint. Et

Et quis est omnium tam remotus à literis, ut
nesciat quid Virgilius, quid Horatius, quid
Persius, quid Martialis, Poëtæ de obsoletis &
antiquatis verbis & phtasibus senserint? Nam
quis nescit Virgiliūn cùm interrogaretur,
quare Ennium legeret, respondisse, aurum se
quærere è sterquilinio. Quin verò & Hora-
tius de Ennio & antiquis: Ennius (inquit) &
sapiens, & fortis, & altet Homerius, ut Critici
dicunt, leviter curare videtur, quòd promissa
cadant, & somnia Pythagorea:

Et mox:

*Interdum vulgus rectè videt: est ubi peccet:
Si veteres ita miratur, laudatq; Poëtas
Ut nihil anteferat nil illis comparet, errat:
Si quadam nimis antiquè, si pleraq; durè
Dicere credat eos ignavè multa fatetur,
Et sapit, & mecum facit, & love iudicat æquo.*

Persius quoque in prima Satyra Accium
venosum, id est, durum & asperum vocat. Nam
ut Fabius refert de Actio, & Pacuvio, N I T O R
& summa in operibus colendis manus, defuit,
non eorum culpa, sed temporum, quibus stu-
dia adhuc erant inculta. Martialis quoque de
istis ambobus:

*Attonitusq; leges terrai frugiferai:
Actius & quicquid Pacuviusq; vomunt.*

Quæ igitur est nostratum Grammatico-
rum fatuitas, quòd pro auro Virgiliano ap-
ponunt nobis in schola Grammatica (date

verbo veniam) stercus Ennianum? & quod
 pro pipere nobis agyrtæ isti vendunt muscer-
 dam? quæ iniquitas pro cultissimo ac tersissi-
 mo sermone Horatij proferre vomitum Accij
 atq; Pacuvij? Abolita, inquit Fabius, & abro-
 gata retinere, insolentiæ cuiusdam est, & frivo-
 lae in parvis iactantiæ. Nam in usu loquendi ad
 probatos auctores respiciendum est, non ad
 Grammaticos, sæpè aliquid sine ratione ex A-
 nalogia proferentes. Rectè enim Charisius, qui
 Prisciano fuit antiquior. Homo, inquit, et si ex
 communi sexu intelligitur, tamen masculino
 genere semper dicitur. Nemo enim malam
 hominem dixit. Et Marcus Terentius Varro
 nusquam dicit, hic & ~~hæc~~ homo: semper & u-
 bique in novem suis libris, hic homo. Nam
 quod obijciunt de Servij Epistola: quoniam
 Tullia, Ciceronis filia, homo nata fuerat, scire
 debuissent, & è Curione didicisse, quòd parti-
 cipia non respòdent prædicatis, sed subiectis:
 ut Hinc vester Axilla factus est Quid? Ala. Vi-
 den' factus ala, non facta ala. O mihi perpe-
 tuum nata puella malum. Ovidius: Puella na-
 ta, quid nata? nata malum perpetuum, non
 NATVM. Christus pro nobis est factus: quid?
 Victima. En factus victima: non facta victima.
 Subiecto enim debet respòdere participium:
 Tullia est nata, quid? Nata homo, non natus
 Tullia. Viden' eodem modo nata homo, non
 natus, quomodo: factus victima, non facta na-
 ta ma-

ta malum, non natum: factus ala, non facta. Amicus igitur meus Priscianus, amicus Diomedes. Sed in re manifesta omnibus, amica magis veritas. Non enim hæc dicuntur in contemtionem summorum virorum, quos meritò omnes admiramur, veneramur, colimus atque suspicimur, sed studio quodam veritatis: quod ipsis quoque curæ & gratum fuisse cognovimus Neque enim ulli debet esse dubium, si homines viverent, & ista legerent, quæ interea prodierunt sub nomine utriusque Scaligeri, patris & filij, sub nomine Iusti Lipsij, Anthonij Mureti, Adriani Turnebi, Augustini Saturnij, quin viri sumimi & acutissimi iudicij, multa veterum Grammaticorum & Rhetorum quoque placita, pro nugis agnoscerent. Rectè enim Scaliger & verè contra quosdam plagarios Philippi (qui ipsi surripuerunt totam suā Grammaticam & totam conspurcarunt novis erroribus) Atque equidem, inquit, sæpenus miratus sum mortalium vel audaciam, vel pertinaciam, qui tuerentur errores, quos illi, qui commisere, si viverent, emendarent. Neque enim errasse turpe est. Est enim IN TITIVM SAPIENTIAE, si non ei ipsis, qui falluntur, at alijs, non fallendi. Dixi pauca hæc de verbis antiquis, iam etiam de Novis. " Tam enim pugnant cum sermone Grammatico verba nova, & novæ phrases atque inusitatæ veteribus: quam verba antiqua & antiquæ phrases:

usitatis (ait Fabius) tutius utimur : Nova non
 sine quodam periculo fingimus . Nam si re-
 cepta sunt , modicam laudem afferunt oratio-
 ni : repudiata , etiam in iocos exeunt . Tale vo-
 cabulum novum , quod usu doctorum tamen
 hodie receptum est , sed modicam afferat lau-
 dem , teste Fabio , est INGRATITUDO , ut
 demonstrat Scaliger cap . 70 . de lingua Latina .
 Item carentia , pro privatione , vocabulum
 planè novum . Pænitentiam quoque dicimus
 ex Analogia magis , quam ex usu loquendi , si-
 cut licentia à licens . Sic novum est quod Do-
 natus dicit , hic & hæc nostras & hoc nostrate .
 Nam Solæcismum feceris , si dixeris , vinum
 nostrate : Collegium Medicorum Tolosate :
 municipium Arpinate . Usitato enim sermo-
 ne Grammatico (quem vides esse in bonis
 probatisque auctoribus , qui emendatè & po-
 litè locuti sunt) dicendum est tibi : Hic & hæc
 & hoc Arpinas , Fidenas , Tolosas , Capenas ,
 Casinas , nostras , vestras , cuias . Sed & hoc
 novum est nomen , quod Isidorus omnium
 indoctissimorum scriptorū arrogantissimus ,
 ut à Valla rectè appellatur , nobis effinxit : Hic
 Strigil , pro hæc Strigilis . Itaque Philippus
 noster hæc inquit Strigil , de quo dubito , re-
 ctiusne dicatur strigilis . At Nominativi termi-
 nationem è Cicerone discimus , qui dicit : Ac-
 cedat ampulla & strigilis . Rectè autem Philip-
 pus contra Isidorum fœminini facit generis ,
 addu-

adducto versu Horatij ex Sat. sept lib. 2. Furtiva muta strigili qui prælia vendit. Porrò autem & hæc nova sunt, quæ Donatus ponit in paradigmatis verborum, amantote, docentote, leguntote, audiuntote, feruntote, suntote: perinde ac si idem sint. cū usitatis amanto, docēto, legunto, audiunto, ferunto, sunto. Nam hæc apud probatos auctores legimus, illa nusquam occurunt. Persius: Grande locuturi nebulas Helicone legunto. Horatius: Non satis est pulchra esse poëmata, dulcia sunto: Et quocunq; volent animum auditoris agunto. Idem: Irriguumq; mero sub nocte corpus habento. Non autem reperias tale Imperativi verbum apud Ciceronē de legibus, non apud Livium, non apud Plautum, non in toto Pandectarū opere. Quorsum igitur prodest, nova & inusitata doceri, in Grammatica, quorum nullus possit esse usus in sermone, in loquendo, in scribendo? Multa hīc consultò prætereo, quæ à nobis ali- bi sunt refutata. Neque n. te auctoritas Donati Supposititiij moveat, ut contra usum loquendi, cum ipso ineptias. Nam vulgaris iste & novus Donatus tantum discrepat à Donato, qui commentarium in Virgilium & Terentium scripsit, Divique Augustini præceptor fuit, quantum Afinus à Leone differt. Scribunt enim repugnantia, uti suo loco docuimus. Hæc multi non animadvertisentes, hodie repente sunt ex malis Grammaticis mali Rethores: De-

madem illum imitando, qui (ut est apud Sextum Philosophū) ex remige, subito factus est Orator. Itaque reperiuntur quidam præcones scriptores, qui in schola Grammatica non benè instituti à suis Magistris, ad scribendum veniunt, & librum aliquem compilant, atque in lucem edunt. Quem verò librum? scatentem Solacismis, Barbarismis, Germanismis. Quod ne quis vestrūm putet in insontes dictum, quæso vos, legite primum Celetissimi Grammatici Dialogūm: qui nunc exit. Nam in eo luculentissimum huius rei exemplum habituri estis. Sunt quidem, ut hæc etiam obiter moneam, multæ hodiè res novæ: nova hominum inventa: quibus, in lingua s.l.a. gens quælibet nova imponit nomina: (vulgaris enim magister est sermonis) quæ non extant apud veteres. Quomodo enim siphonem illum ignivomum & tormentarium, uno dicamus nomine: qui priscis Latinis fuit ignotus? Quomodo vocabimus res & instrumenta Typographica: superiori proximo seculo primum inventa? Est hoc ingenij haud vulgaris, & omnino raræ industriae, posse describere res novas, & inventa, verbis veteribus & priscis. Ego (absit arrogantiæ τύπων) huius rei specimen, pro modulo ingenij mei, dedi in Iulio meo Redivivo, ubi & Sipho tormentarius, quæ uno verbo dixi Sclopetum, & præli Typographici instrumenta, & artes, & ratio quoque parpyri

pyri conficiendæ, è contusis linteis, & alia quædam
 nova inventa describuntur. Multum in
 his rebus iuvit me lectio Plinij, & Vitruvij de
 Architectura Nam quæso te, quod tu putas es-
 se ignota tibi vocabula, quando Vitruvius 60.
 partes unius catapultæ, tormenti bellici reci-
 tat, easq; ferè singulas singulis Græcis Latinis-
 ve nominib. appellatas? Et tu tamen queri au-
 des de verborum inopia? Ceperā ego superio-
 ribus annis, rebus meis adhuc in meliori statu
 positis, tres libros colligere, in quibus totius
 Latinæ & Græcæ linguæ Analysis Rhetorica
 traderetur: in primo Nomina, in secundo Ver-
 ba, in tertio phrases atq; structura Nominū at-
 que Verborū: cū suis Syncategorematis, quæ
 3. libro præmittebantur, loco προλεγομένων. Eo-
 rum librorū est isthæc ratio. In primo sunt ul-
 tra centum & septuaginta capita: eaqué sic di-
 sposita, ut & naturæ ordo, & series, & humanæ
 artis ratio, & usus, omnisq; vitæ, & actionū no-
 strarum cursus postulat. Pono autem in sin-
 gulis capitibus, quæ tracto methodo Aristoteli-
 ca, primò omnium generale vocabulum:
 idq; si genus est, pono ut genus: si totum, pono
 ut totum. Deinde generi subdo suas species:
 Toti suas partes: utrique suas differentias spe-
 cificas: causis, suos effectus. Hæc methodus est
 Dialectica in isto Nomenclatore meo, quam
 qui observat, is ad declarandam prædicibiliū
 & prædicamentorū doctrinā ex isto libro, tan-

quam è promptuario quodam, innumerabilia
 poterit exempla afferre. Nā quid opus est diu
 immorari in p̄ceptis? Regulæ enim non Re-
 gulis, sed exemplis, quorum in vita summus est
 usus, declarari possunt ac debent. Coniunxi
 autem cum hac Dialectica methodo, etiam
 Grammaticam methodon. Nam ubique
 ponitur nomen; ibi additur illi suum deminu-
 tivum & denominativum, tam secundum for-
 matam, quam secundum materiam. Atque hic
 nihil à me fingitur, neque ullā vox nova ponit
 tur, qualibet scatet notus quidam Nomencla-
 tor Græcolatinus. Nam ex optimis quibusq;
 Græcis & Latinis scriptoribus, ingentem affe-
 ro vocabulorum acervum, qui terrena millia
 vocabulorum Græcorum & Latinorū & Ger-
 manicorum continet. Huic libro, qui ante an-
 num, Francofurti excusus est, & magno labo-
 re, magnisque impensis meis consecutus, iam
 debebat alter respondere, quem tribui verbis.
 Nam ita eum delineaveram, ut caput capiti,
 & verba Actionum ac Passionum suis Nom-
 inibus, in utraque lingua responderent. Ter-
 tius quoque ita est apparatus, ut itidem capiti
 caput respōdeat, & semper primi & secundi li-
 bri capita duo, illic quasi in unum coalescant:
 sicut in Dialectica ex Nomine & Verbo fit e-
 nunciatum. Constatit verò & hic liber centū
 & septuaginta brevibus dialogis: in quibus
 Græcæ & Latinæ linguæ proprietas & usitata
 phrasis

phrasis, & elegās usus syncategorematum demonstrabitur. Hæc Analysis Iohanni Sturmio summo & eloquentissimo Oratori, tāto- perè placuit, ut mihi, cum ipso Northemij ver santi, præfationem promitteret: & ad Caro lum quoque Lorcherum scriberet: ut Argentinæ me retineret, addito suo de meo hoc labore' perēni testimonio: quod etiam libro isti præfixum est. Intelligebat enim vir summus & Orator politissimus: quātum posset in præ parādo ingenio, ad Oratoriæ studium, iste meus Nomenclator, si absolveretur. Nam puerο in scholis sic proponi potest: ut ante meridi em addiscat aliquot nomina, quæ recitando simul inflectat: post meridiem è libro secundo aliquot Verba nominibus respondentia, quæ recitando itidem inflectat. Sic enim altius omnia inhærebunt memoriaræ & suas ibi agent radices Ad postremum sequēti in ordine Dialogus ediscat: & è simplicibus Nominibus ac verbis, consuescat phrasin constituere: & hoc modo usum sermonis, qui est in bonis auctoribus, sibi à teneris unguiculis familiarem facere. Ego sane, ut hoc opus ad finem per ducerem, fui iam s̄epe ac multum rogatus, nec mea defuit hactenus voluntas. Sed obsecro vos, qui possem ego tale opus, quod olim Leo ni decimo cæptum est, & cū impensis maximis cæptum, efficere solus: in summa rerū omnium mearum perturbatione: quando præter D E I

auxilium, ferè nihil est ab ullo homine mihi reliquum? Quid? an ego tale quid in animus potuissem inducere, qui postquam à Iohanne Sturmio digressus, domum redij, in hunc usque diem ita misere fui, ab inimicis oppressus, exagitatus, excarnificatus, ut mirādum sit, me adhuc aliquem spiritum ducere. Sed his omissis, quæ huius non sunt loci, venio ad tertium illud genus verborum, quod & ipsum usitatis est contrarium. Nam verba quædam sunt & phrases neque novæ, neque antiquæ, sed omnino tamen barbaræ, & quæ Germanicæ nostræ linguæ proprietatem magis, quam Latinæ exprimunt. Est enim sua cuique linguæ proprietas: Suus cuique genti Idiotismus, suus loquendi mos, sua consuetudo. Nam obsecro te, quam barbare dicas: Ego nihil hic habeo agere? Quis tibi fecit? Quomodo tibi est? Nam in his omnibus vides esse verba propria & usitata: sed phrasin vides inusitatam, quandoquidem nemo veterum italicocutus est. Et quam barbare dicas: Ego meo proprio exemplo hoc sum expertus? Quam ita barbare est hoc: D E V S istum hominem palpabiliter cæcitate percussit? Magna hic est in schoulis Magistrorum quorundam inertia: qui pueros suos non assuefaciunt ad phrasin, & consuetudinem Latini sermonis, ex ijs autoribus quos prælegunt. Nam exercendi styli materias ferè ita proponunt: ut ad illas exprimendas

primendas nihil possint accommodare è le-
 ctionibus auditis. Itaq; Germanismos & Bar-
 barismos facere docentur hodie pueri : eos-
 que secum in Academias afferunt. Hęrent e-
 nim tenacius, quæ in prima ætate didicimus:
 & quæ pueri didicere : ea senes iam turpe pu-
 tant dediscere . Adeò à teneris assuescere mul-
 tum est. Nam, quo semel est imbuta : recens
 servabit odorem testa diu. Barbarismus à
 Solœcismo distinguitur, auctore Fabio: quod
 Solœcismus fiat in pluribus vocibus non in u-
 na, & omnino ex complexu eorum , quibus
 res significantur, & voluntas ostenditur : Bar-
 barismus autem fiat in singulis verbis. At ho-
 die tamen etiam Barbarismus fit in totius O-
 rationis structura : sicut exempla declarant,
 modò adducta : in quibus usitata Germanis
 phrases , Latinis verbis exprimuntur. Ne-
 que hic multum disputabo: utrum Barbaris-
 mus sit etiam Solœcismus, ut certè est. Nam
 hoc mihi sat est docere: quod utrumque horū
 sit vitium: pugnans cum usitato sermone, &
 cum loquendi usu: qui est in bonis ac proba-
 tis auctoribus. Intelligunt autem studiosi iu-
 venes, ex his à me commemoratis: quantum
 sit in verbis & phrasī situm , & quibus rebus
 eum instructum esse oporteat, qui velit ad ar-
 tem venire Rheticam. Quæ tamē non pro-
 pter illos dico, qui iam didicere politè loqui,
 & qui peritè eruditis sunt ; sed propter illos,

qui

qui (ut verbis Quintiliani utar) artem Grammaticam uti ieunam & tenuem cavillantur: quæ nisi Oratori futuro fideliter fundamenta iecerit: quicquid superstruxeris, corruet: ars necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis secretorum comes, & quæ vel sola, omni studiorum genere plus habet operis, quam ostentationis. Ne quis igitur tanquam parva fastidiat Grammatices elementa: nō quia magna sit operæ consonantes à Vocalibus discernere, ipsasque in semivocalium, Mutarumque numerum partiri: sed quia interiora, velut sacri hu-
 ius, adestibus apparebit multa rerum subtili-
 tas, quæ nō modò acuere ingenia puerilia, sed
 exercere altissimam quoque eruditionem, ac
 scientiam possit. Hæc Fabius: qui inter alia
 etiam hoc utiliter præcipit: ut in Grammaticis
 puerum nō diu detineamus: Non obstant, in-
 quis, hæ disciplinæ, per illas euntibus, sed cir-
 ca eas hærentibus. Et Seneca 89. Epist ad Lu-
 cillum, de liberalibus studijs sic pronunciat:
 Meritoria artificia sunt: hactenus utilia, si præ-
 parent ingenium, non detineant. Tām diu
 enim istis immorandum est, quam diu nihil
 animus agere maius potest: R V D I M E N T A
 sunt nostra, non opera. Ibidem Seneca: Gram-
 maticus circa curam sermonis versatur: & si
 latius evagari vult, circa historias: iam ut lon-
 gissimè fines suos proferat, circa carmina. Sed
 opportu-

opportunè nunc venio à verbis ad sententias.
 Est .n. mentis interpres oratio, verbis discre-
 pans, sententijs cōgruens. Nam eadem loqui-
 tur apud Silium Scipio, quæ apud Livium: ea-
 dem apud Lucanum Pópeius, quæ apud Césa-
 rem & Plutarchum, aut Appianum Alexandri-
 num. Nam eadem ubique mens est, eademq;
 cogitationes, & animi sententiæ. Sed quanta
 tamen in verbis discrepantia? Alia enim Ora-
 tio Poëtæ, alia Historici, alia Oratoris, si ad ver-
 ba respicias: de quibus iam dictum est: Sed
 enim alia quoque verborum est differentia,
 quæ ex linguarum provenit varietate: de qua
 nihil hīc dicam. Vellem quidem, aut percu-
 perem potius, hoc nobis posse esse primum
 genus exercitationis; quod tunc olim veteri-
 bus illis Romanis fuit. Nam Græca in Lat-
 nam linguam transferendo, & Græcorum sen-
 tentias faciendo suas, sese illi nunc olim mi-
 rificè exercebant. Quām enim multas habet
 Virgilius ex Homero, ex Hesiodo atque Theo-
 crito sententias, quam multas è Pindaro &
 Archilocho habet Horatius, quā multas è Cal-
 limacho Propertius, quām multas è Menādro
 & Diphilo, Plautus & Terentius, quām mul-
 tas è Demosthene, è Platone, è Xenophonte,
 Cicero? Sēpe integras paginas, non rarō inte-
 gros libros: ut est liber de universitate: qui to-
 tus è Platonis Timæo est. Et quot locos inter-
 pretando, suos fecit ex Aristotele Plinius, na-
 turalis

turalis historiæ conditor? Sed quando sermo Latinus nobis non est maternus, & omnino di-
scendus è bonis auctoribus, qui politè locuti
sunt: Iccirco tantum hic de illis præexercita-
métis mihi sermo est: quæ in Latina solummo-
dò lingua, collatis inter se bonorum aucto-
rum sententijs, instituēda sunt: Est autem tām
apud Poëtas quām apud Oratores & Histori-
cos, duplex omnis sententia: una quam Græ-
civocant *θέσις*, quæ si brevis est, *γνώμη* dicitur,
Latinis dictum: sin longior est, & amplifi-
cata pluribus sententijs: vocatur propriè *θέ-
σις*, sententia nullis definita circumstantijs cer-
torum locorum & temporū, certarumq; per-
sonarum. Huiusmodi sunt sententiæ Philoso-
phorum, & quæ apud Oratores, & Poëtas, de
moribus hominum, in quocunque vitæ gene-
re, vel laudantur, vel vituperantur. Altera est
hypothesis, hoc est, sententia finita & determi-
nata, certo loco, certoque tempore, & quæ nō
potest intelligi, nisi de re una, de uno homine,
aut de aliquibus, qui vel nominātur vel nomi-
nari, & indice digito ostendi possunt. Acta-
les Hypotheses sunt sententiæ Historicorū &
Narrationes rerū à certis personis gestarum;
Item sententiæ & Enthememata Oratorum &
Poëtarum. In quibus utrisque exercitādis, ea-
dem erit via proposita, tām Oratori, quā Poë-
tæ futuro: sed utrobique triplex ratio. Nam
aut eadem dicimus ijsdem ferè verbis, sed non
eodem

eadem modo, aut dissimilia facimus è simili-
bus, nempe dissimiles sententias è similibus
verbis, levi quadam mutatione, aut sententias
consimiles facimus è dissimilibus verbis, ita
ut sit res eadem, sed phrasis diversa, & diversus
orationis habitus. Exemplum primi generis
esto, in Poëtica, si quis ex Ode faciat Elegiam
aut contrà: in Oratoria, si quis ex duabus Epi-
stolis, velut è Servij ad Ciceronem, & Cicero-
nis ad Servium, faciat Dialogum. Nam quæ il-
lic aguntur, inter absentes: hic agi & dici pos-
sunt inter præsentes. Sic ex oratione Cæsaris
facienda est Liviana, retentis ijsdem verbis, &
tententijs, tantùm immutato modo. Quæ
enim à se, aut ab alijs dicta narrat Cæsar, ea nos
ab illis ipsis dici fingemus, quos nominamus;
sicut facit Livius. Contrà, quas orationes af-
singit Heroibus suis Livius: eas narrari à Li-
vio, non à Scipione, & similibus dici fingemus:
imitatione quadam Cæsar. Et quoniam in
hoc primo genere, scripta Poëtica, permutan-
tur numero: Oratoria verò, habitu orationis
novo; & quia neutrum horum fieri potest sine
Heterosi, nos primum hoc præexercitamen-
tum dicemus Heterosin, vel Metaphrasin. O-
mnium vero facillima erit, hæc exercendi styli
ratio, quæ per Heterosin fit, ubi ferè tātū va-
riantur dictionum Accidentia, Numeri, Casus,
Modi, Personæ, & Tempora. At quem tamen
usum habeat, & quid vis datura sit emolu-
menti:

menti: hoc tūm demūm intelligent isti, qui se voluerint exercere, ubi iam calatum strinxerint. Non enim proponam illis initio, nisi expeditu facilia: Verbi gratia: ubi Arioistus & Cæsar colloquuntur: ibi nos utrique tales attribuemus orationem, quales sunt Scipionis & Annibalis, apud Livium: rursusq; ubi Scipio & Annibal colloquuntur apud Livium: ibi nos dicta illorum, more Cæsaris, quasi per capita narrabimus. Proderit hæc exercitatio ad comparandam brevitatem, & perspicuitatem Narrationis: quæ sunt duæ virtutes pulcherissimæ. Et quid prohibet è talibus orationibus, in colloquio habitis, facere duas Epistolæ aut etiam Dialogos? Aut quid vetat è Phædriæ cū Parmenone colloquio, facere Epistolam Phædriæ ad Parmenonem, & Parmenonis ad Phædriam, retentis ubique ijsdem verbis, ijsdemque sententijs? Nam hi autores omnes sunt eloquentissimi, licet nō sint Oratores, neque Oratorium argumentum, genere dicendi oratione tractent: sicut suo nos loco Auditoribus discrimen ostendemus, inter virum eloquentem, qualis in suo genere est Plato, qualis Aristoteles, qualis Xenophon, qualis Herodotus, quales item sunt Plautus, Teretius, Horatius, Columella, Vitruvius, Plinius: & inter Oratorem, qualis est Cicero, qualis Isocrates, qualis Demosthenes. Verum enim verò etiam in Poëtica imitatione, sæpenumerò eadē prorsus tenetur

tinetur sententia, eademq; verba, tantùm mutato numero. Cuius rei luculentum exemplum dat nobis Horatius, imitando principium Eunuchi Terentiani. Sic enim Phædria & Parmeno illic colloquuntur:

PH. *Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem,
Cùm accersor ultrò? an potius ita me comparem.*

Non perpeti meretricum contumelias?

Exclusit, revocat, redeam? non, si me obsecret.

PAR. *Siquidem herclè possis, nihil prius nego, fortius
Verùm si incipies, neq; perficies gnauiter:*

*Atq; ubi pati non poteris, cùm nemo expetet,
Infecta pace: vltro ad eam veniens, indicans
Te amare, & ferre non posse: actum est, ilicet,
Peristi: eludet, ubi te victum senserit.*

PH. *Proin tu, dum est tempus, etiam atq; etiam cogita.*

PAR. *Here; quæ res in se nego, consilium, nego modum
Habet ullum, eum consilio regere non potes.*

*In amore hæc omnia insunt vitia, iniuria, suspiciones, inimicitiae, inducia,
Bellum, pax rursus: incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus ages,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.*

Hæc Terentius: *Quæ quomodo imitatus
sit, & mutato ferè numero tantùm sua fecerit*
Horatius videamus. Ita enim ille lib. 2. Sat. 3.
*Amator exclusus qui distat agit ubi secum: eat, an non?
Quod redditurus erat, non arcessitus: & hæret
Invisis foribus. Ne nunc: cùm me vocet ultrò
Accedam? revocat, redeam? non si obsecret. Ecce*

Servus non paulo sapientior. O here: queres
 Nec modum habet neq; consilium, ratione modo q;
 Tractari non vult. In amore hec sunt mala: bellum,
 Pax rursum. Hac si quis tempestatis propè ritu
 Mobilia, & caca fluitantia sorte, labore
 Reddere certa, simul nihilo plus explicet, ac si
 Insanire paret certa ratione modo q;

Sicut autem Terentium imitatur Horatius:
 ita Horatium Persius, Sat. 5.

Nunc ferus & violens: at si vocet, haud mora, dicas:
 Quidnam igitur faciam? ne nunc cùm accessor, & ultro
 Supplicet, accedam?

Iterum ubi Horatius lib. 2. Carm. Ode. 17.
 Seu libra, seu me scorpius aspicit Formidolosus, pars violentior natalis horæ, seu tyrannus
 Hesperiæ capricornus undæ, utrumque nostrū
 incredibili modo consentit astrum; Ibi iterum
 Persius Sat. 5. Non equidem hoc dubites am-
 borum fœdere certo consentire dies, & ab uno
 sidere duci. Nostra vel æquali suspendit tem-
 pora libra, Parca tenax veri: seu nata fidelibus
 hora. Dividit in geminos concordia fata duo-
 rum: Nescio quod certè est quod me tibi tem-
 peratastrum. Quod veteribus licuit: cur non
 & nobis liceat? & si idem licet nobis quod il-
 lis, cur non studeamus illorum esse similes?
 Nam si illi, quibus Latinus sermo fuit verna-
 culus, imitati sunt alios in scribendo: quan-
 to magis nos, quorum lingua est barbara, ist-
 huſ fa-

huc facere & quum erit? Elegans est Horatij sententia, & nota omnibus cum dicit: Fortes creantur fortibus & bonis. Est in iuvencis, est in equis patrum virtus: nec imbellem fero-ces, Progenerant aquilæ columbam. Muta tu hic numerum & retine eadem verba, eandemque sententiam, quam pulchrum feceris He-xametrum carmen:

*Fortibus atq; bonis, fortesq; boniq; creantur:
Et patrum est virtus in equis, rudibusq; iuvencis:
Nec celeres aquila imbellam genuere columbam.*

Aliter:

*Fortibus atq; bonis fortesq; boniq; creantur:
Nec venit à navo semine deses equus.
Nec Iovis imbellem volucres genuere columbam:
Atrum nec corvum procreat albus olor.*

Rursum ubi Horatius: Mœcenas atavis edite Regibus: O & præsidium, & dulce decus meum. Ibi tu sic ἐτερώσεις: Mœcenas atavis de regibus edite Thuscis: O & præsidium dulce decusque meum. Iterum ubi Horatius: Iam satis terris nivis atq; diræ Grandinis misit pa-ter: & rubente Dextera sacras iaculatus arces. Terruit urbem. ubi tu sic: Iam satis in terras nivium, pater atque coruscæ Grandinis iratus misit: dextraq; rubenti Tarpeias arces iacula-tus terruit urbē. Evidē Virg quoq; veterū sen-tentias hoc modo suas fecit: Nā quot ille locos

è Medea atque ex Alexandra Ennij, in sua Aeneida transtulit? Et quām ingeniosē Elegiacā Didonis ad Aeneam epistolā, effinxit Ovidius, è 4. lib. Aeneidos? Cur igitur nos idem non tentemus: cur non primō breves quasdā Virgilij sententias: per Heterosin, immutato numero, nostras faciamus? Verbi gratia: Facilis descensus Averni: Noctes atque dies patet atri ianua ditis: Sed revocare gradum; superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor est: Pauci quos æquus amavit Iupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus. Hæc enim Virgiliana nos efficiemus nostra. Quomodo?

Scilicet est homini facilis descensus Averni:

Noctes atq; dies ianua furva patet.

Sed revocare gradum, superasq; evadere ad auras:

Hoc opus immensum est, hic labor ille gravis.

Pauci, quos ardens evexit ad æthera virtus,

Pauci, quos opifex Iupiter æquus amat.

Possem multa afferre huiusmodi exempla, quibus primi generis progymnasmata declararem, nisi alia restarent, de quibus præcipue studiosam iuventutem hoc loco commonefacerem constitui. Propero igitur ad alterum genus progymnasmatum: quod est similium fere verborum, sed dissimilimarum sententiarum, id quod fit per parodiam. Est enim parodia sententia inversa, mutatis vocibus, ad ridicula sensum retrahens, ut Scaliger finit. Habet tamen etiam in serijs locum, neq; tantū in carmi-

carmine, sed etiam in prosa, sed propriè tamē in carmine, unde etiam parodiæ nomen habet. Nos in soluta oratione Metallagen (dum aliud commodius nomen occurrat) pro nobis nominabimus. Huius autem rei illustre exemplum est apud Terentium. Nam ubi De mea rem seriò agens, dicit:

Nihil prætermitto, consuefacio: deniq;

Inspicere, tanquam in speculum, vitas omnium.

Iubeo, atq; ex alijs sumere exemplum sibi:

Hoc facito, hoc fugito: hoc laudi est: hoc vitio datur:

Vbi inquam Demea sic seriò loquitur: ibi Syrus, nequam servus, ista in iocum vertit, & ad rem culinariam transfert. Et ego (inquit) quoad queo, conservis ad eundem præcipio modum: Hoc falsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parùm.

Illud rectè. Iterum sic memento, sedulò

Moneo, quæ possum, pro mea sapientia.

Postremò, tanquam in speculum, in patinas Demea

Inspicere iubeo. Et moneo, quid factò opus fiet.

Apud Aristophanem meum occurunt passim eiusmodi parodiæ: sed in primis elegās est, quæ extat in fine Acharnensium: ubi La macho depromente arma militaria, Dicæopolis ridens hominis dementiam, depromit arma culinaria. Ferunt etiam fuisse è Græcis quendam Matronem Poëtam, qui multa mil lia Homericorum versuum ad culinam & macellum iocosè inverterit. Quid, quod nuper

admodum peculiaris liber prodijt, in quo Pha-
 seli Catulliani aliquot parodiae afferuntur, ubi
 similis in rebus dissimili mis compositio, & eo-
 rundem verborum miranda est imitatio. Ac
 tales sunt etiam Homerici centones & Virgi-
 liani : quorum auctrix dicitur esse Proba Fal-
 conia, insignis Poëtria. Sed nos paucissima ex
 infinitis exempla adducemus, ubi Virgilius i-
 mitatus est Ennium, Lucretium, Catullum, &
 ubi Virgilium imitati sunt Ovidius, Statius, Si-
 lius, Valerius, Flaccus, Claudianus, Lucanus,
 Seneca : ubi item hos ipsos nostri Poëtæ secu-
 ti sunt ? Ostendam enim, quomodo nos etiam
 veterum Poëtarū sententias, in no-
 stra scripta, possimus transferre, & illorum si-
 milia facere. Annon enim ubi Ennius dicit: V-
nus homo nobis cunctando restituit rem : ibi
 Virgilius: Vnus qui nobis cunctando restituit
rem ? Annon ubi Ennius: O patria, o divum
 domus Ilium, & inclyta bello : ibi eadem Vir-
 gilius etiam sine parodia ? Annon ubi Ennius:
 Qui cœlum versat stellis fulgentibus aptum:
 ibi Virgilius. Axem humero torquet, stellis ful-
 gentibus aptum ? Annon ubi Ennius: Verti-
 tur interea cœlum, cum ingentibus signis : ibi
 Virgilius : Vertitur interea cœlum & ruit O-
 ceano nox ? Quid ? Annon Enniana sunt hæc:
 Tum timido ex omni manat mibi corpore sudor.
 Et: Cum superum limen nox intempesta tenebat:
 Et: Nunc hostes vino domiti somnoq[ue] sepulti.
 Et:

Et: Quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen.
 Et: Verrunt extemplo placidum mare marmore flavo,
 Cœruleum spumat sale?

Et annon ista Enniana sua fecit Virgilius παράδοξ;

Tum gelidus toto manabat corpore sudor.

Et: Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

Et: Invadunt urbem somno, vinoq; sepultam.

Et: Inter opima virum leni fluit agmine Tybris.

Et: Adnixi torquent spumas: & cœrula verrunt?

Sic ubi Lucretius Aetnam describit lib. 6.
 Annon eadem ferè verba easdemq; sententias
 levi immutatione imitatus est Virgilius libro
 3. Quid? Annon ubi Lucretius in principio
 lib. 4.

Avia Piérnidum per agro loca, nullius antè
 Trita solo: iuvat integros accedere fontes,
 Atq; haurire: iuvat q; novos decerpere flores:
 In signemq; meo capiti petere inde coronam:
 Vnde prius nulli velarent tempora Musæ:

Annon inquam ibi Virgilius lib. 3. Georg.
 Sed me Parnassi deserta per ardua montis
 Rapt at amor: iuvat ire iugis, quæ nulla priorum
 Castalian molli divertitur orbita clivo?

Annon ubi Catullus:

Iupiter omnipotens, utinam nec tempore primo
 Gnoſſia Cecropia tetigissent littora puppes:

Ibi Virgilius:

Si littora tantum

Nunquam Dardanæ tetigissent nostra carinae?

Intelligent (nisi fallor) ex his paucis, quam
studiosè veteres imitatus sit Virgilius. Nunc
etiam videamus: quomodo ipsum Virgilium
sint imitati alij Poëtae. Nam ubi Virgilius: Ast
ego que Divum incedo regina Iovisque, Et so-
ror & coniux: ibi Ovid. 2. Met. Si sum regina
Iovisq; & soror & coniux. Rursu ubi Virg. Nos
Troia antiqua (si Troie forte per aures nomen
iijt): ibi Ovid. Procris erat, si forte magis perve-
nit ad aures Orithyia tuas. Quid anno ubi Vir-
gilius: Immensum renovare iubes regina do-
lorem: ibi Statius lib. 5. immania vulnera Re-
ctor integrare iubes? Annon idem Statius lu-
dicra certamina descripta à Virgilio lib. 5. pul-
cherimè imitatur lib. 6. Thebaidos? Annò ad
Salij & Euryali exemplum festivè effinguntur
à Statio Parthenopœus & Idas? Nam ut Salius
in cursu præpeditus à Niso, concidit, & Eury-
alus illum prævertitur, ita Parthenopœus cri-
nibus ab Ida retractus, in humum prolabi-
tur, atque in cursu vincitur: Et sicut apud Vir-
gilium:

Hic totum cave & confessum ingentis & ora

Prima patrum magnis Salius clamoribus implet,

Ereptumq; dolo reddi sibi poscit honorem:

Ita apud Statium:

Arcades arma fremunt, armis defendere Regem,

Niraptum decus & meriti reddantur honores,

Contendunt.

Sicut etiam apud Virgilium:

Tuta-

Tutatur favor Euryalium, lacrymæq; decoræ,
Gratior est pulcro veniens è corpore virtus:

Ita & apud Statium, regesta Parthenopæ-
us humo vultuque, oculosque madetes Obru-
it: accessit lacrymarum gratia formæ: Rursum
ubi Virgilius: Nec tā aversus equos Tyria Sol
iunget ab urbe: ibi Statius: Scimus, ait, nec sic
aversum fama Mycenis Vertit iter. Iterū ubi
Virgilius: Omnis in Ascanio cari stari stat cu-
ra parentis: Ibi Statius: Tantum in corde se-
dens egredit cura parētis. Etsi autem diligen-
tissimè imitatus est Virgilium Statius: tamen
in fine operis sui ita exclamat:

O mihi, bis senos multūm vigilata per annos
Thebai, vive precor, nec tu divinum Aeneida tenta
Sed longè sequere: & vestigia semper adora.

Quid de Valerio dicam Flacco, qui & ipse
diligentissimus Virgilij sectator fuit? Nam ubi
Virgilius (ut unum exemplum ex infinitis af-
feram:)

Interea magno misceri murmure pontum
Emissamq; hyemem sensit Neptunus & imis
Stagna refusa vadis: graviter commotus & alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda:

Ibi Valerius Flaccus, lib. I.

Vndiq; fervent
Aequora: cum subitus trifida Neptunus in hasta
Cœruleum fundo caput extulit.

Et Silius Italicus lib. 7.

Vt cum turbatis placidum caput extulit undis

*Neptunus, totumq; videt, totoq; videtur
Regnator ponto : saevis fera murmura vento
Dimitunt.*

Rursum ubi Virgilius:
*At Venus obscurō gradientes aere sepsit
Cernere ne quis eos, neu quis contingere possit :*

Ibi Valerius: Famula duce protinus urget Aëre septus iter patitur nec regia cerni Iuno virum. Et quām affabre tempestatem ab Aeolo immissam (sicut ea ē Virgilio in primo Aeneid. describitur) imitatus est Valerius lib. primo Argonauticorum? Sed & Lucanus Poëta quanquam sedulò studuit similia dicere Virgilianis: tamen fassus est, sibi adhuc multū restare ad Virgilij culicem: Et annon Virgilianum est hoc Lucani lib. 2. cum ait: Sed quo fata trahunt: virtus secura sequatur? Ita enim Virgil. 5. Aeneid.

*Nate Dea, quo fata trahunt retrahuntq; sequamur
Quid annon Virgiliana sunt hæc Lucani, lib. 4.
Ecquis, ait iuvenum est, cuius sit dextra crux
Digna meo, certaq; fide per vulnera nostra
Testetur se velle mori?*

Eadem enim ferè dicit Virg. lib 9. Aeneid. Et quam obsecro consimilis est apud Lucanum in lib. 5. descriptio fatidicæ mulieris ei de descriptioni, quæ est apud Virgil lib 6. ubi Sybilla vaticinatura mirificè depingitur & Oriente quam plurima loca, quæ ē Virgilio expressere Statius, Ovidius, Flaccus, Silius, Lucanus & Claudia.

Claudianus ~~wages divers~~ ipsius carmina. Nam téporis exiguitate prohibeor, ut plura in me- dium adducere non possim. Horatio quoque, cuius antè memini, nō. defuere sectatores sui. Sicut ille imitatus fuit Luciliū : ita ipsum imi- tatus est Persius. Nam ab eo non modo res, sed etiam sententias, & verba mutuatus est. Id quod uno solū atq; altero exemplo suffici- at demonstrasse. Vbi enim Horatius impia ho- minum vota castigat, inquiens :

Vir bonus, omne forum, quem spectat, & omne tri- bunal,

Quandocunq; Deos vel porco, vel bove placat :

Iave pater clare, clare cum dixit Apollo :

Labra movet metuens audiri pulchra Laverna

Da mihi fallere: da iustum sanctumq; videri

Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem.

Item lib. 2. Sat. 4.

O si angulus ille

Proximus accedat, qui nunc deformat agellum :

O si urnam argenti fors quā mihi monstret : ut illā

Thesauro invento, qui mercenarius agrum

Illum ipsum mercatus aravit, demus amico

Hercule, si quod adest, gratum iuvat.

Vbi inquam isthæc Horatius: ibi Persius :

At bona pars procerum tacita libabit acerra.

Haud cuivis promptum est, murmurq; humilesq; susarros

Tollere de templis, & aperto vivere voto.

Mens bona, firma, fides hac clare, & ut audiat hospes.

Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat ; O si

Ebuliat

Ebuliat patrui præclarum: funus: &, o si
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule, &c.

Rursum ubi Horatius lib. I. epist. 16.
Sed vereor, ne cui plus de te, quam tibi credas,
Neu, si te populus sanum, recteq; valentem
Dicit et, occultam febrim sub tempus edendi
Disimules, donec manibus tremor incidat unctis.

Rursum ibi Persius Sat. 3.
Heus bone tu palles: nihil est. Videas tamen istud
Quicquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis, &c.
Turgidus hic epulis, at q; albo ventre lavatur,
Guttura sulfureas lentè exhalante nephites,
Sed tremor inter vina subit, calidumq; trientem
Excudit è manibus, dentes crepuere reiecti,

Iterum ubi Horatius lib. I. Sat. 4.
At tu conclusas hircinis fallibus auras,
Vsg; laborantes, dum ferrum molliat ignis
Ut mavis, imitare.

Iterum ibi Persius Sat. 5.
Tu neq; anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos, nec clauso murmure raucus,
Nescio quid tecum graue cornicaris inepte

Rursum ubi Horatius lib. I. Sat. 4.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum,
Hunc caput argenti splendor: stupet Albius are:
Hic mutat merces surgente à sole ad eum, quo
Vespertina tepet regio. Et alibi.

Quod capitum vivunt, totidem studiorum millia.

Rursum ibi Persius:

Velle

Velle

Velle suum cuig₃ est, neq₃ voto vivitur uno
 Mercibus hic Ital₃ mutat sub sole recenti
 Rugosum piper, & palloris grana cymini:
 Hic satur irriguo mavult turgescere somno.
 Hic campo indulget: hunc alea decoquit, &c.

Nolo plura adducere exempla: quanquam possim, neque enim opus est, & in tanta festinatione commode fieri non potest. Nam satis ex his à me commemoratis studiosi Oratorix, & Poëticæ intelligunt, quantum in stylo rectè exercendo usum afferat, rectè imitari posse aliorum sententias. Si enim laudem meretur Virgilius quod aurū collegit è sterquilinio Ennij: quanto magis nos merebimur laudem: si aurea veterum dicta nobis propria fecerimus? Divus certe Hieronym⁹ alibi nos hortatur, ut sequamur Israelitas: qui spoliarunt Aegyptios, & ex auro illorum fecerunt vas aad Tempulum Domini. Nam & nos decere ait: ut profanorum Rhetorum, & Poëtarum insignes sententias, ab inquis possessoribus auferamus, & in Ecclesiam Dei, atque ad laudem & decus Domini conferamus. Quid enim magis piè dici possit, quam si hoc Ennianum & Virgilianum: Vnus homo nobis cunctādo restituit rē: ^{τωαρεωδίων}, dicas? Vnus homo nobis moriendo restituit rem? Et quid religiosius possit dici de Christo quam quod Horatius dicit de Phœbo? Nil desperandum Christo duce, & auspice Christo. Rectè etiam, & piè Eobanus id, quod Ovidius

Ovidius de Poëtis Phœbicolis dixit, *ωρωπός*
contrà illos usurpat lib. i. Sylvarum. Nam ubi
Ovidius:

*Est Deus in nobis, agit ante calescimus illo
Sedibus aetheris spiritus iste venit.*

Ibi noster Hesus:

Est Pluto in vobis, agit ante calescitis illo:

Sedibus infernis spiritus iste venit.

Ac talium exemplorum pleni sunt libri
nostrorum Poëtarum: qui veterum in scriben-
do similes esse studuerunt, Quare percensem-
dis pluribus consultò supersedeo. Possunt au-
tem tales parodiae etiā in prosa institui: & nos
quoque pro exercitio tales inversiones quām
plurimas proponemus. Nam hac imitandi ra-
tione fient Oratoriæ studiosi, in locis quam
plurimis, similimi antiquis illis, & eloquenti-
simis Oratoribus verbi gratia: Vbi Cicero be-
neficium restituti in integrum Marcelli adscri-
bit uni Cæsari: ibi studio Oratoriæ licebit qua-
si *ωρωπός*, & paucis mutatis diversam sen-
tentiam inferre. Potest enim collatio insti-
tui cum triumphis Regum & bellatorum, tri-
umphi illius, quē Christus duxit, devictis atro-
cissimis hostibus, morte, inferno, Satana. Vbi
igitur Cicero suā instituit collationem, in qua
comparat Cæsarem Cæsari, & factum unicum
Cæsaris, cum bellis & triumphis eiusdem, &
ubi sic claudit: At verò huius gloriæ, C. Cæsar,
quā es paulò ante adeptus, sociū habes nemici-

nem: totum hoc, quantumcunque est, quod certè maximum est, totum, inquam, tuum. Nihil tibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit, &c. Ibi tū sic: At vero huius gloriæ, quam servator Christus, ex restitutione generis humani refert, socium habet neminem: totum hoc, quantumcunque est, quod certè immensum est, totum, inquam, unius Christi est. Nihil ei ex ista laude Archangeli, nihil Angeli, nihil principatus, nihil potestates, nihil cœlum, nihil terra decerpit. Sed hæc exempli causa attulisse sufficiat. Nam in hac progymnasmatis specie, diligentissimè exercebimus auditorem: ut pri mò unam aut duas periodos, paucis immutatis, in aliam possit trahere sententiā, & omnino suam facere: mox integrum paginam sic invertere. Nam ubi ad integras orationes facendas, postea per ventum fuerit, multò expeditius præstabit imitando, tum singula, quæ singillatim didicit; & in quibus sigillatim fuit exercitatus, quam universa, quæ consequi simul non potuit, & in quibus componendis se nunquam exercuit. Vt enim sartor vestem facturus, non omnia simul consarcit, sed unam partem post aliam, ac demum partibus compositis, vestem ex illis efficit: ita nos quoque partes aliquas primū aptè discemus cōponere imitādo veteres, & à simplicioribus semper ad composita progrediemur. Restat ter-

tiua

tium progymnasmatum genus, nempè simili-
 um sententiarum, ubi dissimilia sunt verba &
 dissimilis compositio, ut cum ex Poëticis sen-
 tentijs fiunt sententiæ Oratoriæ, aut ex orato-
 rijs Poëticę, mutatis verbis & phrasī. Illic enim
 non modo numeri, sed etiam verba Poëtica re-
 moventur. & oratoria substituuntur. Hic ver-
 ba Oratoria rediguntur in numerum, & pro
 verbis proprijs ponuntur tropica & figurata.
 Item pro phrasī, & communi consuetudine lo-
 quēdi, phrasis Poëtica, & à vulgo remota. Nam
 sermo Poëtarum cū quadam maiestate est con-
 iunctus, & sublimiori passu incedit, neque hu-
 mi repit, sed omnino assurgit in altum. Hoc
 præexercitamenti genus, Græci vocant ~~ωραστι~~
 φρασιν: utilissimum in quo solo studiosus Ora-
 toriæ, totū annum se quotidiē exerceat. Nam
 in hoc distinguuntur verba Tropica à proprie-
 tate, verba Poëticā ab usitatis, & à verbis quo-
 tidianæ consuetudinis. Discitur etiam hoc ex-
 ercitio, discrimin inter metaphoras Poëti-
 cas & Oratorias: discitur item ratio, aliquam
 nudam Poëtæ sententiam amplificandi & in-
 duendi ornatu Oratorio. De hoc Quintilia-
 nus 1. lib. 9. cap. Versus primò solvere, mox
 mutatis verbis interpretari: tū paraphrasī au-
 dacijs vertere, quin & breviare quædā, & ex-
 ornare, saluo modo Poëtæ sensu, permittitur.
 Quod opus etiam cōsummatis professorib. q.
 commodè tractaverit, cuicunq; dicendo suffi-
 ciat.

ciat. Nos ut monenti Fabio obtemperemus, & omnino commode hoc exercendi genus trahemus, primum generales quasdam γνώμας Poëtarum proponemus, quæ tribus constent versibus, deinde, quæ pluribus. Post etiam integras θέσεις hoc modo illustrandas dabimus, tum demum aliquam è Virgilio orationem: quæ permutanda sit cum aliqua oratione Liviana, aut aliquam proponemus Satyram Iuvenalis, quæ hoc genere exercitij explanetur, è Ciceronis aliqua invectiva. Nullum autem est inter omnia quæ diximus, προγύμνασμα, cuius beneficio veterum sententias possimus aptius imitari, & imitando nostras facere, & omnino veteribus similia dicere, quam hoc ipsum παραφράγμα dicendi & scribendi genus. Quid enim aliud sit imitari, quam aliorum dicta sua facere, & ita facere sua, ut non dicas eadem, nec diversa, sed similia? Quid imitari sit, quam è Græcis Latina, è Latinis Græca, è Poëticis Oratoria, ex Oratorijs Poëtica, ex Poëticis similia, ex Oratorijs itidem similia facere? Versus apud Hesiodum sunt pulcherrimi:

ὅτε μὲν πανάργης, ὅτε αὐτῷ παύτανόησε.
Φρασάμενς τὸν ἐπειτα, νέοι εἰστέλλονται αὔμενοι.
ἔθλος δὲ αὖ παρεῖν, ὅτε ἐν εἰπόντι πίθηται:
ὅτε δέ τε μήθ' αὐτῷ νοέῃ, μήτ' ἄλλος αἴπει.
οὐ θυμῷ βαλλυται, ὅτε αὐτὸς ἀχρεῖς αὐτῷ.

Hos versus Hesiodi Latinus Poëta suos fe-

terit quo pacto? interpretando, & non nihil
immutando: sic videlicet.

*Qui, quod agit, prudenter agit, longeque futurum
Prospicit eventum, per se satis omnia solers,
Optimus ille virum: tum quisquis recta monentis
Consilio paret, laudem sibi comparat aequam:
At qui nec sibi met sapit, & consulta monentum
Respsuit: hunc hominem quis posse dicere frugi?*

Vel per Heterosin, mutato numero, & for-
ma orationis in hunc modum:

*Optimus ille virum, qui prospicit omnia secum,
Quaeque oculis non est cernere, mente videt.
Nec malus est quisquis prudentibus applicat aurem:
Nec demens odio verba monentis habet.
At qui nec secum videt eventura, nec audit
Verba senum: hunc nibili dixeris esse virum.*

Audiamus vero, quomodo Livius istam
Hesiodi sententiam fecerit suam, quadam παράφρασε. Sæpe (inquit) audivi, milites, eum opti-
mum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem
sit: secundum, qui benè monenti obediatur:
qui vero nec ipse consulere, nec alteri parere
scit, eum extremi ingenij esse. Ego quoque
tum mei, tum aliorum exercendorum causa,
gratam omnibus παράφρασιν, ante aliquot annos edidi in Bucolica & Georgica Virgilij. Na-
pastoralia colloquia, è familiari sermone Ter-
rentij & Plauti expressi, qui & ipsi rusticos è-
suis scenis producunt. Præcepta vero ruralia,
& Villatica explicui verbis Plinij, Columellæ,
& Marci

& Marci Varronis: ubi s^ep^e complures versus
illorum auct^{orū}, quos dixi, verbis à me re-
solvuntur: Eisdem quoq; temporibus, & p^{ræ}-
cedenti anno meas in Persium, Poëtam valdē
obscurum, paraphrases edidi, quib. mentem
Poëtæ, ni fallor, sic explanavi, ut pueri iam pos-
sint intelligere Persium: de quo D. Augustinū
ferunt solitum dicere, nunquam se effecturū,
ut eum intelligat. Sed & mea in omnes Epi-
stolas Horatij extat paraphrasis, quæ hoc an-
no demum prodijt. Ex ea studiosi vidēt, quām
utile sit hoc exercitium, ad augendam oratio-
nem, & ad comparandam rerum, verborumq;
copiam, ad acuendum iudicium, tum in omni
compositione rectè instituenda, tum in primis
in adhibendo verborum delectu. Erat qui-
dem animus etiam Satyras Horatij & Iuvena-
lis, ac totam Virgilij Aeneida hoc anno expli-
catam proferre in lucem: Nam absolveram
iam primum & secundum Aeneidos librum,
& aliquot Iuvenalis Satyras: verūm atrox ista
tempestas, quæ me meam quæ domum multos
nunc annos affigit, & quam ijdem, qui immi-
sere gratulantur nunc mihi, homines ἐπιχαρέ-
ναιοι, non sinit me propositum persequi Osten-
di enim huc usque tres modos, quibus aliorū
verba & sententias, imitando possimus nostra
facere: nempe Heterosi, Parodia, & Paraphrasi.
Nam hos ego mihi è multis elegi tanquā p^{ræ}-
cipuos, & ad viam eloquentiæ sternendā maxi-

mē idoneos : Neque de vocabulis rixabor cū quoquam, utrum Metabole potius sit dicenda. quā nos Heterofin dicimus, aut Metaphrasis : dum modo de rebus ipsis constet. Transeo nunc à verbis & sententijs ad facta, sive ad exempla factorum. Hæc autem trium omnino sunt generum Nam factorum narrationes aut sunt historicæ, & veræ, quib. nullus adhibetur ornatus, aut sunt Oratoria, itidem veræ, sed amplificatæ ex locis Dialecticis & communib. aut sunt Poëticæ & fabulosæ : sub quibus tamē aliqua latet veritas. Atque hæ narrationes fabulosæ aut simplices sunt, omni orbatæ ornata, quales sunt Aesopicæ, aut sunt vestitæ ornata, ut Poëticæ. Etsi autem ijsdem modis quib. imitamur aliorum sententias, ferè etiam hic uti possumus, in exprimendis, locorum & temporum nostrorum itemq; personarum nostrarum circumstantijs, ad exemplum veterū scriptorum, tamen duobus ferè modis contenti erimus, quorum unus parodia nomen obtineat, alter paraphraseos. Erit enim hic scopus noster, quomodo recens aliquod factum ita narrare possimus : ut narratio nostra sit stylus Cæsaris & Livij quam similima, & quidē Cæsari, quam Livio propior. Illius enim oratio est maximè ἐν πόρισθαι. Exemplum huius pro gymnasmati, dabo historicam narrationem de pugna navalی Venetorum contra Turcas apud Echinadas, ubi ijsdem verbis, quibus Cæsar

far suas res , suos locos , sua tempora , suas per-
 sonas & illorum consulta , facta , factorumque
 eventus describit , nos etiam locos , tempora ,
 personas & similes circumstantias describe-
 mus . Paraphrasticæ item narrationis fabulosæ
 & Poëticæ exemplum habes apud Platonem . I.
 lib. de Repub . ubi narrat eadem , quę Homerus
 in I. Iliad . recitat de Chrysī sacerdote , suam fi-
 liam à Græcis repetente . Ita enim Plato (Nam
 locus Homeri est omnibus obvius) . Cùm au-
 tem ad illos venisset Sacerdos , primum D E V M
 precatur , ut Græci salvi atque incolumes Tro-
 iam caperent . Deinde ab illis petit , suam ut fi-
 liam accepto precio , & reveriti Deum , sibi re-
 stituant . Hæc locutum venerati alij omnes ,
 dicta comprobarunt : Agamemnon autem fe-
 rocire , & iubere ut statim discedat , nec unquā
 revertatur : aliàs ipsi neque sceptrum , neq; co-
 ronam D E I sui multum profuturum . Addebat
 verò & hoc , filiam eius , Argis anum prius secū
 futuram , quām liberetur . Abiret igitur neque
 irritaret se ut salvus domum suam redire pos-
 set . Quibus auditis senior extimuit , & cum si-
 lētio abiit . Progressus extra castra , multis pre-
 cibus Apollini supplicavit , cum & D E I cogno-
 menta memoraret , & mentionem faceret , atq;
 mercedem repeteret eorum munera , quib.
 illi unquam gratificatus fuisset , vel in sarto te-
 &to præstando templum eius , vel in re divina
 facienda . Quorum gratia orabat , ut ultionem

suarum lachrimarū divinis telis à Danais exi-
 geret Hæc Plato. Sed quia nos paucis è Philip-
 po & Quintiliano, atq. Erasmo repetitis osten-
 demus, quomodo Orator tractare debeat non
 modò aliorū dicta, sibi ea attribuendo, aut pro
 testimonio adducendo, sive sint γνώμαι, sive pro
 verbia, sive Chriæ, sive Apophlegmata, sed
 quomodo etiam exempla virtutum ac vitiōrum
 adducere, & suam orationem illis exornare
 possit, iccirco de hac progymnasmatis specie
 nihil addam amplius. Nam ut in præceptis ero
 brevis, ac ferè nullus, ita in exemplis ero
 copiosissimus. Neque verò quenquam nondū
 in arte Oratoria versatum, pudeat, in istis pro-
 gymnasmatis aliquam ponere operam. Si e-
 nim nautæ, priusquam triremem sibi guber-
 nandum suscipiant, & se vasto mari commit-
 tant, prius se parvo lembo exercent, & in littore
 navem regere discunt: quanto magis nos i-
 dem hoc in arte Oratoria facere decet: ut pri-
 usquam ad faciendas orationes repente prosi-
 liamus, vires nostras in minoribus hisce tente-
 mus, atq; ad maiora illa præparemus. Quomo-
 do .n. Orator futurus possit finem suum con-
 sequi, nulla instructus verborum idoneorum
 copia, nullo delectu, quomodo integrum pos-
 sit orationē imitari, qui duas lineas apte imi-
 tari nō didicit? quomodo tām vasto cōmittat
 se pelago, qui nullis est instructus remis, nullis
 velis, nullis rudentibus, & quomodo nō ubiq;
 sco-

scopulis impingat, qui sic inermis, iners, & ru-
dis in latissimum mare, quovis adverso vento
propellitur. Certè naufragium citius in arte
sua faciet, quam ut optatum aliquem portum
contingat. Et hactenus de priori exercitatio-
num genere. Proximum nunc erit, ut dice-
rem etiam de altero exercitationum Orato-
riarum genere, nempe de Declamationibus:
quomodo videlicet in materijs proponendis
habendus sit delectus: ne prius doceamus stu-
diosum discendi, tractare causam forensem, q̄
possit ornare funus, laudare virtutem, repre-
hendere vitium, aut sceleratè factum: quomo-
do item inventa ad docendum materia apta &
Oratoria (neque enim Oratoria ars est omniū
materiarum) possint, ac debeant argumenta
peti ex rebus ipsis, & ipsis causis, ex fontibus
virtutum & vitiorum, vel in laudando, vel vi-
tuperando: ex fontibus morum & actionum
vitæ, in suadendo ac dissuadendo: ex fontibus
legum & iuris, in accusando aut defendendo:
quomodo argumenta huiusmodi propria &
cum rebus cognata, amplificanda sint, per co-
piam rerum & verborum, è locis cōmunibus,
sive topicis: quomodo hæc omnia exornanda
tropis & schematibus, luminibus verborum &
sententiarum, ne alios ineptè imitādo fiamus
& ipsi inepti. Sed quando temporis exiguita-
te prohibe or, & hæc ipsa res vix una hora com-

modè pertractari absolvique potest: differam
eò usque, dum prius iuventutem scholasticam
in ijs, quæ dixi progymnasmatis, & in hac Rhe-
torica palæstra, præexercitavero.

Te verò FILI DEI, IESV CHRISTE,
servator humani generis, verbum æterni pa-
tris, cuius ore DEVS ad patres nostros locut⁹
est, & voluntatem ac mentem suam erga nos
patefecit: te oro, rogo, obsecro, Orator sum-
me & eloquentissime, quo nemo inter morta-
les locutus est perfectius & eloquentius: fac ut
in hac delira mundi sene&a, hæc artium & lin-
guarum studia contra furores Sathanæ conser-
ventur: ut earum adminiculo veritas sermonis
tui illustretur, & ad nostros quoque posteros
propagetur. Exuscita quæso, & incita aliquos
Principes, qui humaniores has artes, & in pri-
mis hoc eloquentiæ studium maiori curæ sibi
esse patientur: ut quibus nos telis aliundè im-
petimur, his nos verbi tui cœlestis veritatem
& patriæ nostræ tranquillitatem, legum & iu-
ris æquitatem, omnium denique rerum, quæ
ad salutem nostram in hac vita pertinēt, usum
fructum tueri possimus. Tibi soli laus sit,
tibi soli decus, tibi soli gloria, in
ævum sempiternum.

A M E N.

1690



* * *

* * *

Præsentes ac vivos: & est vel	Oratoria, & hæc propriè dicitur oratio, estque vel	Demonstrativa, sive popularis, Quo pertinent etiam Poëtarum Deliberativa seu Senatoria.	Odx Elegia Satyra Epigrammata &c.	Sive fiant personis publicis, sive privatis, mortuis sive vivis, quo cunq; loco: ut Epithalamia, Epicedia, Epitaphia, Propemptica, Panegyrica &c.
	Familiaris, & propriè dicitur sermo, estq; vel inter	Iudicialis, sive forensis, & hæc vel est	Coniecturalis, Iuridicalis, & hæc iterum vel	Absoluta, Quo etiam pertinent quædam Satyra. Assumptiva.
Futuros ac posterū diciturque Narratio, quæ aut est	Omnis oratio, sive sit numerosa, si ve pro- fa, fit vel ad	Præsentes, ut Dialogus, Ecloga, Comœdia, Tragoœdia.	Absentes, ut Epistola.	
	Vtrosque, vocaturq; doctrina seu Institu- tio: & hæc est vel de RE	Vera, ut HISTORIA, qualis Herodoti, Livii, Cæsaris, Salustij, Thucididis, Lucani, Silii Italici, & similium. Ficta, ut FABVLA, qualis Homerii de bello Traiano, Virgilij de bello Aeneæ & Turni.		Vita ac moribus, quo pertinent Plato, Aristoteles, Xenophon, Cicero, Seneca, Plutarchus, Theognis, Phocylides, & similes.
Vtrosque, vocaturq; doctrina seu Institu- tio: & hæc est vel de RE	Publica, ut sunt libri Platonis, Ciceronis, Aristotelis, Aeliani, Vegetij, Xenophontis. Domestica, ut est Oeconomicus Xenophontis de venatione, Item libri Columellæ, Virgilij, & Hesiodi, Oppiani, & similes. Privata, nempe de instituenda & informanda vel nostra	Mente in contemplatione vel	Numerorum, ut in Arithmetica, Figurarum, ut in Geometria. Cœli, ut in Astronomia. Naturæ, ut in Physica, Medicina. Legum, ut in Iurisprudentia. Dei & rerū divinarū, ut in Theol.	
	Oratione ex arte	Grammatica. Dialectica. Rhetorica.		
	Voce ex arte Musica.			



DE STVDIIS LIN-
GVARVM ET LIBERALIVM
Artium, TUBINGÆ Calend. Septemb.
Anno 1578. habita.

DODUXI IN HUNC PUBLICVM locum, Rector magnifice, Comes Generose, Viri clarissimi atq; humanissimi, triginta octo Adolescentes, liberalium artium & linguarum bacularios designatos: eosque de cōsilio & volūtate Collegij philosophici, tum ob multas maximasque causas, tum ob duas potentissimū huc sisto: quarum prima est, ut de studijs ac morib. eorum verba faciam: altera, ut honores, iam antè ipfis decretos, pro more Academiæ huius veteri & cōsueto, publicè eis tribuam atque conferam. Ita enim fore confido: ut illi, qui superiorum facultatum, Theologiaz, Iurisprudentiaz & Medicinaz viam ingressi sunt, rectius meliusque intelligent: quid de his inferioribus disciplinis ac studijs sentendum sit: & cæteri, qui in liberalium artium curriculo adhuc versantur, horum adolescentum exemplo, ad diligētiā & sedulitatē exci-

citentur. Nam hodie, inter nostri seculi homines, ita iniquè cōparatū est: ut non illi tantum, qui literatores alijs esse, atque haberi volunt: aut cæco nūmī amore, & deploranda honorū contentionē, has artes, atque hæc studia, eorumque cultores alto supercilio despiciant & cōtemnunt: adeoque nihil in honore & precio collocandum putent: nisi id, aut cœlestem sapientiam, aut Bartholom, aut Hippocratem redoleat: sed ipsa etiam iuventus, horū exemplo inducta, artes, quas negligi & contemni vident, plerunque abijciat, & intempestivè deserat: & cùm vix primis labijs, more canum è Nilo bidentium, rudimenta artium dicendi, & linguarum perceperit: temerario & cæco animi impetu, ad quæstuosas & lucrī cupidas facultates se conferat: ac nimium festinando, quod proverbio dicitur, cæculos catulos pariat. Quod malum cùm indies magis magisque invalescere videamus: cui dubium est, quin eadem barbaries, paucorum annorum spacio elapsa, in Germaniam redditura sit: quæ olim ante Erasmi & Philippi tempora, patriam nostram propè universam, quasi diluvio errorum atque ~~misericordiæ~~, inundavit? Quamobrem vos omnes oratos nunc volo: ut operam detis mihi hodiè, & a quo ad sitis animo: dum pauca quædam de liberalium artium, quibus hic candidati vacarunt, præstantia, dignitate & nū in medium proferam. Sic enim exemplum in me

in me statuetis vestro silentio: ut quātū hæc stu-
 dia faciatis , & omnes reliqui intelligent : & hi
 adolescentes vestri similes esse , ac vobis poti-
 us, quām sibi placere studeant Ego sanè, in me
 quod fuerit , & summa brevitate , omne audi-
 endi tædium effugiam : & totis viribus effici-
 am : ut huius operæ neminem vestrum pœni-
 teat Nolo autem de singularum artium & lin-
 guarum præstantia & fructu dicere : nam de
 his propemodum nunc ipsos candidatos au-
 dietis : nec de inventoribus earum ; quæ nota
 & trita sunt , hoc loco verbosè proferam : sed
 de cultoribus potius illarum & de dignitate ,
 quām hæ artes præ alijs disciplinis & scientijs
 habent , iuventutem nostram paucis commo-
 nefaciam. Etenim satis mihi hic fuerit, in me-
 moriam vobis revocare gravissimam Platonis
 vocem: qua Philippum Melanth. virum incom-
 parabilem , & extra omnem ingenij aleam po-
 situm , vehementer delectatum , crebrisque ser-
 monibus usum fuisse video. Vnum est, nature
 vinculum, doctrina numerorum, figurarum &
 motuum cœlestium : ac si quis aliam viam ad di-
 scandū invenire potest, Fortunā, ut dicitur, in-
 vocet. Nam sine his nemo in civitatibus unquā
 beatus existet; hic modus, hæc educatio est, hæc
 disciplina, seu facilis, seu difficilis: per hanc ire
 necesse est : nec fas est negligere Deum : qui
 gratam de se famam generi humano in his ar-
 tibus sparsit. **Quibus elegantissimis verbis**
summus

summus Philosophus artium liberalium dignitatem commendare voluit: quod illas non extitisse casu, auct humano ingenio confictas esse crederet: sed a Deo sapientissimo artifice promanasse: & homines de Deo commone face-re, certò statueret. Omnis enim sapiētia, ut di-
vinus ait Syracides, à Deo est: & cum ipso in
omne ævum permanet. Nec male Pindarus:
~~αἰγαλοὶ δὲ οὐσοὶ πάντα μάνιον καὶ δέρε εὔχαιρος:~~ Boni
 & sapientes ex Deo proveniunt. Sed quorū
 sum opus est ea confirmare verbis, quæ nemo
 sanus inficias ibit? Quis enim tam perficit
frontis sit: qui bonas literas & artes Dei do-
 num esse neget? quis tantæ vecordiæ, ut illa,
 etiam metacent, non intelligat? Prisci homi-
 nes, qui luce verbi cœlestis caruerūt, tanti has
 artes fecerunt: ut eas, Palladis fabula confi-
 cta, Iovis cerebro natas esse dicerent: Poëtæ
 veteres omnem ingenij sui vim Musis, per quas
 divinum aliquod numen intelligebant, acce-
 ptam retulerunt: Plerique Græcorum artes
 dicendi, à Mercurio & Apolline, quos Deorū
 loco superstitione colebant, inventas esse: &
 nescio, quo Promethei furto, mortalibus com-
 municatas fuisse crediderunt. Quod si igitur
~~ἢ οὐδέποτε ἵστι θεῶν ἐρινύδες μῆνες,~~ ut Homericō
 utar versiculo, nec humanitatis artes, & bonæ
 literæ abiciendæ, aut negligendæ crunt: eo-
 que minus, quod summos Reges & principes
 horum studiorum præcipuos cultores extitisi-
 se, hi-

se, historiarū monumentis est proditum. Fuerunt enim omnibus temporibus maximi heroes ac principes. qui non modò hæc literarum studia conservarunt, & ad memoriam posteritatis propagarunt: sed ipsi etiam secum coluerunt, & alios suo exemplo ad amorem & diligentem curam artium istarū invitarunt Nam, ut nihil de Iasone, nihil de Achille dicam: quo. rum alterum Chiron Thessalus in Astronomi-
 cis, alterum Phœnix in dicendi artibus instru-
 xit: quis vestrum ignorat Alexandrum Mace-
 donem, qui à rerum gestarum magnitudine,
 Magnus cognominatus est, ab Aristotele præ-
 cepta artis Rheticæ, & initia doctrinæ Phy-
 sicæ magno studio, ac summa diligentia per-
 didicisse: quis nescit Philadelphū, Aegypti re-
 gem potentissimum è studio linguarum & ar-
 tium non modo admirandam eruditioñē con-
 secutum esse: sed etiam literatis & doctis viris
 singularem Mæcœnatem extitisse: ut nihil inte-
 rim de bibliotheca ipsius dicam: quæ nisi Ale-
 xandriæ comportata & cōservata fuisset, opti-
 mis quibusq; authoribus nobis carendum es-
 set. Et cui tandem regum aut principum ac-
 ceptum feremus, quod Hebræa Biblia in lin-
 gua Græca à 70. interpretibus conversa habe-
 mus? Quid de Scipione dicā, qui eloquentissi-
 mum præceptorem in utraq; lingua habuit Po-
 lybium: cuius etiamnum extat historia? Quid
 de Julio Cæsare, & Octauio Augusto, sum-
 mis im-

mis Imperatoribus, quibus an doctiores furent
 in dubio est? Nam & ille historiam condidit
 terissimam, & hic ad poëticam eruditionem
 pervenit. Quid Vespasianū referam: qui quan-
 tus literarum humanitatis, & ingeniorum li-
 beralium patronus Mecœnasque extiterit, fa-
 cilē ex Suetonio colligi potest. Erant enim an-
 te Vespasiani tempora literarū artiumque stu-
 dia penitus deserta: & docti viri propè eodem
 modo sub Neronibus & Caligulis vivebant:
 quo nunc in Gallia Hugenotæ, ut vocantur.
 At Vespasiano imperante, & artes liberales co-
 lente ac promovente, multi doctissimi viri in
 Italia efflorescere cœperunt: qui postea Do-
 mitiani temporibus ἐώς αὐτὸν μηχανῆς in lucem
 prodierunt. Nam & Quintilianus suos de ar-
 te oratoria libros emisit: & Cornelius Tacitus
 augustam historiam condidit. & Martialis fa-
 cetissima Epigrammata lusit: & Iuvenalis Sa-
 tyrica libertate mores hominum publicè ta-
 xavit: & Statius Papinius suam Thebaida, opus
 pulcherrimum, conscripsit: & Silius Italicus
 Punicorum libros confecit: multiq[ue] alij vi-
 ri clarissimi in lucem emerserunt. Quod si
 ea nunc commemorare velim, quæ de Traia-
 no referuntur: cui præceptor fuit Plutarchus:
 & præter hunc etiam disertissimus scriptor, C.
 Plinius Iunior: aut ea, quæ de Antonino Pio,
 & huius filio, M. Antonino Philosopho, de Ho-
 norio item, & Arcadio, de Theodosio, de
 Constanti

Constantino, & alijs Impp. traduntur, saltem leviter attingere instituam: dies mihi citius quam oratio defuerit. Sed quid opus est, exterarum gētium & populorū Reges atque Imperatores producere, cū nobis domestica exempla suppetāt: quæ adolescentiam nostrā ad maiorum suorum æmulationem incitare poterunt & debebunt: Carolum Magnum, qui primus Romanum Imperium ad Germanos translulit: sub Albino præceptore tātum in bonis artibus & literis profecisse constat: ut nō modò summus Orator, & elegans Poëta fuerit, & Rolando patrueli suo Epitaphium fecerit: sed insuper, ut studia humanitatis ad alias quoque gentes pervenirēt, duas scholas instituerit: Parisiensem in Gallia, & Papiensem in Italia: ex quibus posteā in totum terrarum orbem viri docti, tanquam ex equo Troiano, prodierunt.

Quid dicam de Friderico Secundo, Heinrici Sexti filio? Quid de Carolo Quarto, & huius filio Sigismundo, qui omnes hæc literarum studia diligentissimè coluerunt, & in summo honore semper habuerūt? Quid de Carolo Quinto, qui nostra memoria imperiū gessit: & mathematicas disciplinas tū ipse coluit, tum cultores earum, & omnes literatos mirificè fovit, & protexit? Accedunt huc & sacrarum literarum exempla: quæ quanti hæc studia æstimare debeamus, clarissimè ostendunt. Quis enim nescit Mosen, populi Israëlitici ducem: qui

qui primus historiam gentis suæ antiquissimâ
 condidit: Aegyptiorum disciplina in linguis &
 dicendi artibus, atque mathematis optimè in-
 structum fuisse? Quis nescit Dauidem & Salo-
 monem filium eius, sapientissimos Iudæorum
 Reges, tûm in arte poëtica & Musica tûm in
 Mathematicis & Physicis optimè excultos fu-
 isse: & exteras gentes in stuporem & sui admis-
 rationem rapuisse? Quis nescit Iosiam & Eze-
 chiam, eiusdem populi Reges, in hoc studiorû
 curriculo versatos esse, & literarum cultu cùm
 sibip̄fis profuisse, tûm regno suo magna cum
 laude præfuisse? quid? Quòd ipse Salvator hu-
 mani generis, Christus Opt. Max. cum in his
 terris viveret, scholas frequentare non erubu-
 it, & duodecim annorum puer cum magistris
 & Doctoribus gymnasij Hierosolymitani sen-
 tentias conferre non dubitavit? Quod si igi-
 tur summi Reges & Imperatores tanto studio
 & labore artes liberales & linguas coluerunt:
 ut præclarum inde nomen sibi compararint:
 si populi Iudaici duces ac Reges, literas huma-
 nitatis, sacro studio, tam diligenter & sedulò
 adiunixerunt: si ipse Salvator Christus cœtus
 scholasticos, & artes bonas tāti fecit: ut eas fre-
 quentaret: ecquid te pudet, qui nondum ad
 Regni aut Imperij alicuius fastigium ascendi-
 sti, liberales artes aut stultè contēnere, aut tur-
 piter negligere? Sed hæc leviora fortassis vide-
 ri possent: ijs præsertim, quibus cura quid ex-
 pediat,

pediat prior est: quām quid sit honestū. Age
 igitur, expende nunc mecum, quantum in o-
 mni vitæ genere hæ artes probè perceptæ &
 cognitæ fructum afferant. Quæ enim ars est,
 aut quod ullum vitæ genus, quod his initijs
 non egeat: & tanquam fundamentis insistat?
 Quis quæso Theologo modum docendi po-
 pulum, refutandi hæreticos & Sophistas, expli-
 candi phrasin scripturæ monstravit, nisi artiū
 & linguarum professor? Quis Iurisperito viam
 ostendit: ut iustitiam conservare, leges inter-
 pretari, adversarium convincere; ne dicam lin-
 guam latinam, qua ista omnia continentur, in-
 telligere possit: nisi artium & linguarum pro-
 fessor? Quis medicum docuit: è Græce linguæ
 fontibus Galenum & Hippocratem enarrare,
 morbos rectè definire, accidentia illorum à re
 ipsa distinguere, naturas rerum observare, tem-
 pora venæ sectionum & purgationum è motu
 cœlesti annotare, nisi artium & linguarum pro-
 fessor? Quid multis? nostræ artes Theologiam
 fovent, Iurisprudentiam alunt, medicinam su-
 stentant, ætatem omnem corroborant, pul-
 cherrimum denique, ut Socrates dixit, ex ho-
 mine animal constituunt. Has qui probè non
 didicit, & ad altiora aspirat, ille ceratis ape Dæ-
 dala nititur pennis, vitrea datus nomina
 Ponto. Dicas fortasse hanc laudē philosophiæ
 potius quæ de moribus præcipit, & in naturæ
 obscuritate versatur, quām liberalibus adscri-
X

bendam artibus , aut ut maximè aliquibus ;
 non tamen omnibus . At ego hanc dignitatis
 atque utilitatis laudem artibus liberalibus vel
 solis & quidem omnibus tribuendam censeo :
 tum verò illi in primis , quæ de latini sermonis
 puritate & apta pronunciatione præcipit : quā
 purpurati quidam , ubi altiorem vitæ gradum
 concenderint , ita negligunt : ut eam calceis ,
quod aiunt, contrivisse sibi videntur : tūm cul-
 tores eius adeò despectui habent : ac si nun-
 quam nati essent : & soli ipsi tam sapere vide-
 antur : soli honorari , soli liberi esse , soli dite-
 scere , soli excellere & in primis insidere subsel-
 lijs mereantur . At obsecro , an tu eū pro Theo-
 logo , & quidē Doctore habebis : qui nondum
 latinè & purè , didicit loqui , aut ut maximè ver-
 ba idonea è bonis authorib . didicerit , ea tamē
 aptè pronunciare nequit ? An tu eū , qui Iuris
 Doctorem se profitetur , & ea interim præstare
 non potest , quæ multi pueri præstare possunt ,
 Grammatico bono præferendū cēsebis ? An tu
 medicinæ Doctorē cognoscas , qui purè nō lo-
 quitur , & in scribēdo hallucinatur ? Nā ut ma-
 ximè verū sit , quod Celsus scribit , morbos nō
 eloquētia , sed remedijs sanari : tamē ut Doctor
 sit , necessariò ab illo puritatē linguæ & sermo-
 nis elegantiam requiri existimo . Quod n . arti-
 um nostrarum contemptores dicunt : non o-
 pus esse tali facundia & elegantia : idem illis re-
 spondeo : quod Erasmus cuidam dixisse fertur :
neque

neq; solœcismis & barbarismis op̄g esse Quod
 à me non eò dictum existimetis, ut suam laudē
 & prærogativam superioribus studijs ac disciplinis adimā: quas quanti faciā, & ab omnibus
 fieri velim , alio ostendi loco , & meo exemplo
 satis docui, ut' qui in illis percipiendis non paucos annos insumserim: sed eò ista commemo-
 ro, ut nostrorū adolescentū animis sinistra op̄i-
 nio, & vana persuasio, quā illi induerūt, oratio-
 ne mea qualicunq; eximatur. Credunt n. ple-
 riq; se iam omnium doctissimos esse, & ab ipsa
 Minerva omnes artes perdidicisse: ubi Docto-
 ris in aliqua facultate sublimiori gradum atq;
 titulū aſſecuti fuerint. Quo fit, ut nostra pueri-
 tia stulta quadam festinatione , relictis à tergo
 linguis , & longūm valere iussis liberalib. arti-
 bus , statim ad superiora studia contendat : &
 quæſtuosas honoratasq; artes cæco quodā a-
 nimi impetu persequatur. Nō pauci suis in hac
 re parentib. qui ista minus intelligunt, nefariè
 imponunt: plurimi verò se ipſos turpiter deci-
 piunt, cùm idoneos se ad Iuris aut Medicinae
 studium iudicent: ὅνοι ὄντες πρὸς λύγειν. Evidem
 Sambucā citius caloni aptayeris alto: quām ru-
 di in artib. & linguarū imperito iuveni, aut le-
 gum illud immensum Volumen, aut sacra scri-
 pta , aut Hippocratis aphorismos accommo-
 daveris. Itaque iuniores summoperè admoni-
 tos volo:ut Artabani illud diligēter expendat:
 qui apud Herodot. in Polymnia ut gravissimè,

ita & verissimè dixit : Omné rem properando errorem parere, unde magna detrimenta fieri adsoleant: in cunctando autē bona inesse: si nō talia, quæ statim videātur esse bona: certè quæ suo tempore bona quis esse comperiat. Etsi n. liberales artes, ut ad propositum redeam, suis cultoribus non statim fructuosæ existunt: neque dignam mercedem uno atq; altero anno secum reportant: tamen ea est harum disciplinarum ratio atq; facultas: ut si probè eas percipiat quispiam, sequentibus annis duplicatū ei fœnus referant. Nam qui artium & linguarum fundamenta rectè iecerit : is uno anno in superiorum facultatum studijs' plus proficiet: quam alius biennio, aut etiam toto triennio. Quod cùm experientia notum sit: pluribus verbis ut confirmetur, opus esse non iudico. Ac proin de reliquis percēsendis consultò supersedeo: hoc unum addens, quod Ovidius de liberalibus artibus & literis humanioribus, verè & graviter cecinit:

Adde quòd ingenuas didicisse fideliter artes

Emollit mores, nec sinit esse feros.

Quam enim moderati & humani fuerint omnes reges & Imperatores, quos suprà recēsui, satis commemorari non potest. Nam quæ ducis Aemathij fuerit clementia, Pharos, præclarique docent funeris exequiæ. Etenim doctrinarū & Philosophiæ studio, asperrimus Alexandri animus adeò mitigatus fuit : ut in ipso

ipso victoriarum cursu, vix quisquam fuerit huma-
 nior. Quid Iulius Cesar? Annon ille ad pacem
 intentiam usque clemens fuit? si Plinio & hi-
 storijs credimus: ut nihil dicam de innumeris
 alijs, quos liberalium artium studia ad sum-
 mam humanitatem, morumque admirandam
 suavitatem perduxerunt. Quae obsecro Ger-
 manorum barbaries fuit: ubi viri pariter ac
 foeminae, literarum secreta ignorarunt? Quae
 Scytharum rabies? quis furor? ubi innumeræ
 gentes circumferæ bella minantur: Quæ, nisi
de rapto vivere turpe putant? Quæ hodie
 Turcarum immanitas: ubi disertissimi haben-
 tur, qui CHRISTO maledicunt: fortissimi,
 qui innocentissimos & optimos quosque tru-
 cidant: prudentissimi, qui non globum cœli
 & terræ contemplantur, sed globos è tormentis
 iaculantur? Et quid opus est verbis & exem-
 plis è longinquo petitis? Videmus hodie inter
 nostros homines quosdā: qui neq; literas neq;
natare norunt, neq; ullo disciplinarum libera-
 lium amore tenentur: plerunq; immanissimis
 Scythis, & truculentissimis Tartaris asperio-
 res atq; inhumaniores existere. Quod ne quis
 de paganis tantum & rusticis hominibus dictū
 putet: etiam de illis accipi atque intelligi volo:
 qui cultiores atque urbaniores dici & haberi
 volunt. Nam hodie plerique aulicorum erga
 literas humanitatis, earumque cultores, nihi-
 lo mansuetiores aut humaniores sunt: quam

*...ne libe in dñe p... d...ne
...ne libe in dñe p... d...ne
...ne libe in dñe p... d...ne*
olim immanissimi Lapithē atque Centauri erga finitos populos fuerunt. Quid? quod inter ipsos literatos, ut credi volunt: tanto quisque est insolentior, inflatior atque inhumanior: quanto ab his linguarum artiumque studijs idem est remotior? Nam existunt aliqui divitum & locupletium scientiarum vultuosifullatores: qui, ut Plauti verbis utar:

Suarum opum nos volunt esse indigentes:

Nostra copia nihil volunt nos potesse:

Suiq; omnium rerum nos indigere:

Vt sibi supplices simus. Eos si adeas,

Abstum, quam aditum malis.

Putant enim multi homines, præsertim qui sunt, quales ex humili magna ad vestigia regum evexit, quoties voluit fortuna iocari: nulla re alia maiestatem & autoritatem suam plus valere, citiusve apud vulgus hominum inclarescere, quam fastu & erecto supercilio. Comiter vero blandeque inferiorum ordinum homines alloqui, & facilem se erga alios prebtere, animi putant esse extremi, abiecti & humilis. Sed heus tu, gloriose Thraso, quisquis es, qui tam altè cristas erigis, & tantos efflas è naribus ignes: quid mihi de Cyro & Scipione responderebis? quos tanta erga infimos & abiectissimos comitate ac lenitate fuisse legimus: ut ille militibus universis, sic populo Romano non mina sua reddere potuerit? Quid? an tu Cynamum abiectum & humile fuisse clamabis: quod is Go-

is Gobryæ, humanitatem illius prædicanti, respondit: multò sibi iucundius esse, humanitatis, q̄ Reibelicæ opera demonstrare? Quid? num tu Traianum, qui officijs atque humanitate facile omnes Imperatores superavit · extremi ingenij hominem fuisse iudicabis: quòd is nimiū circa omnes comis fuit, & hoc nomine ab amicis reprehensus, talem se dixit Imperatorem esse privatis: quales sibi privatos esse optaret? Imò certè, quò quisque est maior, magis est placabilis iræ: Et faciles motus mens generosa capit. Quòd si summi Reges atque Imperatores tantam facilitatem, morumque suavitatem, ex literis & bonis artibus, quas coluerunt, ad civilem hanc vitæ consuetudinem attulère: videant isti ~~ποιησοφανελορρύμονες~~, ut facetè à veteri Comico appellantur: quid se suumque ordinem deceat. Verum nos omissis istis, ad liberales artes, earumque fructus revertamur, & quoniam literas humanitatis, animos efficere mansuetos audimus: magnideinceps eas facere, & summo studio excolere discamus: ne amissis harum artium studijs in pristinam barbariem, & Turcicam asperitatem recidamus. Etsi autem hæ, quas modò récitavi, linguarum artiumque utilitates, longè maximæ sunt: quòd hæ solæ ad superiora studia aditum nobis patefaciunt: & hæ solæ in illis récte ac dextrè versari docent: tūm etiam ad

humanitatem & morum facilitatē plurimūm
 conducunt: tamen præter hæc commoda, alia
 quoq; non contemnenda suis amatoribus re-
 portant. Neque n. utilitas tantūm hisce studijs
 inest: sed summa etiam voluptas: quam in o-
 ni vitæ genere artes liberales magno cum fœ-
 nore nobis exhibent. Verissime enim Cyni-
 cus ille Diogenes dixit: disciplinam iuvenibus
 esse sobrietatem, senioribus solatium, paupe-
 ribus divitias, divitibus ornatus. Nam cæteræ
 artes atque scientiæ, neque temporum sunt, ne
 que ætatum omnium, neque locorū: Hæc stu-
 dia (inquit Cicero) adolescentiam alunt: sene-
 citatem oblectant, secundas res ornant: adver-
 sis perfugium ac solatium præbent, delectant
 domi, non impediunt foris: pernoctant no-
 biscum, peregrinantur, rusticantur Quid?
 quòd multi, cùm in potestate essent hostium
 ac tyrannorum: multi, cùm in custodia:
 multi, cùm in exilio: dolorem suum so-
 lius doctrinæ studio levarunt? Stilpon ca-
 pta patria, amissis liberis atque uxore, roga-
 tus à Dionysio Polyorceto, nunquid perdidis-
 set: Imò ait, omnia bona mea mecum sunt. Et
 Dionysius iunior, profligatus à tyrannide:
 rogatus, quid illi Plato & Philosophia pro-
 fuissest: ut tantam, inquit, fortunæ muta-
 tionem æquo animo feram. Sed & Phale-
 reus Demetrius, cùm patria pulsus esset in-
 iuria: ad Ptolomæum Regem Alexandriam se
 contu-

cōtulit: ibiꝝ; Theophrasti factus auditor: multa præclara in illo calamitoso ocio scripsit: & si Plutarcho credimus, primò inter Regis amicos loco, non ipse modò in abundantia rerum vixit: sed Atheniensibus etiam dona misit. Diogenes etiam dicēti cuidam, Sinopenses te exilio ē Ponto multarunt, forti animo respondit: & ego illos mansione in Ponto. Quid verò Ovidius? an non tristissimum exilium: quo in Pontum ablegatus fuit: nulla realia, quām literis & versibus suis commitigavit? Sic enim alibi de se scriptum reliquit:

Quot frutices sylvæ, quot flayas Tybris arenas,

Mollia quot Martis grama campus habet:
Tot mala pertulimus: quorum medicina quiescet;

Nulla: nisi in studio Pieridumq; mora. Et rursum:
Detinui (dicam) curas: tempusq; sefelli:

Hunc fructum præsens attulit hora mihi.
Absuimus solito, dum scripsimus ista, dolore:

In medys nec nos sensimus esse Cretis.

Sed quid attinet de rebus tām apertis plura commemorare? ipsi enim quæramus à nobis, numerorum Poëticorum suavitas, orationis eruditæ copia & splendor, veritatis in rebus obscuris inquisitio, soni harmonici dulcedo, figurarum positus, stellarum motus, contemplationes rerum cœlestium, eorumque omnium, quæ naturæ obscuritate occultantur cognitiones, quemadmodum nos moveant: & quid historia delectet: quam solemus perse-

qui usque ad extremū: prætermissa repetimus:
 inchoata prosequimur. Quod si quē magis ho-
 nor & gloria (ut nūc quidē sunt hominū mo-
 res) quā voluptas & delectatio, quæ ex harū li-
 terarū studio petitur, afficit atq; extimulat: ne
 hac quidē in parte hominū cupiditati artes li-
 berales defuerint. Nam & honores in vita sum-
 mos, & maximos diligentib p̄stiterunt s̄pius:
 ac suos cultores nonnunquā ad suūma rerum fa-
 stigia provexerūt. Quæ enim res alia Ipsicratē,
 futoris filiū, nobilitavit: quā literē & eruditio?
Quid aliud Ciceroni Romanū consulatū eme-
ruit: quā eloquentiæ & philosophiæ studium?
Quod deniq; vītē p̄sidiū, Severum Imperato-
rē (ut innumeros alios præteream) cū initio
Amanuēsis esset: ad Romani Imperij culmen
extulit: quā linguarū atq; Mathematū peritia?
Quid? qd' ne hodie quidē suus literis honor, &
sua p̄rogativa in Scholis, Ecclesia, & rebus pu-
blic. denegatur? Nam quis Regū aut Principū
adeò vecors sit ut honores & p̄mia nō malit in
viros doctos ac literatos, quā rudes & imperi-
tos cōferre? Navē agere, ignarus navis timet:
Anabasis
abrotonū ægro nō audet. nisi qui didicit dare.
Qui igitur (malūm) demētia sit, illiterato atq;
inepto homini doctrinā pietatis, & gubernationē Ecclesiæ aut administrationē Reip. & cu-
rām legū cōmitteret? Nam ut maximē hoc in-
terdum fiat: ac plures ferè sint hodie Thysius
plures tantum. g. m.
Li, quā Bacchi: tamen solidæ eruditiovis tanta
leto ergo sed
vis est: ut sua quadam spōte emergat: & palmæ
spp. Bacch.

instar, cōtra onus impositū insurgat. Vrit enim
 fulgore suo q̄ prægravat artes infra se positas.
 Quod aut̄ pleriq: omnes clamitāt; honorū gra-
 dus hodie in contemptū abiisse: & pluris ante
 paucos annos Magistrū unū fuisse: quā hodie
 sint doctores decem: ac pretij maioris unū Ba-
 culariū: quā centum sint hodie magistri: culpa
 haudquaquā bonis artibus, q̄ omni honore di-
 gnē sunt: sed nostris hominib. iure optimo im-
putari potest ac debet. Si enim q̄ Doctores ho-
 die alicubi fiunt, Magistri crearētur: & qui Ma-
 gistri creantur: Bacularij renunciarētur: equi-
 dem magna ex parte huic malo iam medicina
 esset invēta: & facile liberalibus disciplinis an-
 tiquus vigor rediret, pristinusq; honor restitu-
 eretur. Nam q̄ antea conquestus sum de supe-
 riorum facultatū studijs: nimio ad illa impetu
 homines nostros ferri ac rapi: id nūc etiam de
 linguarū & philosophiæ cultu repetere liceret
 liberetq; nisi ea res iā pridē apud omnes inno-
 tuisset. Sed accedit & altera causa, quam filētio
 præterire nō possum, parentū ipsorū cura de li-
 beris p̄postera, & studiū planè pversum. Nam
 aut rationē & ordinē studiorū nō intelligūt &
 oculos suos tantū ad pompam externā refe-
 runt: & quia illiterati sunt: simias in purpura,
 & asinos in Leonina agnoscere nō possunt: ac
 miseri homines fucoso isto splēdore nimiū ex-
 cæcati: sapiētiam sub sordido palliolo latitare
 neq; credūt neq; intelligūt. Aut ut maximē e-
 ruditi sint ipsi, neq; ignorēt, qđ distēt æra lapi;

Simia cuius abru-
 dū Mānū O. 13.

nis: tamen rei familiaris augendi studio ita de-
 tinentur: & in aggerenda pecunia ita impli-
 cantur: ut liberos suos aut planè negligāt: aut
 indoctissimorum hominum curæ ac discipli-
 næ committant. Plerunque enim præcepto-
 res de magnis maiora locutos, & adhuc rudi-
 menta docendos: quos liberis suis præficiant,
 acquirunt. Hos ubi invenerint servorum in-
 star, ad mentem & voluntatem suam compo-
 fitos esse volunt: his disciplinæ modum præ-
 scribunt: & ne liberos in studio artium & lin-
 guarum diu detineant, sedulò & seriò iniun-
 gunt. Qui omnium doctissimi sunt, cavendum
 esse clamant: ne iuventus studijs liberalibus
infenescat: & causas olim apud Rhadamanthū
 & Aeacum dicat. Adeò perditum id tempus
 plerique homines iudicant: quod literis hu-
 manioribus, & ingenuis artibus impenditur.
 Interim ipfi, nescio qua furiali Erynni perciti,
 nulla de re magis solliciti sunt: quām ut liberis
 suis divitias & opes accumulent: & de pecunia
 quām optimè illis prospiciant. Ut autem egre-
 gij & his literis, quas profitemur, exulti eva-
 dant, non multūm curant. Sed vide: an non
 illis accidat, quod equorum nutritoribus, qui
 multis illos pabulis farciunt: & belli interim di-
 sciplinam non docent. Ut enim tales equi pin-
 guiores quidem fiunt: sed ad militaria exerci-
 tia ineptiores: ita liberi amplioribus patrimo-
 nijs saginati, plerunq; intumescunt: & super-
 bia

bia mirum in modum inflantur: ad omnem vē
rō virtutis actionem inepti redduntur. Quan-
tò igitur rectius facerent: si Aristippi philo-
phi consilium sequerentur. Is enim naufragio
ad Rhodiensium littus electus, cùm in Gym-
nasium venisset, & de philosophia disputasset:
multisque muneribus donatus esset: comiti-
bus rogantibus: nunquid domum nunciare
vellet? mandavit dicere, eiusmodi possessio-
nes, & viatica liberis oportere parari: quæ etiā
cum naufragio possent unā enatare. Sed quo-
niam nostrorum hominum aures hodie non
minus ad has admonitiones obsurduerunt:
qnām Nili accolarum ad Catarractas & aqua-
rum strepitum: ideo Cratete aliquo Theba-
no nunc opus foret; qui consensa vrbis altissima
parte exclamaret: *Quò quò ferimini ci-
ves! Itáne convenit in opibus parandis maxi-
mè occupari?* In ijs verò quorum causa quæ-
rūtur, nihil laborare, ac minime esse sollicitos?

Sed de his dictū in præsentia sit satis. Nunc
reliquum erat: ut illis etiam responderem: qui
nescio quam difficultatem his studijs inesse fin-
gunt, eamq; suæ ignaviæ nequiter & malitio-
sè prætexunt. Sed quia de hac re aliâs copiosè
dictum esse memini, & iam antè longius à pro-
posito nostra excurrit oratio: ideo ad ipsos
nunc candidatos transeo, breviter etiam de il-
lis aliquid dicturus. Cùm enim ipsi harum ar-
tium, quas liberales vocamus, dignitatē sum-
mam

mam, & quam cultoribus suis præstant, utilitatem multiplicem intelligerent: nihil sibi prius in alijs scientijs & studijs superioribus tentandum putarunt: quām literarū humanitatis curriculo peracto, fundamenta in illis probè iecissent: & artes dicendi atque linguas: quibus tanquam alis, ad sublimiora evolari solet, penitus cognovissent. Qua ratione factum est: ut omnes præteritę vitæ dies, ad liberalium disciplinarum & linguarum Græcæ & Latinæ curam revocarint: ut earum aliquando periti & gnari evaderent. Neque certè labores illorum fuerunt irriti: neque sua ipsos fefellit opinio. Nam in studio literarum, & bonis moribus plurimum hactenus profecerunt. Atque hoc ipso nomine, à præceptoribus suis digni habitis sunt: quibus tūm propter eruditionem, tūm propter morum & vitæ integritatem, publicum doctrinæ virtutisque testimonium tribuatur: ac primus studiorum gradus conferatur. Ita enim fore confidunt præceptores: ut his honorum initijs, quasi aculeis ad maiores conatus incitentur. Solet enim honos, ut Cicero præclarè dixit, artem alere: & currentie quo, veluti calcar quoddam addere: ac plerunque maioribus studijs initium præbere. Et videmus certè, longa edocti experientia, illos ut plurimum maiori cum laude & fructu in Ecclesia & Repub. versari: qui per gradus ad ultimam quandam studiorum metam pervenerunt:

rant : quam illos , qui hos artium limites & hæc linguarum septa levi pede transfilierunt . Quare ne illis diutius in mora sim , iam honore ipsis decreto omnes & singulos ornabo ; ubi tamen prius consueto & usitato iuramento se scholæ huic obligaverint .

I V R A M E N T V M .

Quod igitur studijs vestris , optimi & literatissimi adolescētes , berè vertat : ego pro mea authoritate , qua nunc fungor publica , vos 38. Candidatos , bonarum artium & linguarum Bacularios iam antè designatos nun cupo atque pronuncio : talesque ab omnibus haberi & nominari volo & iubeo : Deum æternum , trinum & unum , omnibus precibus ora ns atque obsecrans : ut honores istos ad nomi nis sui gloriam , Ecclesiæ Rei que publi cæ emolumen tum & animarum ve strarum salutem dirigat .

A M E N .

TRIA



TRIA PROBLEMA-
TA IN VTRAMQUE PARTEM A-
GITATA: QVORVM I. EST DE SE-
ptem liberalibus artibus: 2. de quinqus sensibus, cum 38.
adolescentibus Anno 1574. Baccalaureatus gradus à Ni-
codemo Frischlino conferretur: 3. verò de fortuna, cum
Magisterij titulus ac honos eodem anno 32. Candi-
datis tribueretur: publicè THEVBIN-
GÆ recitata.

PROBLEMA. I.

DE SEPTEMARTIBVS LI-
 beralibus, quænam harum præ-
 stantissima sit.

INTER ARTES ILLAS GRAM-
 maticam excellere.



Vin septem numerentur artes libe-
 rales, ornatissima Corona, atque
 hæ dignitate ac multiplici fructu,
 quem in omni vita præbent, nullis
 scientijs inferiores sint: neque ulla vitæ pars
 earum præsidio & adminiculo carere pos-
 sit: non immerito in dubiū vocari potest, quæ-
 nam illarum præstantiss. sit, ac cæteris omni-
bus usu ac dignitate antecellat. Evidem præ-
 clara res est, & summi ingenij opus, quid in u-
 naquaque re aut veri aut falsi insit perspicere:
 magna

magna virtus bonas res animo comprehensas,
ornatè eloqui, & verbis idoneis exprimere :
magnum in vita ornamentum, vocum concē-
tus edere harmonicos : magna laus & homini
propria expedite numerare, & tempora sup-
putare : magna industria corporum figuræ, &
intervalla locorum annotare : magna denique
sapientia, cursus astrorum observare, & fu-
turos eventus inde prædicere. Ego verò salva cu-
iusque sententia, his omnibus à me enumera-
tis, unam Grammaticæ artem, anteponendam
esse censeo, eamque inter liberales, ut vocan-
tur artes, principatum tenere & dignitate re-
liquas omnes vincere, ac longissimo post se
intervallo relinquere, firmiter statuo. Quod
ne cui absurdum videatur, rationes afferam,
haud quidem multas (neque enim tempus pa-
titur) sed tamen firmas, ut opinor, & haudqua-
quam contemnendas. Quibus audiendis, ut o-
peram detis, vos omnes magnoperè oratos vo-
lo. Primum igitur notum hoc est, & vobis o-
mnibus in confessu, Grammaticam cæterarū
artium ac disciplinarum fenestram & ianuam
esse : quæ ad reliquias facultates, & scientias o-
mnes aditum patefaciat. Quis enim hac occlu-
sa, ad illius artis cognitionem pervenire pos-
sit? quis eleganter & ornatè dicat, cuius ora-
tio congrua & pura non sit? Quis cum altero
rationes conferat, & de veritate disputet: qui
proprio & rebus accommodato sermone uti

nesciat? Quid multis? Sine Grammaticæ perfecta cognitione ad sublimiora studia contendere, quid est aliud, quam Icarum & Phaëton tem imitari? quorum hic Solis currum, artis ignarus, affectavit: ille sine pennis volavit, quid aliud, quam funem ex arena connectere, aut Isthmum perfodere, aut nullo fundamento solidè iacto, ædes in pulvere extruere? Quod ne quis à me confictum existimet, testis mihi est, vir summa eloquentia & autoritate præditus F. Quintilianus: qui hanc artem plus in recessu habere, quam in fronte promittat, graviter affirmat. Et de eadem in hæc verba præclarè scribit: Nisi, inquiens, Orator fideliter fundamenta iecerit, quicquid superstruxerit, corruet: necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis secretorum comes: & quæ vel sola ex omni studiorum genere plus habeat operis, quam ostentationis. Quæ verò maior laus sit facultatis huius, quam hæc: quod una & sola Grammatica sine alijs consistere: alia verò sine ipsa vivere: & vim suam exercere non possunt: Quod ipsum Platonis etiam testimonij, ex Philæbo, & Theæteto, facile comprobari posset, nisi temporis exiguitas hoc prohiberet. Accedit huc, quod ista disciplina non tantum in literata Republica dominatur, & omnes alias artes imperio suo subiicit: Verum etiam in reliquis vitæ generibus excellit, ac summo-

summorum ordinum homines , potestati &
 legibus suis obnoxios habet. Quis enim sum-
 morum Imperatorum unquam fuit , qui cum
 veteres leges abrogaret , & novas constitue-
 ret , unam Grammaticæ Regulam mutare po-
 tuisset ? Quis Regum aut Principum omni-
 bus suis thesauris , redimere hoc possit : ut
 omnia nomina in A exeuntia , pro fœmininis
 habeantur ? Nam quod Sigismundus Impe-
 rator in Concilio Constantiensi , Placentino
 obijcienti : quod schisma perperam & con-
 tra Regulas Prisciani in masculino genere pro-
 ferretur , respondit : Maiorem esse Impera-
 toris , quam Grammatici Prisciani authori-
 tatem : id facetè magis , quam verè dictum
 existimari debet. Quid? quod ipse Iulius Cæ-
 sar , primus imperij huius conditor , Gramma-
 ticam & Latini sermonis puritatem ab Aure-
 lia matre didicit , ac tanti hanc artem fecit ,
 ut , qui totius orbis Imperator futurus erat :
 Imperio & legibus Grammaticæ se prius sub-
 mittendum putarit. Et sanè quantum in hac
 arte profecerit , satis superque ostendunt i-
 psius , quos de bello Gallico & civili scripsit e-
 legantissimos commentarios. Quæ cum o-
 mnia ita sint , liquidò constare arbitror , Gram-
 maticæ facultatem , omnibus alijs artibus &
 disciplinis , ut naturæ ordine , ita dignitate &
 usu , meritò anteponendam .

DIALECTICAM PRAEPOL.
lere omnibus.

Nomen Philo

Quod Cynicus ille Diogenes de Grammatice dixit: ipsos Vlyssis errores magno studio perquirere, & suos interim ignorare: Idem nunc in te usurpare mihi posse videor, ut qui tanto verborum conatu, Grammaticę arti primatum arroges, & toto interim cœlo aberres. Etsi n. verum est, quod sine Grammatica ad superiora studia perveniri non possit, & ab illa tanquam à limine & primo gradu ad sublimiora contendi oporteat: tamen haudquaquam ceteris artibus dignitate & præstantia anteponi debet. Neque n. ligna opiparo prædio meliora ac lautiora sunt, quod sine illis hoc adornari non possit: neque pennæ præstantiores aviculis, quod sine his illæ volare nequeunt: neque inferior vita gradus, humani ingenij vigore & mentis acie potior celeri debet, quod sine illo nemo vivere, nedum ratiocinari possit. Quod autem de Imperatorū conditione & servitute profers: Idem non minus in alijs artibus, quam in Grammatica valet. Nam & Dialecticę regulæ immota sunt, & nemo Regum omnibus suis thesauris perficiet, ut in syllogismo plures sint termini quam tres. Itaque præcipuam ego laudem & primas partes arti Dialecticæ tribuendas esse existimo. Nam primò huic arti non minus omnes reliquæ scientiæ & artes subi-

cent,

cent, quām Grammaticæ. Quis enim vel Theologus vel Iureconsultus, vel Medicus, vel Mathematicus, vel Orator, sine instrumento huius artis, rem quamquam definire aut dividere possit? At ubi definitiones & divisiones non sunt: quę ibi, Deus bone, rerum omnium confusio? quę veri cum falso permixtio? Quod verborū chaos? Possem hęc omnia exemplis luculentissimè demonstrare, nisi angustia temporis excluderet. Iam verò & de illo inter omnes convenit: quod Dialecticus arte sua veritatem inquirat in omnibus, & contra Sophistas digladietur, eorumque Strophas acer- rimè oppugnet. Quod commodum nihomini- bus præstaret Dialectica: Sophistæ non modo leptologijs & fumis suis, philosophiam & superiores facultates, sed ipsam quoq; Grammaticam destruerent. Quid enim aliud agunt Sophistæ, quām ut vocabulis ludant & proprietatem nominum ac vim significationis invertant? *λαοθάνεσσι γαρ ἐν τοῖς οὐόμασιν* ait Aristoteles. Quām obsecro spinosa fuit Grammatica? ut nihil dicam dealijs disciplinis, antequam Philippus & Erasmus de ea scriberent? atque hoc vitium non aliunde provenit, quām ex ignorantia artis Methodicæ seu Dialecticæ. Quid, quod Plato in Cratilo scribit, Dialectici officium esse rebus imponere nomina: quod is componere ac dividere sciat: neque id ab alio, quām Dialectico commode fieri posse existi-

mat? Quòd si omnia hoc loco proferre velim,
quæ huic arti laudem conciliant, quæq; apud
Ciceronem in Topicis & Platonem passim in
Dialogis extant: dies me potius, quam verba
deficiant. Itaque unum hoc Colophonis loco
adijcere sufficiet, quod in Glaucone legitur:
Dialecticam doctrinis omnibus velut apicem
esse propositam, nec ullam doctrinam ulterius
aut eminentiorem reperiri. Sed hic iam o-
mnium doctrinarum esse finem.

R H E T O R I C A M P R A E V A-
lere omnibus.

in boc fab X.

BEnè tu quidem meherculè philosophatus
es, & Dialecticū te esse satis argutè docui-
sti. Sed interim tamen, cùm Rhetor non sis, mi-
hi nondum persuasisti, Dialecticam potiorem
esse Rhetorica. Nam quòd tua ars in omnibus
disciplinis versetur & veritatem in illis defini-
endo ac dividendo inquirat: id sanè haud ne-
gaverim, dum interim hoc mihi à te conceda-
tur, artem dicendi, hæc ipsa, quæ à Dialectico
nudè proponuntur, & quasi carbone adum-
brantur, accuracy penicillo exornare, & lu-
minibus verborum & sententiarum illustrare.
Ut enim pictor ingeniosus, primò cuiusq; rei
lineamenta nudissimè concipit, eaqué deinde
varijs coloribus illustrat & quasi vestit: ita Dia-
lecticus παχνλως ηγει ὡς cù τύπω, veritatem rerum
considerat: quam Orator deinde verborū or-
natū

natu, splendore atque copia amplificat. Quantum igitur elegans pictura, obscuram & nudā imaginem, carbone delineatam superat: tantum Rhetorica vincit Dialecticam, cū hæc involuta, illa verò explicata ars sit. Quid quod veterum plerique Dialectici, circa subtilitates tantum occupati, studium hoc ferè secū ipsis coluerunt? Quo nomine eos, Ariston, cancrios edentibus similes esse, dixit, qui propter exiguum alimentū, circa crustas plurimas occupentur. At Rhetorica, rem à Dialectico inchoatam, non modò perficit atque absolvit: sed etiam in publicum profert, & ad usum civitatis, omnia domi meditata, revocat. Est enim Rhetorica pacis Comes, ocijque socia, & iam benè constitutæ civitatis quasi alumna quædam. Hæc sola hominum animos afficit & movet: sola veritate (non quidem simplici, sed exornata & picturata) oculos & mentis aciem perstringit: hæc sola religiones populo interpretatur: sola senatus gravitatem oratione convertit: sola plebem in officio retinet: sola regit dictis animos & pectora multet. Hæc militum animis, alacritatem pugnandi, veluti tuba quædam, injicit: & sola id consequitur: quod omnes Dialectici regulis suis omnib. consequi nunquam possent. Quid multis? totum mundum regit oratio, & qua re brutis animantibus præstant homines, ea ipsa præstant Rethores & viri eloquentes ipsis ho-

Rhetorica.

minibus. Quod si igitur verum est, quod Aristoteles affirmat, Cicero comprobat, eruditio omnes farentur, hominem natura esse *σωπνο-λίτην*: quomodo non præstantiores erunt Rethores Dialecticis, cùm hi plerūq; domi philosophantes, tanq; cochleæ sub testa latet. Illi vero sua consilia & animi inventa ad Rem pub. & vitam communem proferant? Iam vero si Platonis testimonio ea, quæ in Gorgia eiusdem de Rhetorica scribuntur, & Ciceronis Topicis: eiusdem Brutum, aut Fabij & Cornelij Taciti testimonia opponere vellem: metuone id nimis fiat prolixum. Quamobrem satis à me factum arbitrabor: si uno Periclis exemplo declaravero. De hoc enim literis est proditum, quod orationis maiestate tonarit & fulgurarit, & vi eloquentia totam Atticam virum suo arbitrio versaverit. Ut nihil de Cicrone, nihil de Demosthene, nihil de Isocrate dicam: quorum oratio totum mundum in stuporem convertit. Ex quibus omnibus liquidò constare arbitror, quod Rhetorica tantum inter alias caput efferat artes, quantum lenta solent inter viburna cupressi.

MUSICÆ PRINCIPATVM
attribuendum esse.

NEque vero tu mihi, tam felix & facundus Orator videris, qui mihi antithesis tuis persuas-

persuadere possis: Ut nō potius Musicam, quā Rheticam inter liberales artes excellere, & ante omnes dignitate atque usu præpollere statuam. Nam si res eò præstantiores sunt: quò pluribus bonitatem suam cōmunicant: omnium certè præstatiſſima erit Musica. Quæ enim uilla vitæ humanæ pars est, ad quam Musicæ fruſtus non pertineat? Hoc est, cur alta sub rupe canat frondator ad auras.

Hoc est cur cantet vinculus quoq; compede fōſſor

Canticū ſtrigillarū

Indocili numero cum graue mollit opus.

Cantat & innitens limosæ pronus arenae:

Adverso tardam qui vehit amneratē.

Quiq; refert pariter lentos ad pectora remos:

In numerum pulsa brachia versat aqua.

Fessus ut incubuit baculo saxoq; refedit:

Pastor arundineo carmine mulcet oves.

Cantantis pariter, pariter data pena trahentis

Fallitur ancillæ decipiturq; labor.

Est enim Musica dulcissima laborum requies: & suavissima medicina dolorum: tristitiaque hostis, luctuq; comes. Nam quantum in hominum animis demulcendis & reficiendis ars hæc momenti & virium habeat: tūm illo sapientis dicto admonemur: *Vinum & Musicalatificant cor hominis:* tūm etiam quotidiana experientia docemur. Et quoniam de literis ac literatis hic præcipuè nobis sermo institutus est: prius, quād ad reliquorum ordinum homines perveniam, paucissimis osten-

*P. Ovidij Naso
nisi tristissime lib.
quarto. Elegia
T.*

dam , hanc artem etiam disciplinis liberalibus
 non prodesse tantum, sed etiam præesse. Equi-
 dem poëtas , qui primi fuerunt philosophi , &
 soli sapientes meritò habitis sunt , Musicos fa-
 isse omnium præstantissimos, nemini est dubi-
 um. Nam & Orpheum suos versus lyrę accom-
 modasse , & suavissimè dein eos modulatū fu-
 isse notius est, quām ut commemorari oportet
 at. Musēum etiam tanti ob hanc ipsam artem
 religiosa fecit antiquitas: ut eum post mortem
 quoq; apud inferos canere , & numeris oblo-
 qui septem discrimina vocum Virgilius dixe-
 rit. Quis verò ignorat Socratem sapientissimū
 Græcorum, & quem folum cecinit Phœbi cor-
 tina beatum: in Musica iam senem à Conone
 institui voluisse. Etenim cùm natu tam gran-
 diore esset: & inter pueros fidibus luderet: ob
 iurgantibus amicis respondisse fertur: nequa-
 quam absurdum esse discere ea , quæ prius cō-
 munivitæ tam utilia , tamque necessaria esse
 ignorasset. Quid verò Themistocles ? an non
 ille quanquam bonus Orator, & bonus Impe-
 rator, cùm in epulis lyram recusasset , à Persis
 habitus indoctior ? Nam ad reliquas artes li-
 bero homine dignas , veteres Græci etiam hāc
 ingenij facultatem accedere voluerunt : ne
 quid ad perfectam & absolutam eruditionem
 deesset: sicut exemplo Phenij , & Demodo-
 ci apud Homerum , itemque Græcorum a-
 pud Clisthenem Musica certantium ex Hero-
 dozo, lu-

doto luculentissimè patet. Neque sanè defuerunt qui Grammaticæ etiam Musicen subiectā affirmarent. Sed & Prisci Cretenses suas leges, quarum inventores creduntur, sono Musico adaptasse scribūtur: ut eò graviores essent, & firmius inhærerent memoriæ. Quid quod illa ipsa Oratoris vis, quam in concitandis affectibus habet: aliunde non provenit: quām à Musica & numero so orationis sono? Quantam enim in apta & numeris accommodata pronunciatione sit positum: id eruditī omnes norunt. Nisi enim structuris & quasi Musica harmonia contemperata sit: nihil aut parum gratiæ reliquum habebit oratio. Vnde non immerito hæc ars Rheticæ anteponi potest & debet: quòd sola aptum orationi sonum attribuit: sola venustatem verbis conciliat. Atqui verò magnam inesse vim Musicæ, ad hominum animos concitandos, & quolibet impellendos: non modò sacrarum literarum, sed etiam profanorum scriptorum exempla docent. Quis enim nescit Saulem, Hebræorum Regem, quoties à malo spiritu agebatur, cithara Davidis recreatum & refocillatum fuisse? Quis nescit Alexandrum magnum à suo Timotheo, dupli modulationis genere, ad contrarios affectus permoveri potuisse: & altero quidē concitari, altero verò sedari consueuisse? Quid de Achille dicā Homericō: qui iram adversus Agamemnonem conceptam, unius

unius citharæ sono compescuit? Quid de Clivis Pythagorico: qui quoties ira se inflammati sensit: toties ad lyram tanquam mali certissimam medicinam se convertit? Quid de ipso Pythagora: qui adolescentis cuiusdam insanum amorem mutatis tibiæ modis immutasse: & alicuius quendam gladio necem sibijsi intendentem, eadem via inhibuisse scribitur? Sed & morbis quibusdam auxilium & levamentum à Musica adferri literarum monumētis est proditum. Res non tam facilis creditu, quam dietu. Nam Ischiadici, cum maximè dolent, si modulis levibus tibicen incinat, minui dolores aiunt. Et Theophrastus author est, vipearum morsibus tibicinem mederi. Quin & Boëtius in Musica testatur Lesbios, ac Iones à plerisque morbis cantus d' Alcedine & Terpander præsidio liberatos fuisse. Quid quod idem Terpander, authore Lenodoto, Lacedæmonios aliquando dissidentes: Musica & cantus suavitate delinivit, eorumque discordias sedavit *ναὶ γὰρ βια τὸς αἴρητραχεῖαν ἀνευθελιπὼν ἐγκέφαλον αἰνιδίην ικινειανόδιαν πάνωσι :* ut ait Pindarus. Quod est: Fortissimus etiam Mars aspera reliqua hastarum acie, oblectat animum suum carmine. Hinc factum est, ut summi reges atque imperatores artem hanc & plurimi fecerint, & ipsi etiam in ea institui voluerint. Nam & Hieronem Syracusanum Regem, Pindarus à Musica peritia landat: & Epaminondam preclarè

clarè fidibus cecinisse Cicero affirmat; & Ale-
xandrum in hac arte præceptorem cytharœ-
dum habuisse historiæ testantur. Quin etiam
hodie plurimū hæc disciplina in aulis Regum
& principum valet: & sola ferè præ reliquis o-
mnibus in pretio est. Et quid attinet Musicæ
vim è vita humana & animis hominum demō-
strare. Saxa & solitudines voce respondent,
inquit Cicero, & bestiæ sèpè immanes cantu
flectuntur atque consistunt.

Saxa Cytharonis lhebas agitata per artem,

Sponte sua in muri membra coisse ferunt.

Quod mare non novit? quæ nescit Ariona tellus:

Carmine currentes ille tenebat aquas.

Sèpè sequens agnam lupus est à voce retentus:

Sæpe avidum fugiens restitit agna lupum, &c.

Ille sedens cytharamq; tenet preciumq; vehendi

Cantat: & æquoreas carmine mulcit aquas.

Proper. lib.

eleg.

Ovid. 2. Fast.

Herod. lib. 1.

Gel. lib. 16.

cap. 19.

Totus locus

inferendus.

Sed & Pythocharem quendam fuisse ac-
cepimus: qui Musico sono & numerorum har-
monia vim luporum represserit: & Sibaritarū
equos ad cantum tibiarum saltasse legimus:
tum etiam Lybicas equas vocum sono delecta-
tas demulsasque fuisse ex historijs comperi-
mus. Quid multis? οὐδαὶ τοὺς δόκιμοντα βέλγει φρέ-
σει: ἀμφίτε λατοίδα σοφία βαθυόλπιη τε μυστᾶν. Car-
mina etiam Deorum mentes demulcent: cum
Apollinis & Musarum sapientia, ut dixit Pin-
darus Hinc Plato & ante eum Pythagoras Mu-
sicam Philosophiam vocarūt: eamq; Deorum
opus

opus esse arbitrati sunt. Et Plutarchus inquit: ὃν ἀνθρωπόν τινα παρελάβομεν εὐρετῷ τῷ τῆς μουσικῆς θύαθῶν, ἀλλὰ τὸν πάσας ταῦς αἱρεταῖς νεοσυνηγόρον θεόν, ἀπόλλωνα. Nos autem non hominum aliquem accepimus repertorem Musice bonorum: sed omnibus virtutibus ornatum Deum Apollinem. Et rursum: σεμνὴ δύναται μαρτυρίη, θεῶν εὐρηματίσσα. Modis inquit omnibus veneranda est Musica, cùm sit Deorum inventum. Meritò igitur laudandi sunt: qui studium Musice excolunt, & ad laudes Dei & viorum fortium accommodant. Hęc enim ars sola est: quæ omnium hominū animos afficit atque delectat: hęc sola est, quæ cæteris disciplinis atque scientijs gratiam conciliat: hęc sola est, quæ tristes erigit: afflictos solatur: iratos placat: insanos reprimit: ignavos excitat: hęc sola est, quæ morbis animi iuxta ac corporis medetur: sola quæ reges, sola quæ feras & immanes beluas, sola quæ ipsos immortales Deos placat & mitigat. Et quid verbis opus est: hęc sola ex omnibus est: quæ ne in ævo quidē sempiterno desinit: hęc sola est, quæ voluptatem divinam & immortalem possidet. Hinc animę beatorum in campo Elysio, contendunt ludo, & fulva luctantur arena, pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt vescētes, lātumque choro pçana canētes. Hinc ipsi Angeli Cherubin & Seraphin, qui neque Grammatica, neq; Dialectica, neq; Rhetorica utuntur:

tur: Musica tamen non destituuntur: omnipotenti Deo hymnos in cœlo concinunt: ac voce suavissima modulantes, SANCTVS DEVS ZEBAOOTH, ter cantu ingeminant. Quare neminem fore puto, qui Musicæ ullam artē meritò anteferre possit, &c.

A R I T H M E T I C A M P R A E F E-
rendam omnibus.

EQuidem, palmam ego tibi libenter deferem, & pedibus, quod aiunt, in tuam sententiam concederem: nisi adhuc unius Arithmeticæ obstaret excellentia, & summa artis istius dignitas: quæ facit, ut verbis tuis fidem non habeam. Quanquam enim Musicæ exercitium ad omnium hominum ordines sese extendit: & proinde laudem non exiguum meretur: tamen Arithmeticam, ad multò plures homines usum suum proferre manifestò constat. Nam inveniri potest, qui in omni vita sua nunquā cecinerit: at qui nunquā numerārit inveniri nō potest. Propria enim hæc homini vis est, ut numeret: eamq; cū brutis animantibus cōmunem non habet. At Musica etiam brutis concessa: siquidē & cicadæ cantillant & omnium suavissimè aves modulantur. Sed nec illud inficias eo, quòd tu tam sollicitè & operosè probandum tibi censuisti: Musicæ vim magnam in animis hominum literatorum iuxta & il-

& illiteratorum, ipsorumque Regum & Principum afficiendis: atque adeò in belluis & feris immanibus permovendis inesse. De hoc enim inter omnes constat. Quin & illud lubens concedo, Musicam affectus & concitasse & sedasse sæpius. Sed interim hoc affirmo, Musicam per se horum nihil præstituram fuisse: nisi ad illam numerus, tanquam soni & vocis condimentum accederet. Neque enim sonus sua natura, vel hominum animos demulcet, vel aures ferarum afficit (siquidem nō omnis sonus hoc facit) sed tantum, quatenus numerosus est: & velut vox quædam mensurata efficitur. Quid enim Polyphemi Musicam tam ineptam atque absurdam reddidit: nisi hoc, quod sono fidium, numerus & *συμέτρια* abesset: aliudque pes illius & aliud cithara sonaret. Itaque quas tu laudes Musicæ attribuis: earum præcipuam partē sibi vēdicat Arithmeticā. Quod verò Epaminondas fidibus lusit, id sanè non improbo: sicut Lacedæmoniorum & Aegyptiorum institutum approbo: qui omnem Musicam è Repub. sua exterminarunt: sed media quadam & regia via incedendum arbitror: ne more Persico lyris & fidibus animi reddantur molles atque effeminati, quod Græcis ac Persis accidisse videmus: & utriusque gētis regno finem atque interitum attulisse cognovimus. Philippus certè Macedonum Rex, cùm acceperisset Alexandrum suaviter cecinisse: non te pudet,

pudet, inquit, quòd tām pulcrē canere scias; &
 nescio profectō, quomodo verum sit, quod
 Cynicus ille Diogenes de Musicis dixit: eos li-
 gno sonos aptare posse: mores verò ad rectam
 rationem componere non posse. Ad Angelos,
 quod attinet, divinam sanè Musicam illis: sed
 quæ alio tenore constet, q̄ nostræ vocis harmo-
 nia, facilè concedo: eamq; nostris concentib.
 multò suaviorē & perfectiorem esse non nego.
 Interim verò tibi actuī cantoribus, hoc Ari-
 stotelis cogitandū relinquo, quod octavo po-
 liticorum extat: Iovem neque canere, neque
 cytharam pulsare. Sed ad Arithmeticā redeo:
 quam non solum in omni vitæ genere versari
 dixi: sed nunc etiam in ipsis artibus principa-
 tum tenere, breviter ostendam. Quid n. Gram-
 maticæ reliquum erit, si numeros illi, singula-
 rem & pluralem adimas? Quid Prosodia erit?
 quid tota ars Poëtica, si versus & syllabæ suis
 numeris orbentur? Quid aliud Syllogismus
 est, quām aliquid numeri instar? Quid oratio
 Rhetorica, quām numerosa dictio: & quād
 numerosior, eō venustior atque elegantior?
 Quid denique ipsa Musica, nisi sonus nume-
 ratus? quæ quidem symmetria omnium ar-
 tium, Pythagoram movit, ut animam diceret
 esse numerum: omniumque rerum causas ac
 demonstrationes ad numerū revocaret. Hæc
 eadem Romanis & veterib. Græcis causa fuit:
 ut liberos suos cum primis literis etiam Arith.

meticam docerent. Et Socrates apud Platōnē de legibus, etiam hanc tulit: ut cives cogentur discere Arithmeticam. Quid multis? numerorum ea est ratio atq; perfectio, ut ne ab ipsa quidem Dei essentia, à qua cæterarum artium subiecta longissimè remota sunt, avelli ac separari queant: nisi totalabefactetur Divinitas. Quis enim tam impius, qui nesciat Deum unum & trinum esse? quis in Deitate tres personas non agnoscet? quis earundem proprietates distinctas è symbolis Catholicis non iam olim didicerit? Sed ego Arithmeticæ præstantiam, vel vulgi & mercatorum iudicio afferere possum. An non enim illi beatissimum atque optimum eum iudicant: qui multas domi sue potest numerare pecunias?

GEOMETRIAM PRAESTARE
reliquis artibus.

Quod pavonibus accidit, ut pedes dum in tinentur, caudam dimittant: idem nunc præter opinionem mihi usu venit. Eram enim Arithmeticæ Geometriam præpositurus, & principatum illius huic ascripturus: Sed dum terram aspicio & meo me pede metior, cristas facilè abiijcio, satis enim hoc mihi gloriæ, sati honoris fuerit, si Geometriam Arithmeticæ usu ac dignitate parem, cæteris verò omnibus

inibus scientijs ac disciplinis superiorem esse, demonstráro. Nam hanc laudem Geometriæ neminem Arithmeticum invisurum esse arbitror. Cùm enim quantitatis Regnū, quòd in duas partes divisum sit, continuam scilicet & discretam, à neutra harum sola possideri & administrari possit: omnino duæ reginæ constituendæ sunt: quarum altera numerum, altera figuras & rerum magnitudines eonsiderat, & iuri ac legibus suis obnoxias habet. In rebus quidem publicis dominatur ambitio, omnisque potestas impatiens confortis erit, ut Poëta canit: At in numeris & figuris, summa est animorum coniunctio, summa concordia, & indissolubile quoddam amicitie vinculum. Vt n. Sol diem & Luna noctē regit, & neutro horum luminum mundus carere potest, nisi fiat luscus & monocularis. Ita Arithmetica & Geometria, quasi duo luminaria omnes scientias atque artes illustrant: ut neutra harum carere possint, nisi manca & mutila redatur Philosophia. Nam, ut omittā artes mechanicas, quæ sublata Geometria, oēs perirēt: quis obsecro literarum figuras & elementorū formas dedit Grammatico, nisi Geometria? Quis Musico notas & vocū intervalla præscripsit, nisi Geometria? q̄s Dialectico figurās syllogismorū delineavit, nisi Geometria? q̄s denique firmiores minusq; fallaces demonstratio-nes extruxit, quam Geometria? Evidē Gale-

nus fatetur, quod penè in amentiam & deliriū Pyrrhoniorū abreptus fuisset: nisi in Geometria tantam vim demonstrationibus inesse comperisset. Habent enim Geometræ scientię suæ subiectum, à materia abstractū & simplex: nullius ortus aut interitus vicissitudini obnoxium: sed firmum, stabile, immotum, & sempiternum: quemadmodum & Arithmeticici. Hinc Cicero, Mathematici, inquit, magna obscuritate & recondita in arte & multiplici subtiliꝝ versantur. Quid verò de usu dicam, quem hæc disciplina cum sorore Arithmeticā in cōmuni vita hominibus præstat? Quis locorum intervalla, regionum fines, agrorum limites observare posset, sine Geometria? Quis astrorum positus, inutuos syderum aspectus, distātias à terra & à se invicem notare queat, sine Geometria? Quis umbras delineare & horologia confidere norit, sine Geometria? Itaque non immeritò sumi ingenij Philosophus Plato, scholæ suæ vestibulo inscrispit: αγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω Nec immeritò Sulpitius Gallus, Scipioni superiori Africano familiaris in studio dimetiendi cœli atque terræ immortuus est: ut de ipso in senectute scribit Cicero. Meritò etiam ob artis huius excellentiam & Protagonē artificē, Demetrius benè fecit Rhodijs. Quid? quod Geometria etiam ad rem militarem, & victoriam ab hostibus reportandam plurimū momenti & commodi præstat: sicut ex Achano &

no & Vegetio facilè intelligitur: & nostri milites quotidiana experientia docentur? Quantum n. referat, aciem habere rectè instructam, & bellicas machinas ad amissim in hostes dirigere: id notius est: q̄ ut cōmemorari oporteat.

Cūm autem Geometriæ beneficio, hanc dexteritatem nostri Imperatores ac belli Duceſ consequuntur: meritò certè bonarum artium studijs, bibliothecis & viris doctis & qui res esse debebunt: quām, proh dolor, & esse & fuisse comperiuntur. Sed omnia cōmemorare, quæ Geometriæ laudem cōciliant, tempus nō patitur. Quod verò postremo loco de vulgi & mercatorū iudicio protulisti: fortunatum eū haberi, qui multas domi cōnumeret pecunias: id sanè verum est. Ego tamen non minus beatos illōs iudico: quorū conspicitur nitidis fundata pecunia villis, & quorum excelsa & adicia longissimam de se umbram meridianam projiciunt, & qui multos suos agros atque prædias pedibus suis metiri possunt, qualis ille Vendidius, qui apud veterem Poëtam, dives arat cūribus, quantum non milvus oberret, &c.

ASTRONOMIAM OMNIBVS SVPERIORē esse, & in vita maximè necessariam.

EGO verò, mi amice, & à tua & ab omnium sententijs, quæ de artium liberalium præstantia & dignitate protulisti, tantum absum:

quantum cœlum à terra distat. Ut enim cœlū altissimum & stellæ lucidissimæ, supra omnia hæc inferiora eminent: Ita Astronomia, quæ oculos suos in cœlo defixos habet, omnium artium longè præstatiſſima est: & omnibus illis iure optimo anteferri debet. Nā quod vos duo postremi de dignitate & usu Arithmeticæ & Geometriæ in medium attulistiſtis: hoc ipſo, nō tam istarum disciplinarū, q̄ Astronomiæ maiestatē confirmastiſtis. Quid enim aliud ſunt Arithmeticæ & Geometria, quām Astronomiæ pedissequæ? Quid aliud, quām eiusdem alæ, quibus illa cœlum subvolat? At verò, ſi cui dominiæ, tam insignes Reginæ ancillantur: nonne illam multò prætantiorem ac digniorem eſſe oportet? Quid? quōd alię ſcientiæ & artes pleſque omnes humi reptitant, & circa terrena tantūm occupantur? ſola verò Astronomia cœleſtia inquirit, ſola altissimum cœlum ſibi per vium facit, ſola erectos tollit ad ſyderz vultus. Vnde Poëta exclamat:

Fælices animæ, quibus hec cognoscere primū;
Inq., domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Credibile eſt illos pariter vitys q̄, iocis q̄,
Altius humanis exeruiſſe caput.

Quę quidem cauſa maximos in Repub. viros & ſummos Imperatores atq; heroas, in amorem & admirationem huius artis ſemper illexit: proptereà, quōd illi magno principenul lam artem digniorem, quām Astronomiā iudicata-

dicarent: ne quondā fati necessitate abrepti,
in regionem cœli ignotam venirent, sicut de
Romulo dicitur:

Neue peregrinum peteret novus incola cœlum:

Noluit ignot as hospes adire domos.

Fuēre tales Chiron Thessaliz, Atlas Mau-
ritaniæ, Orion Libyæ Reges, Abrahamus Pa-
triarcha, teste Iosepho, & Salomon Rex Judeæ:
Iulius item Cæsar, qui annum correxit, & hui⁹
ex sorore nepos, Octavius Augustus, Frideri-
cus item secundus Imperator, & nostra ætate
Carolus Quintus, & qui hodie in Hessia prin-
cipatum obtinet, Guilielmus Landgravius, ac
multi alij præstantissimi heroes ac principes.
Nam si verum est, ut certè est quod Plato dixit:
Hominī oculos datos, Astronomiæ causa, ut
cœlum contempletur, rectius multò faciūt re-
ges & Principes, qui ursam cœlestem & leporē,
cane Syrio & venatore Orione insequuntur:
quām qui omnem etatem in sylvis inter lustra
ferarum exigunt. Quid, quōd ipsa parens re-
rum, natura, homini reliquarum artium causa,
præfertim earum, quæ circa sermonem versan-
tur, unum tantum os & unam linguam: Astro-
nomiæ verò gratia, oculos duos attribuit: pro-
pterea, quōd plus nos videre, ac potius conté-
plari, quām loqui voluerit? Sed cū frivola hęc
minusq; firma alicui videri possint: ad ea nunc
venio, quæ vel sola principatum huic arti ad-
scribere possunt. Si n. tēpus sapientissimū est:

ut Thaleti Milesio placuit , pro sapientissimis
certè habendi erunt, qui tēporis, tanquam rei
sapientissimæ atq; optimæ notitiam perfecū-
atque exactam possident. Eam vero , cùm soli
Astronomi habeant, horumque beneficio ca-
teri quoq; mortales obtineant, annon merito
ipſi perfectissimi, omniumq; sapientiss. esse iu-
dicentur? Nam, ut verè dicam, quod sentio, ita
ego in eum statuo: si Astronomia mortalibus
data non fuisset, homines parum à brutis abſu-
tratos fuisse, quibus nulla est temporis notitia.
Si enim sola ratione, &c, que ab hac oriuntur, o-
perationibus, à brutis discrepant homines: ut
à sanioribus Philosophis traditum accepimus,
quidni etiā tēporis observatione illis, vel maxi-
mè præstabunt? Nā quod ullum rationis opus
sit præstantius, quam est numerare, atq; haud
quidem rem quamlibet numerare: sed tempus
maximè, quod celestium corporum motu, &
Solis ac Lunæ cursu describitur? Quæ quidem
observatio cùm solius sit Astronomi : solus i-
pse & se & alios homines à brutorum cæcitate
& miseria eximere potest. Quòd igitur Gram-
maticus es: quòd Dialecticus, quòd Rhetor,
quòd Musicus, quòd Arithmeticus, quòd
Geometra, imò quòd verè homo es, & tem-
poris notitiam habes: id totum huic arti acce-
ptū referre debes: cū tēporis observationē ab
hac sola acceperis. Vereor pfecto, auditores,
ne q̄s orationē meā impietatis arguat, aut etiā
teme-

temeritatis accuset. Sed si ea perceperitis, quæ nunc de usu disciplinæ huius proferam: facile omnes intelligetis hanc artem, tantum alijs omnibus antecedere: ante citos quantum Pegasus ibat equos. Magnum equidem hæc ars in vita domestica & re familiari atque publica usum habet, maiorem in arte medica: maximum verò in Ecclesia & rebus sacris. Nam si ad vitam privatam cuiusque respicias: quis quæso tempora sationum, arationum, & similium rerum, sine quibus ne vivere quidē possimus, rustico præscribere possit, sine Astronomia? Quis in vita communi spacia annorum, intervalla mensium, dierum & horarum vices observare possit, sine Astronomia? Quis cū alio contrahere, & de solutione aut annuo censu cōvenire queat: sine Astronomia? Quis mer- cium convehendarū causa, in longissimas ter- ras, & ad remotissimas gentes navigationem instituat: sine Astronomia? Quis in Rep. tem- pora inductionum præscribere, aut diem siue hostibus sive civibus, suis dicere possit: sine A- stronomia? Quis medicus tempora purga- tionum, venè sectionum, scarificationum & si- milium ægrotō indicet: sine Astronomia? Quis in Ecclesia Dei statos ad cultum sacrorū dies & festa habeat, sine Astronomia? Ac ne omnia, quæ sunt penè innumerabilia, conse- ãter: Ita breviter concludo: nisi Patriarchæ o- ptimi fuissent Astronomi: ut ex Iosepho patet;

obscurissima essent annorum & mundi initia:
 nihil deniq; certi de adventu Messiae nobis cō-
 staret: & sic tota religio nostra labasceret. Quis
 enim 70. hebdomadas apud Danielem suppū-
 tare atque intelligere potuisset: sine Astrono-
 mia? Nemo hominum opinor: nisi hoc illi ex
 arcana Spiritus sancti revelatione desuper in-
 notuisset Quid verò, quod olim ne in acie qui-
 dem & disciplina militari suum usum Astrono-
 mia deseruit? Quemadmodum Perictis & Sul-
 pitij Galli exemplo manifestissimè liquet. Nā
 alter horum, cùm obscurato repētē sole, Athe-
 næ in usitatis tenebris, solitudine āgerentur;
 & interitum sibi cœlesti denūciatione porten-
 di crederent: in medium processit: & quæ à
 Præceptore suo Anaxagora, pertinentia ad So-
 lis & Lunæ cursum acceperat, differuit: Et sic
 totam civitatem animo consternatam refecit.
 Alter verò, cū in bello Macedonico, quod Ro-
 mani adversus Persen gesserunt: serena nocte
 luna subito defecisset, & Romanus exercitus
 monstro perterritus: manum cūm hoste conse-
 rendi fiduciā amisisset: de cœli natura & syde-
 rum ratione peritissimè disputando, alacré eū
 in hostes misit. Itaque illi inclytæ Paulianæ vi-
 torię, liberales artes Galli aditum dedere.
 Quia, nisi ille metum militum vicisset: Impe-
 rator Romanus vincere hostes non potuisset.
 Sed quia nota hæc sunt, & nunc omnibus liqui-
 do cōstare puto, reliquas omnes artes, per hāc
 & pro-

& propter hanc unam esse: iam satis est: ne me
Crispini scrinia lippi cōpilasse putas: verbum
non amplius addam.

P R O B L E M A I I.

D E Q V I N Q V E S E N S I B V S Q V I S
eorum maximam ex obiecto suo volupta-
tem capiat.

D E V I S V.

Crambe bis posita mors est: & citharœdus
ridetur, chorda qui semper oberrat eadē.
Ne igitur eandem incudem nos omnes tunde-
re velle videamur: aliam mihi quæstionem mo-
vere libuit: utrum homo plus voluptatis ē co-
loribus per visum, an ē sonis per auditum, an
ex odoribus per nares, an ex saporibus per
gustum seu linguam, an verò ex tactilibus
qualitatibus per tactū accipiat? Evidem ma-
gna & grata auribus voluptas orationem, quæ
homini data est, & suavitatem vocis humanæ
percipere: cōcentu harmonico frui: instrumē-
ta Musica audire: suave & iucundū naribus fra-
grantes odores olfacere: dulce & gratū lingue,
cibos & potus delicatos gustare: plena volunta-
te res calidis & humidis, frigidis aut siccis affici:
& ea, quæ visui & auditui se offerunt tangendo
percipere. Sed ex omnib. sensibus mihi nemo
maiorem

maiorem voluptatem ex sui obiecti perceptione cōsequi videtur, quām visus ex coloribus, ac luce hac cœli suavissima. Quæ enim maior voluptas homini esse possit, quām clarissimū hoc cœli iubar intueri? Quæ maior delectatio, quām lucem videre suavissimam? Poëtæ lucem tanti fecerunt: ut eam sæpè pro vita ponant: & qui ea non fruuntur, hos ne quidem vivere arbitrantur. Quin imò ipsa æterna vita luci confertur: sicuti vicissim impiorum & sceleratorum damnatio, tenebris & caligini noctis comparatur. Quanta verò miseria sit, hominem cæcum esse & oculorum sensu orbari, id melius intelligi, quām dici potest. Qui enim cæcus est, is neque Geometra neque Astronomus fieri potest. Quomodo enim de figuris & cœli positu iudicet, qui ne quidem de coloribus iudicare possit. Iam si & illam voluptatem consideres, quę ex picturis ad hominem reddit, nonne id totum oculis adscribes? At quanta hæc sit voluptas, quæ ex imaginibus percipitur, exemplo Aeneę, Alexandri magni, Demetrij, Ptolomei, Lagi filij, Luculli & similium declarari posset: nisi hoc ipsum ædificiorum picturæ, hortorum amænitates, preciosarum vestium color, & aureorū vasorū splendor, quibus omnibus nostra ætas, nimio cum luxu indulget, satis ostenderet? Quis enim non maiorem voluptatem, ex pulcerrima & affabré picta domo & benè adornato templo capiat, quām

quām ex tugurio cespitib. congesto? Quis nō magis sibi alijsque placeat, pulcris amictus vestibus, quam tritis lacernis & sordido palliolo induitus? quem non suavius afficiat hortus amēnitate arborum & fructuum ubertate conspicuus, quām deserta & horrida sylva? Ut nihil interim de vultus humani colore dicā: qui quo formosior, eò etiam gratiore est. An non enim voluptas illa multas fāminas impulit, ut fuco & cerussa faciem depingerent: quo gratiores essent in oculis amantiū? & ne illas etiā voluptates proferā, quæ corpori magis, quām animo congruere videntur? quid? an illa non summa est voluptas, quæ oculorum beneficio ad mentem, ex lectione librorum promanat? quid enim obsecro iucundius, quām in historijs versantem, cum veteribus & priscis hominibus colloqui? quid Philosophicis contemplationibus suavius? Quid sacrarum literarum lectione salubrius? Quid legum doctrina dignius aut melius? quid herbarum aspectu & corporis humani intuitu dulcius aut gratius? Ex quibus omnibus concludendum arbitror: nullam esse maiorem voluptatem sensilem, quām ea est, quę visu & oculorum obtutu percipitur.

DE AUDITV EIVSQUE

voluptate.

ET si magna est voluptas, quam oculi ex luce percipiūt, & magna miseria est cæcitas: tamen,

men, neutra harum tanta est: ut ea minor in
homine dari non possit. Nam ea multò ma-
ior est oblectatio, quæ luce mentis excitatur:
multoque atrocius malum, quod ex cæcitate
animi, quam oculorum oboritur. Notum est
enim, quod Antonius Martyr, Didymo cæ-
co quidē, sed eruditus homini dixit: nil inqui-
ens, te offendat mi Didyme, quod tibi oculis
orbatus, & lumine captus videris: Desunt e-
nīm tibi oculi, quos mures, muscæ & lacertæ
habēt: Sed lætare, quia oculos habes quos An-
geli habēt, quibus Deus videtur. Cūm itaq; au-
ditus ipso Aristotele teste, plus ad scientiam &
mentis lucem faciat, quam visus: propterea
quod visa citò evanescunt, & ob vagum oculo-
rum discursum facile diffluunt: audita verò si-
nius animo inhærent: ideo visorum volupta-
tem ijs, quæ audiuntur, hoc nomine nequa-
quam præferendam esse censeo. Nam quod
ultimo loco de lectione libroru attulisti: ea vo-
luptas animi magis est: quam sensus: & proin-
de oculis accidit. Quid verò? quod cæci ple-
runq; oculatis ingeniosiores sunt, ut Homeris,
Tiresiæ, Didymi & maximè Democriti exéplo
patet: q; ut melius Philosophari posset seipsum
excæcavit? Quid? quod fides salvifica non ex
visu, sed ex auditu est, qui fit per verbum Dei?
Ad picturas autē quod attinet, Itemq; domos
exornatas, amēnos hortos, vase argentea, ve-
stes acu pietas, fæminas formosas & similia
quæ

quæ aciem oculorum grata cū voluptate per-
 stringunt: cum brevis sit hęc voluptas: & diu
 non duret: sonorum voluptati quę durabili-
 or est, anteponi non debet. Visio enim, ut Phi-
 losophi dicunt, fit subitò & οχεῖνως: Auditio
 verò, fit cum motu & ινσηνῶς. Sed & illud Poëtæ
 tibi perpendendum relinquo: Quantum ocu-
 lis, animo tām procul ibit amor: Et illud An-
 tipatri Cyrenaici, qui mulieribus, ei cæcitatē
 exprobantibus respondit: an nulla est volu-
 ptas nocturna? Et illud Periclis, qui Solon la-
 scivè oculos circuferenti dixit: Prætorem non
 modo manus, sed etiam oculos abstinentes ha-
 bere decet. Atqui verò maiorem esse aurium,
 quām oculorum voluptatem, etiam hinc con-
 statere puto: quòd soni harmonici & instrumēta
 Musica suavissimè nostrum auditum feriunt.
 id quod probatione non indiget; cùm sit sole
 meridiano clarus. Idem narrationes & histo-
 rie, quę recitantur, manifestissimè declarant,
 sicut Dido Virgiliana Aeneę pendet narran-
 tis ab ore. Quid? quòd vos ipsi, nos multò at-
 tentius & lubentius auditis, quām fortè alios
 antehac audivistis: cùm nostræ hę concerta-
 tiones, aliquātò plus voluptatis habere vobis
 videantut? Quanta verò cum gratia Demosthe-
 nes dixerit: & quam iucundo sono Athenien-
 siū aures deliniverit: Aeschynis adversarij eius
 testimonio cōfirmare possem, nisi res in prom-
 tu esset omnib. loci quoq; & sales, quantū vo-
 luptatis

luptatis & delectationis afferant, ex Aristotele notum est: & quotidiana idem docet experientia. Plura ut afferam, neque locus neque opus est. Satis enim rationibus propositum meum demonstratum esse confido.

D E O L F A C T V E T O D O-
rum voluptate.

SOnos auditum suavius afficere, quam colores visum, ex eo probare niteris, quod hęc affectio citò transeat: illa verò diutius permaneat. Equidem rationem hanc accipio & lubens admitto. Nam voluptates quò diuturniores sunt, eò meliores & præstatiōres videntur. Ideoque deorum esse proprię Terentio dicuntur: quod sempiternæ sint. Cùm autem odores & muli, quam soni, tardius olfactum moveant, & diutius inhēreant: sequitur necessariò: voluptatem maiorem esse, quę ex odoribus quam quę ex sono percipitur. Quis enim inficias ibit, sonos citissimè evanescere, neque ullum post se effectum sua natura relinquere: nisi qui illis propter vocem humanam, aut ex arte Musica accidere solet? Atque hæctua ratio, ita pro me militat: ut omnibus tuis argumentis invertendis satisfaciat. Odores verò non tantum nares afficiunt: sed etiam spiritus cerebri animales reficiunt. Id quod medicorum experientia notū est, qui homines syncopata aut

pa aut lipothymia correptos, solis s^ep^e odo-
 ramētis ad nares admotis, ē morbo recreant
 & pristinæ sanitati reddunt. Quid dicam De-
 mocritum, de quo literis mādatum est, cūm in
 festo Cereris mortē instantē sensisset, & foror
 eius follicita esset, ne prius ipse moreretur, q̄
 sacra Eleusinia' peracta fuissent, solo odore ca-
 lidorum panū vitā per triduum sustentasse?
 Quæ quidem odorum voluptas, tam amica est
 homini, tamq; grata: ut voluptariorum quis-
 piā, totū se nasum fieri exoptārit. Hæc ea-
 dem mercatores impulit, ut ad remotissimas
 Arabum gentes & Sabæos aromatum & odo-
 tum gratia navigārint. Hæc voluptas Græcos
 adegit, ut incredibiles sumptus in unguenta
 preciosa & flores, quibus Theatra spargerētur,
 aliasque res odoriferas profunderent. Hæc
 Poppēam Sabinam Neroni, & Cleopatram
 Antonio conciliavit. Quid multis? Nulla esset
 saporum voluptas, nisi odoratus animalibus
 esset datus. Nam ea voluptas, ut Plutarchus in
 Gryllo docet, quam ex fragrantibus & odora-
 tis percipimus: præterquam quòd simplicem
 sui, eamq; gratis usurā exhibet: simuletiā di-
 scernendo alimento conducit. Nam lingua est
 & dicitur norma saporum, ut dulcis, acris, au-
 steri, & reliquorum. Olfactus autē ante sapore
 deprehendens, vim uniuscuiusque alimenti,
 longēq; accuratius, quām Regij olim prægu-
 statores, sensu eam percipiens, id quod naturæ

conveniens est, admittit, alienum amolitur, neque gustare id sinit, aut gustatum offendere: sed vitium rei olfactæ defert atque accusat antequam ea iniuriam intulerit. Ex quibus sanè omnibus constare iudico, eam voluptatē, quæ olfactu percipitur, cæteris omnibus superiorem, & unius rosæ odorem, omnibus instrumentis Musicis suaviorem ac potiorē esse, &c.

DE GUSTV, ET SAPORVM
oblectamento.

MAgnam inesse odoribus vim, magnamque voluptatē concedo, sed maiorem tamē oblectationē innatā esse saporibus, multò certioribus argumentis declarabo, q̄ quatu contra voluptatem sonorum attulisti. Nam qua ratione tu odores sonis præstare putas: Ænimirum illorum voluptas sit diuturnior, horum verò brevior, eadē ego sapores dico potiores ac suaviores esse odoribus. Quis n. cibū & potum non diutius & constantius gulam afficere dicat, quād odores nasū afficiunt? Quis nō fortius validiusq; se refici, suasq; vires esculentis poculentisq; restitui sentiat, quād brevissimis atque tenuiss. odoribus? Quis ener- vatus & languidus non maiorem voluptatē ex uno caporum juscule capiat, quam ex centum rosarum fragrantium spiritu? Etsi enim negari non potest, cerebri spiritus odoramentis restitui,

stitui, & cum subita refectiōne opus est, melius
 id suffimentis atq; odoramentis, q̄ esculentis
 fieri: tamen & hoc verissimū est, idem odorife-
 ris usu venire, quod in alijs rebus, nimis celeri-
 ter ad maturitatē perveniētibus, ut citō quod
 sit, citō etiam pereat. Si enim odores æquē ho-
 minem reficere & recreare possent, atque fa-
 pores: cur quæso Democritus ultra tertium
 diem vitā agere non potuit, calidorum panum
 odoribus nondum extinctis aut abolitis? At
 quis tam cæcus sit, qui non mecum sentiat, De-
 mocratum diutius victurum fuisse, si per tres
 illos dies saporibus, hoc est, cibo ac potu, quā
 panum odoribus suas vires refecisset? Quod
 cùm ita sit, frustrà sanè Philoxenus naturā, tan-
 quam invidam accusavit, quòd breve homini
 guttur dedisset, cùm saporū voluptati, ut iam
 docuimus, sua quoque sit diuturnitas, qua su-
 periorum sensuum obiecta destituantur. Quid
 quòd pleraque odorata gustui ingrata sunt (qs.
 enim rosis libenter vesceretur?) at sapida quæ
 sunt utrumq; sensum suaviter afficiunt: ut fra-
 grantium pomorum & similium exemplo ap-
 paret. Quæ verò ita comparata sunt, ut duos
 sensus simul oblectent: quomodo non præstet
 ijs, quæ unī tantūm arrident? Venio nunc ad
 sumtuum magnitudinem, quis saporum causa
 hodiè ab hominibus impendiò profundūtur.
 Nam hi gustatilem, ut sic loquar, volunta-
 tem cæteris omnib. superiorē ac potiore esse,

vel soli declarant. Quæ enim maior hominū
 nimis innata est cura, quam quæ de esculentis
 & poculentis sollicita est? Quod ullum accura-
 tius hodie apud plerosq; studiū est: quā quod
 devita cōmodè & quietē in ocio & omnium re-
 rum abundantia degēda suscipitur: Quis alias
 finis destinatus vulgo hominum: (quid dico
 vulgo hominum?) imò ipsis illis, qui docti sa-
 pientesque haberi volunt, quam senectus de-
 licata & misericordia canis opimum ac pingue viati-
 cum? Et quā denique in rem plus pecuniæ im-
 penditur: quam in gulam saporibus demul-
 cendam, & cuticulam benè curandam? Hæc
 voluptas coquos conduxit: & varijs condimē-
 tis cibos condire docuit: hæc popinas consti-
 tuit, & leges culinarias, atque artem & præce-
 pta coquendi effinxit: Hæc Aristippum im-
 pulit, ut perdicem quinquaginta drachmis e-
 meret. Hæc Getam Imperatorem adegit, ut in
 mensa dapes per alphabetum sibi apponi iu-
 beret: Hæc Apicio causa fuit, ut sestertium mil-
 lies in culinam coniceret, & ære alieno oppri-
 meretur. Quid multis? huic voluptati, aratur,
 seritur, metitur. Huic navigatur ad Phasin, huic
 profunda vada exquiruntur, huic quicquid a-
 vium volitat, quicquid pisciū natat, quicquid
 ferarum discurrit, inservire cogitur. Quæ o-
 mnia cùm usus quotidianus, qui rerum omni-
 um magister, clarissima reddit: plura ut ad-
 dam opus esse non video, &c.

DE VOLVPTATE QV AE
tactu percipitur.

ITA vera sunt, quæ de voluptate saporum & gustus im medium adduxisti, ut ea non modo refutare nolim. sed si tempus concederet, etiam pluribus argumentis confirmare in animū inducerem. Atqui verò mihi propositum est, voluptatem, quæ tactu percipitur, cæteris omnibus anteferre. Cùm autem gustus, ut Philosophis placet, tactus sit quidam: eodem ratione mihi patrocinium ferent, quibus tu ante me usus es. Quòd .n. saporestanta voluptate linguam, palatum & guttur perfundunt, id penè totum à tactu habent. Nisi .n. saporesex tactilibus qualitatibus constarent, & gustum suo tactu afficerent, ne voluptatem quidem istam post se relinquerent. Quæ cùm ita sint, paucissima afferā, quibus huius tactilis (ut ita dicam) voluptatis præstantiā demonstrem. Ac initio constat: sensum hunc omnibus animalibus à natura datum: cùm interim multa sint, quæ visu, multa quæ auditu, & quædā quæ odoratu, nonnulla etiam quæ gustu careant. Quia verò boni hęc natura est, ut se multis rebus cōmunicet: patet certò eam voluptatem, quę se omnibus animantibus communicat, longè optimā ac præstantiss. esse. Deinde in perfectis etiam animalib. neq; colores, neq; soni, neq; sapores, neq; odores sua natura tam suaviter sensus af-

ficiunt, ut tactiles qualitates tangendi sensum delectant: cum hic sensus cæterorum q. fundamētū sit. Nisi n. huius sensus voluptas integrā & syncera sit, nulla cæterarum voluptatū, vim suā exercere poterit. Quis n. media hyeme cùm toto corpore refrixerit, non magis hybernaculo calido, quām pulcro & eleganter pictō oblectetur? Quis media æstate, fervente canicula, non maluit tenuem gestare togulā, quām auream trabeam, cui gestanda vix Atlas sufficeret? Quis fame urgente non prandere malit, quām ad cytharæ sonū choros agere? Quis ingruente pluvia & imbris non malit in sicco cænaculo tenuiter, quām in aperto campo lautissimè cœnare? Quis aridam linguam humida aqua non libentius reficiat, quām siti urgente naribus rosam admoveat: Evidem Caligula Imperator, ut calidis & frigidis unguentis lavaretur, & preciosissimas margaritas, accepto liquefactas, sorberet, in prodigiosum luxū incidisse scribitur. Et Romani nobiles, ob thermarum voluptatem, sinum Baianum quotannis frequentasse, ibique magnifica ædificia cōstruxisse perhibentur. Vnde iste natus versiculus: *Nullus in orbe sinus, Baÿs prælucet amoris.*

Quid verò, quod multi ab hac voluptate, ne mortis quidem periculo avelli potuerunt: quemadmodum ex Persio & Iuvenale, Poëtis Satyricis, notum est? & quoniam tempus iam ante disputando extraximus, finem hic facio: extre-

extremum hoc ab immortali Deo, tota animi contentione petens: ut is clementi ac propitio suo numine faxit, ne rerum sub sensus venientium oblationis irritati & irretiti, beluinis voluptatibus obbrutescamus: sed ut veras voluptates, quæ animorum sunt & homini propriæ, summo labore ac studio persequamur: & tandem etiam cœlestium deliciarum ac sempiterni gaudij in altera vita participes reddamur, Amen.

GRATIARVM ACTIO.

Peractis nunc omnibus, quæ ad hodierni Actus festivitatem pertinent, reliquum est ut Deo & hominibus, quorum beneficijs cumulatissimè affecti sumus, promeritas agamus & habeamus gratias. Nam is honos homini pudico est maximus, meminisse officium suū: ut in veteri dicitur Comœdia: improbus verò est, qui beneficium scit sumere, & reddere necit.

P 23

Tibi ergò semperne Deus, pater Domini & Servatoris nostri IESV CHRISTI, unācū Sp̄itu S. immortalē, ut & quum est, gratias agimus & habemus: tūm pro omnib. tuis in nos meritis, quib. nos nostraque studia hac tenus protexisti: tūm in primis, pro imensa tua bonitate, quam non modò in Germaniā universam, sed etiam in hunc Vvntembergicum Ducatum, & laudatissimam hanc Academiam, multis iā modis declarasti. Cūm enim finitimes nationes

carumq; Ecclesiæ & scholæ intestinis bellis miserè dissipentur, urbes diripientur, agri vastentur, optimi quique trudentur, & penè totus terrarum orbis in arma conspiret, adeoque nusquā sit tuta fides: tu Germaniam hactenus clementi favore, à strepitu armorum, & horrore belli immunem esse voluisti, ac nobis in his regionibns Halcyonia concessisti. Quod beneficium sempiternæ tuæ misericordiæ quantum sit, nemo intelligit, nisi qui rabiē Martis, & bellicum furorē expertus est. Quæ n. miseria est, ita aliquem vivere: ut omnibus momentis, aut Carnificem, aut hostem expectet: qui aut multo lapsantem in sanguine nati volvat, aut liberos in conspectu patris crudeliter interficiat. Quæ calamitas, è complexu parentū filios abruptos ad necem duci, & parentes premium pro sepultura liberorū poscere? Quæ crux est, innocentes matres à regijs Satellitibus, quorum præsidio defendi ac protegi dehebant, etiam gravidas occidi, & infantem prius mori, quam natus sit? Evidem alibi locorum, quibusdam Regibus hominum innocentium sanguis tantæ voluptati est, ut nihil ultra sit, quo progredi possit crudelitas. Itaque tibi Opt. Max. Deus, meritò gratias agimus immortales, quòd patriæ nostræ dulciss. pacē largiris, nosq; à belli rabiē tam clementer liberas, & è faucibus crudelissimi Martis tam benignè eripis. Oramus te supplices, ut eadem gratia & favore, porrò etiam

etiam Germaniam tuam complectaris: & fine^s
 patriæ nostræ à Turcarum irruptione, & Pon-
 tificiorum insidijs tutos custodias. In primis
 verò magnas tibi gratias debere nos fatemur,
 quòd hunc ducatū & hāc celeberrimam Scho-
 lam hospitium Ecclesiæ tuæ & domiciliū do-
 ctrinæ cœlestis esse voluisti: & huic ditioni
 Principem Ecclesiæ & Scholæ nutricium præ-
 fecisti: cui doctrina religionis, & salus suorum
 civium curæ est: tūm quòd in hac Academia
viros omni omniū virtutum & doctrinarū ge-
nere præstantes constituisti: qui iuventutem
nō modò in literis & artibus bonis, sed etiā in
sana doctrina pietatis erudiūt. Crudelis quidē
 res, & plena miseriæ bellū, at multa atrociora
 sunt vulnera, quæ conscientiæ infliguntur, quia
 quæ corpori: hāc enim sanari facilius possunt,
 illa difficulter: hęc corpori exitium, illa animę
 interitum afferunt. Quare summas tibi grati-
 as habemīs, quòd cum pace civili & tranquil-
 litate Reipub. etiam pacem conscientiæ, & sa-
 nam doctrinam pietatis, huic ditioni Vviten-
 bergicæ, & huic Academiæ clementissimè cō-
 cedis: orantes te summis precibus: ut Ecclesi-
 am hanc & Scholam nostram, in agnita verita-
 te, & luce verbi cœlestis, deinde semper con-
 servare & tueri velis.

Proximo dein loco, immortales debentur
 gratiæ Illustrissimo Principi, ac Domino: Do-
 mino Ludovico: Duci Vvitenbergico & Teca-

cio: Comitis Montis Peligardi: Domino no-
 stro clementissimo: cuius Celsitudo non so-
 lùm patrio de more synceram religionē pro-
 tegit, & conservat: ut acceptum à maioribus,
 depositum sartum tectum ad posteritatē trans-
 mittat: sed etiam hanc Academiam clementer
 fovet, & literas humanitatis studiosè colit &
promovet. Quod tanti principis studium cum
 summa erga literatos benignitate cōiunctū, me-
 ritò omniū oratione, vocib. & literis prædicā-
 dum est. Magnam sapientię laudem tulit Pto-
 lemæus Philadelphus, quod ingētem optimo-
 rum librorum acervum Alexandriæ compor-
 tasset, & nobilem ibi Bibliothecam constituis-
 set. At multò maiorem nostri Duces prome-
 rentur: quod non solum mutas Bibliothecas
 & apparatum libroruū convexerunt: sed etiam
 viuos & vocem ædētes libros magnis sumptu-
 bus hactenus foverunt: & doctos in hac Aca-
 demia viros multis impensis liberaliter suspen-
 tarunt: tūm insuper munifica sua liberalitate,
 quam in pauperum & tenuioris conditionis
 adolescentium studia magnis stipendijs exer-
 cent, facilè omnes imperij proceres supera-
 runt. Hanc familiam duabus columnis insi-
 stentem, ut Deus Opt. Max. diutissimè in eolu-
 mem, & suæ Ecclesiæ & scholæ huic supersti-
 tem conservet: toto pectore precamur.

Celsitudini eius subiungimus Academiz
 nostræ Principem, clarissimum virum, Domi-
 num lo-

num Ioannem Hochmānum, I. V. Doctorem
 & Professorem inclytum, Scholæ huius Re&to
 rem magnificum: quòd is & præterito tempo-
 re studia moresque nostros regere ac gubernare:
 & hodierna luce honores nostros magnifi-
 ca sua præsentia amplificare non est gravatus.
 Cumq; tāta sit eius erga nos nostraq; studia vo-
 luntas, humanitas, & benevolentia, nos vici-
 sim talem animum libenter & gratiam plecti-
 mur, & perpetuò nos benemeriti huius, me-
 mores fore pollicemur.

Addo & illustrē ac Generosum Comitem:
 Dominum Vvolffgangum Comitem à Castel:
 qui, quod actui huic interesse voluit, & nostro
 honori decus addere dignatus est: manifestis-
 simū animi & voluntatis suæ erga literas & ar-
 tes bonas signum edidit. Neque enim hæc stu-
 dia ab illustriū personarū, vita aliena sunt: sed
 tantò magis hunc ordinem decent: quanto il-
 le ceteris ordinibus dignitate & fortunę splen-
 dore antecedit. Notum est sapientissimi Regis
 Alphonsi respōsum: quòd is cūdā Galliæ Re-
 gis Consiliario dedit. Cūm enim is diceret: Re-
 gum non esse, ut literas discāt. & sufficer hoc,
 si literatos & doctos foveant: Alphonsus re-
 spondit: vocē hanc nō hominis, sed bovis esse.
 Notū & hoc, quod de Carolo Quarto, literarū
 monumētis est proditū: sēpè enim in Disputa-
 tionibus Pragæ permanisse, & unā sententias
 suas cum viris doctis contulisse: ut aliquoties
 tempo-

tempora prandij & cœnæ negligenter: & insuper dicere solitum, se magis dele&tari illis rebus & delicijs, quas ex talium colloquiorū suavitate perciperet: quām ex terrenis. Cuius exemplum cū & tu generosè Comes sedulò imiteris, meritò æquanimitatem tuam nunc prædicamus, & deinceps etiam, quoad vixerimus, grato animo prædicabimus.

Accedo nunc clarissimū & integerrimum virum: Dominum Iacobum Andreæ, Doctorem & Professorem Theologum: Ecclesiæ huius præpositum, & Scholæ Cancellariū dignissimum: Theologici studij Decanū spectatissimum: cuius excellēs erga bonas artes, earumque cultores humanitas, non tantū ad honores nostros viam nobis patefecit: sed Actuietiam huic benevolè adesse, eumque sua præsentia illustriorem reddere voluit. Pro quibus beneficijs sempiternam animorum nostrorū gratitudinem, cum omni officiorum genere coniunctam illi deferimus. Deumq; æternum votis ardentibus oramus, ut reverendæ dignitati ipsius vitam longævam, & multos annos concedat: ut Ecclesiæ Christi diu præesse & professe, & vim luporū ab ovili Dei strenuè protigare & propulsare: tūm in primis Scholæ huic salutaribus consilijs inservire possit.

Proximus illi se mihi offert clarissimus vir: Dominus Iacobus Heerbrandus: & Dominus Ioannes Brézius, Theologiz Doctores & Professores:

fessores: & Dominus Chilianus Voglerus: Do-
minus Anastasius Demlerus, I. V. Doctores &
Professores celeberrimi. Dominus item Pe-
trus Sengius I. V. Doctor, Illustrissimi princi-
pis Vvirtembergici consiliarius: & Consisto-
rij Assessor: quibus omnibus, unā cum ceteris,
qui honoris nostri causa adsunt gratas gratias
agimus: easque acturi sumus, dum anima spi-
rabimus. Declarant enim isti omnes sua præ-
sentia, se & studijs nostris favere: & ea deinceps
promovere: & ad altiores gradus provehere li-
benter velle. Quam quidē nos inusitatam bo-
nitatem clarissimorum & eruditissi. virorum,
non modò nō aspernamus: sed etiam summa
gratiarum actione complectimur.

Sed & vobis perpetuam laudem gratiamq:
debemus, Philosophiæ & artiū liberalium Do-
ctores incliti: Præceptores colendissimi: quo-
rum labore factum est, ut & hanc studiorū no-
strorum metam contigerimus: & hos honores
iam consecuti simus. Nam libenter cum Ari-
stotele fatemur, Præceptori bono & fidi di-
gnas vices rependi non posse. A parentibus e-
nim id, quod necesse erat, parvuli sumus pro-
creati: à vobis nati sumus eruditi. Quo nomi-
ne Alexander Magnus interrogāti cuidā: utrū
Philippo patri, an verò Aristoteli Præceptorī
magis affectus esset? præclarè respondit: ille mihi
ut essem, causa fuit: hic verò ut bonus essem.
Digname Hercule tanto rege & principe ora-
tio:

tio: quæ utinam adolescentium omnium animis insculpta esset: & aurib. nostris perpetuo insonaret: ne paratum blanditias, & pestiferas matrum indulgentias, saluberrimis Præceptorum monitis anteponeremus. Quid enim aliud ab illis, nisi vivendi: quid verò ab his: nisi benè vivendi principium accipimus; &c.

Tibi igitur clarissime vir, Georgi Lieble re, Collegij philosophici Decane spectabilis, unà cum ceteris literarum humanitatis Professoribus, Magistris & Præceptoribus nostris, animos offerimus, quām potest fieri, gratissimos, cum pro omnibus erga nos meritis, quibus studia & conatus nostros hactenus singuli ri diligētia, & labore protexisti: tūm qd' nuper pfectus nostri periculū in literis facere: & hodie nos ornare, atque honorare voluistis. Et quanquā tanta gratia vobis referri à nobis nō potest, quāta debetur: habebimus tamē, quantum maximā animi nostri capere possunt: nec patiemur, ut ullum tempus illuceat: quo tantorum in nos meritorū memoria ac fama moriatur. Neq; enim illorum morem sequemur: qui cū altius vitæ genus & superiores gradus conscenderint: veteres Præceptores longissimo intervallo post se relinquunt: sed memores erimus: quod Apollonius Rhetor Antonino Philosopho summo Imperatori, ad domū Tyberinā ipsum vocanti: ut M. Antoninū filiū ei commendaret: facetè quidē, se verè tamen renuncia-

nunciare iussit: Non Magistri esse, ad discipulum, sed Discipuli ad Præceptorem accedere. Et profectò hic ipse Antoninus cognomento Philosophus, tantū honoris Præceptoribus suis habuit: ut imagines eorum aureas & sepulchra eorum aditu, hostijs, floribus, semper ornaret. Huius exemplo nos admoniti, cū vobis omnibus quotquot hīc adestris, Præceptores optimi. gratias & nūc habemus, & semper habebimus: tūm seorsim tibi vir doctissime, Magister Nico deme Frischline, Poëtices & latinę linguę in hac Schola Professor inclyte: qui & haec tenus fidelissima tua instructione, bonas literas & artes dicendi nos docuisti, & hodie in nobis ornandis, operam collocare, & quasi extremam manum addere voluisti. Quòd si benignum est & plenum ingenui pudoris, ut Secundus Plinius ait, fateri, per quos profeceris: impudentię notam effugere non possemus. Si tuis maximis in nos officijs devinctos nos esse diffiteremur. Verè exclamavit Satyricus.

Dū maiorum vmbbris tenuem, & sine pondere terram,
Spirantesq; crocos, & in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco.

Ante leves ergò pascentur in æthere cervi:
Et freta destruent nudos in littore pisces:
Quām tuu è nostro labatur pectore vultus.

Venio nūc ad Hospites: quorū nomē san
& issimū Cicero in Verrinis vocat; quibus non
postremas

postremas deberi gratias, libēter confitemur.
 Tibi igitur vir doctissime, Magister Ioannes
Crapnere, urbis huius Ludirector vigilantissi-
 me, Cōterraneo charissime: tibi Bartholomeo
Hetlere, Prædagoge Nurtingensis: tibi Rodol-
 phe Riepp, huius Reipublicæ Cellarie: tibi etiā
 Ioannes Brenti, Monasterij Vvildpergensis o-
 lim præfecte, pro vestra præsentia immortales
 agimus gratias, nosque huius beneficij memo-
 res fore spondemus.

Hospitibus subiçimus Magistros, Bacca-
 laureos, Nobiles, & reliquos studiosos omnes:
 quotquot nostri honoris causa, in hunc cele-
 brem locum cōvenire voluerūt: quibus omni-
 bus animi nostri promptitudinē, & omnis ge-
 neris officia deferimus: rogantes vos omnes
 iterum atq: iterum, ut si pro vestris beneficijs
 in nos, parum cumulatè gratias agimus: mea
 id inscitię ac ruditati potius, quam magnitudi-
 nivestrorū beneficiorum tribuatis. Quę enim
 potest existere tanta vbertas ingenij, quę tanta
 dicendi copia, quod tam divinum atque incre-
 dibile genus orationis: quo quis posset omnia
 vestra in nos promerita, non dicam complecti
 oratione, sed percensere enumerando? Deus
 Optimus Maximus, ut, unde orsa est nostra o-
 ratio, in eodem terminetur, clementer
 faxit: ne aut vos operæ vestre pæ-
 niteat: aut nos gratitudi-
 nis pigeat.

PROBLE-

P R O B L E M A III.

D E F O R T V N A , V T R V M ILLA
 ALI QVAM CAVSÆ MOVENTIS RA-
 tionem habeat (secundum Aristotelem) an secus ?

E S S E A L I Q V A M I N R E B V S
 F O R T V N A M .



Væritur in rebus, num sit Fortuna caducis :

Quæ dubias variet, stans sup orbe vices ?

An verò hæc hominū certa stet omnia lege :

Immotoq; ingens limite mundus eat :

Stoicidæ duro, tribuebant omnia Fato :

Sors Epicuræ dux erat una gregis.

At neg, fatali sunt omnia lege ligata :

Cuncta nec arbitrio sors regit aspra suo.

Inter utrumq; modus veri, nam plurima fati

Vifieri, cæcā plurima sorte solent.

Nam quod ad arbitrium fortune plurima fiant,

Nunc cupio paucis ritè probare modis.

Tu modò doctorum cœtus præclare virorum

Huc ades : & cœptis annue queso meis.

Vt, quicquid rudibus deerit in carmine verbis,

Iudicij candor penset id omne tui.

Ac primùm constat, quædam contingere raro :

Causamq; occultæ nos latitare rei.

Nec tribui eventum naturæ posse sagaci :

Ordine qua certo convenienter agit:

Cum quæ sorte cadunt, nulla ratione ferantur :

Et fortuna levius, fine sit orba suo.

Hoc uti percipient animi teneantq; fideles,

Exemplus res est testificanda sui.

Foderit hic agrum, reperitur seria fulvo

Pleni auro : nummis seria plena bonis.

Quis mihi thesauri naturam quæso reperti

Causam : aut arbitrium dixerit esse virtus?

Iverit ille domo mercatum vina, redditq;

Læsa per insidias sauciis ora domum.

Non hac causa via, non isthic finis eunt;

Propositus : sorti sed fuit iste dolus.

Tegula de celsa quondam si decidat arce :

Inq; homini veniat culmine lapsa caput :

Quis negat adverso rem talem obtingere casu?

Aut quis naturæ iudicet istud opus?

Quæ ne quis nimium à docto sermone remota

Iudicet : hic paulò nunc propiora canam.

Nonne canem aut vitulum prudens natura creare,

Non nisi caudatum quadrupedemq; solet?

At si quinq; pedes sine cauda proferat olim :

Quis non fortunæ dixerit esse malum?

Bucephalum casus genuit, natura negavit :

Hac enim equi dat equo colla, boviq; bovis.

Semper enim natura modis agit omnia certis :

Propositoq; suum fine tuerit opus.

Sed varia est, metamq; petit non semper eandem

Fortuna, innumeras fertq; refereq; vices.

Et pedibus dubijs hinc inde volubilis errat :

Nec manet in certis una eademq; locis.

Adde quod humanis fermè sese omnibus actis

Ingerit ; & varijs ludit ubiq; modis :

Sapè quis ad finem studiōsē rendit honestum,
 Fortuna arbitrio retrahit acta suā.
 Sapè quis ad pacem revocat consulta tuendam:
 Post videt in rapidos consilia ire Notos.
 Sapè quis artificum sublime educere rectum
 Aggressus, medium fallitur inter opus,
 Sepè peritorum quidam ius dicere iussus,
 Errat: & errorem non negat ipse suum.
 Sepè Machaonio medicus fert Pharmacon agris
 Pollice, quod melius non terulisse fuit.
 Tempore deficiar, si cuncta exponere coner:
 Quæ varia monstrant sortis in orbe vices.
 Hanc si quis tollat, & contingentia toller,
 Cuncta q̄, fatali facta domabit ope:
 Arbitrijq; omnes fatis adstringet habenas,
 Dicer & à doctis multa aliena libris.
 Sed quid opus multis ceci ludibria casus,
 Pandere, & errores stantis in orbe Dea?
 Aspice dunt axat, quanta caligine mersa
 Res hominum: ut variae sortis ubiq; vices.
 Hinc fortuna rapax apicem stridore furenti
 Sustulit: hinc illum deposuisse solet.
 Sepius indignas magna ad fastigia rerum
 Extulit: & dignos iussit abire foras.
 Sepius innocuum premit hæc Dea lubrica damno:
 Pauperie iustos aggravat inde viros.
 Hac si forte volet, fies de Rhetore consul:
 Si volet, amissso consule Rhetor eris.
 Quid multi? homines nullo regit ordine, nulla
 Lege: sed incerto volvitur orbe rota.

Nunc bona, nunc tristi conturbans omnia vultu:
 Nunc mater, quarto fortè noverca die.
 Ac velut Autuīni quondam Septembribus horis,
 Tempestas varias concitat orta vices.
 Nunc pluvio cœlo ventosis horrida nimbis:
 Nunc iterum claro facta serena die.
 Sic fortuna levis modo tristia quaeg, minatur:
 Mox iterum leta gaudia fronte parat.
 Vsq, adeò nulla est hominum syncera voluptas,
 Imaq, permuat grandibus hora brevis.
 Qui modo Lydorum populos ditione tenebat,
 Heu nunc ad rapidum ducitur ille rogum.
 Ille Syracusiae modo Rex Dionysius urbis,
 In trivio pueros nunc Elementa docet.
 Ille triumphati victor Belisarius orbis,
 Mendicus turba poscit euntis opem,
 Quid fuerat Magno maius? tamen ille fugatus,
 Nil iaco moles littore truncata iacet.
 In cano latitat Marius cannaq, palustri:
 Consule quo toties Roma superba fuit.
 In nunc & certa fieri dic omnia lege
 Naturæ, & nullas casui inesse vices.
 Quid? quod Aristoteles naturæ operumq, magister,
 Hac eadem mecum, qui fateatur adest?
 Cuim ab ingenio, tanquam prædivice vena,
 Manavit, quicquid mens rationis habet.
 Nec Cheronæus docuit Plutarchus ab illo
 Diversum, & quisquis non nisi recta sapit.
 Ipsi etiam vates cœli super arce locarunt
 Fortunam, & magnum numen habere putant:

Net

Nec quisquam est veterum qui non det plurima sorti,

Et casu in mundo plurima credat agi.

Sed tamen ut ne alijs nimium, aut mihi deniq; fidam:

Ingenua experiar nobilis ora viri.

Nobilis ingenio, & multis præstantibus ausis,

Immenso cuius nomen in orbe volat.

Te pie præceptor, nostri pars magna Lycae,

FRISCHLINE appello, te NICODEME voco.

Tupotes antiqui producere sensa Platonis:

Tu Seneca & veterum plurima dicta virūm.

Tu mihi Aristotelem dextrè voluisse videris:

Ingeniumq; illo percoluisse tuum.

Vt nihil historias dicam, innumerosq; Poëtas:

Qua tibi se nemo vendicat arte parem.

Eia age dic nobis, num sit fortuna, vagusq;

Casus? an æternus legibus orbis eat?

Sic tibi me æterna devinctum lege tenebis:

Et memorem facies, tempus in omne tui.

M. IOHANNES LÆTVS,

Lavinganus.

RESPONSI O,

NICODEMI FRISCHLINI

IN SCHOLA TUBINGENSI

Professoris publici.



Ata ne perpetuis moderentur legibus orbem:

Confilioq; cadant omnia firma Dei?

An nihil æternum, sed paßim incerta vagetur:

Ambiguaeq; ferat sors referatq; vices?

Q 3

Questio difficilis : multosq; agitata per annos :
 Nec dum etiam finem lis habet orta suum.
 Nam facilem immiti naturam adstringere Fato :
 Nec ventura aliter, dicere, posse geri :
 Absurdum, sortis quod mens ignara futura
 In vitium, fati non sine labe, ruat :
 Haud minus absurdum, dominanti nectere Fato,
 Frena voluntatis libera, grande nefas.
 Omnia quæ fiunt, insanæ adscribere sorti,
 Est verè insanæ religionis opus.
 Nam nihil in rerum natura existere casu,
 Nil temerè fieri, nil sine lege geri :
 Nec varias rerum (quad tu facis, optime Late)
 Fortunæ tribui iudico posse vices :
 Quas sine natura cursu, sins legibus ullis,
 Ambigua ferri conditione vides.
 Tu quod pauca cadunt sine lege, sine ordine certo
 Naturæ : casus credis id esse malum.
 Tu quod monstra vides, interdum existere nullo
 Ordine : fortunæ credis id esse malum.
 Tu quod in errorem trahitur quandoq; voluntas :
 Esse putas vitium stantis in orbe Deæ.
 Tu quod res hominum tanta caligine volvi
 Aspicis : arbitrium sortis id esse putas.
 Sed magno & veteres nostrosq; errore teneri :
 Ostendam paucis, ut feret hora, modis.
 Tu modo doctorum celeberrima turba virorum,
 Da præiudicij candida signa tui
 Ut mihi pace tua fortunam evertere cæcam
 Fas sit ; & insanum trudere ad ima caput :

Fas sit Aristotelem contra ipsum sumere telas;

Non odio illius sed nec amore mei.

Si namq; aeternum falsis rationibus orbem,

Materia afferuit captus amore sua.

Cur non & falso quamcunq; assingere causam

Fortuna potuit, lapsus in arte sua?

Dum nimis intenta naturam fronte tuerit

Affigit q; putri lumina mentis humo.

Sed nihil indignum hoc, tanto memorabo magistro

Est praeceptorem carpere grande nefas.

Luctabor tantum, ceu cum doctoribus olim

Discipuli audaces opposuere pedes.

Si nihil obtineo, quædam pugnasse voluptas

Hic erit: ut cum infans provocat ore patrem.

Tu modo Christe novi dum doctrina refello magistri

Carmina nostra tuo numine vela rege.

Obrutane vastis quatatur cymba procellis:

Aequoris insuetam carpere iussa viam.

Principio eventus quosdam contingere nullo

Ordine natura, non tibi Late nego.

Nec causam illorum Natura censeo ductum:

Nec reor his certas rebus inesse vices.

Vt cum quis fossa thesaurum invenit agello,

Aut hominis ferit tegula lapsa caput.

Sed quod casus agat fortunaq; causa gubernet:

Has rerum nulla cum ratione vices.

Hac nego: nec temere ista nego, qui ludicra casus

Esse nego, & sortis non reor esse vicem.

Nam licet immota non fiant omnia fato:

Ista tamen fati censeo lege geri:

Tu quæ fortuna tribuis casus quod, furori,
 Et temerè fieri sic super orbe putas.
 Haud ullis siquidem cacci ludibria casus
 Accidere eventis (res tibi mira) cano:
 Omnia quod, aut certo naturæ obtingere duclu,
 Aut fieri arcani sub ratione boni.
 At quod hoc ut capiant animi teneant quod, fideles,
 Exemplo res est notificanda tuo.
 Rara quidem reperit thesarum fossio: sed quæ
 Repperit, ætheria est fossio ducta manu.
 Nam Deus humano: non, non fortuna labori
 Aspirat: nostras dirigit ille manus.
 Cui vult, addit opes: cui non, hoc detrahit idem.
 Hic nihil instabilis sors Dea, iuris habet.
 At si infans teçto incolumis labatur ab alto:
 Ordine naturæ qui periturus erat.
 Iussus Aristoteles genuinam reddere causam,
 Nonne id fortuna dixerit esse bonum?
 Onimium laxas fortuna tendis habenas:
 Onimium caco casui inesse putas.
 Non sic arbitrio versat sors ista maligno,
 Non sic de tenui stamine pendet homo.
 Omnia sunt Domini; Domino simul omnia fiunt:
 Vita est illius, morsque, reposa manu.
 Nullus ab humano decedit vertice crinis,
 Consilio si non destinet ille suo.
 Nec cadit aërio minimus de culmine passer,
 Aucupis intentam ni regat ipse manum.
 Nec tu propterea tibi contingentia tolli,
 Cuncta quod fatorum legibus ire putas.

Res tibi contingunt naturæ ubi certus it ordo
 Ordine sublato, solum ibi numen agit.
 At monstra inversa fieri quod lege videmus:
 Fineq; naturam saepe carere suo:
 Non hoc fortuna, non casu adscribere debes:
 Materiæ vitium dixeris esse tuae.
 Omnes quæ recipit species omnesq; figuræ:
 Seu dicas contra, seu super esse φυσικό
 Nam species per se Naturæ semina non sunt:
 Natura ista gradu nobiliora valet.
 Formæ omnes divinum aliquid, quia qualibet unum
 Quiddam; at materies pluribus apta modis,
 Ut, quæ tum proprias portentosasq; figuræ,
 Aetherea partum vi moderante, capit.
 Quid? quod & interdum naturæ absq; ordine cuncto
 Fiunt, à sola monstra profecta Deo
 Ille potest Solis currus inhibere volantes:
 Ille potest rapidas fistere solus aquas,
 Ille potest muros instar componere pontum:
 Transeat ut sicco calce viator aquam.
 Ille potest cœlo stellas formare recentes:
 Et tenebris illas abdere, ut ante, suis.
 Quod verò artifices labi contingit in arte:
 Nec quæq; oppositum tangit arundo scopula,
 Non animi culpa est: rebus culpa hæret in ipsis;
 Hic varia ambages, hic vaga Lerna mali:
 Mens equidem sapiens orientia tempora notis
 Instruit exemplis, & sua fata videt.
 Ut cum nauta cavis venturum è nubibus imbreu
 Prospicit & duri vim fugit inde Noti..

Nec fatale adeo fuerat te vincere Magnum
 Casar: ut hic nullum sit rationis opus.
 Te siquidem vinci tumet potuisse canebas:
 Dyrrachio pedites hoste premente tuos:
 Si frons cauta viris: si mens non lava fuisset:
 Victriciq; usi conditione farent.
 Est sua mortali arbitrio super orbem relicta
 Libertas: nondum tota perempta iacet,
 Et cessare potest & continuare laborem,
 Nullo ipsum sati vi retrahente, faber.
 Vi fatum immota: caco sors impete: certo
 Ordine natura: mens sapienter agit.
 In medio posita est, cum libertate voluntas:
 Et tenet arbitrij libera freна sui.
 Sed caci arguimus caci infornia casus:
 Et querimur sortis de levitate leves.
 Tolle prius caca densas è mente tenebras:
 Postea de caca pergito forte queri.
 Si pius & constans in vita naviter omni:
 Fortuna hinc nunquam pro levitate gemes.
 Sed neq; perversus natura totius ordo,
 Fortuna recte dicitur esse malum.
 Sicut enim ordo boni, sic est confusio fructus
 Ista mali: ut noster dicit aristoteles.
 At mala non omnis dici fortuna meretur:
 Est etiam quadam nomine digna bono.
 Vnde igitur tandem natura inversus hic ordo:
 Quod mala fata bonis sunt, bona fata malis?
 Quod viri iustus inops, opibusq; iniustus abundat:
 Quod subito est irus, qui modo Cresus erat.

Nempe mali labes, Stygijs hec orta cavernis,
Humani lapsus debuit esse comes.

Omnia Dis turbat : sedat Dis omnia: vertit
Omnia : nec quisquam linquit in orbe ratum.

Nec temere tamen ista gerit : stant omnia nunc
Firma Dei : & certi munia finis habent.

Quæ tibi si vellem è sacris ostendere libris :
Ilias est opera longa futura mea.

His tam non verum est, quicquam contingere casu.
Quam mundi exortu fulcra carere suo.

Nil temere fieri sacro sermone docemur:
Mult a geri casu Philosophia docet.

At qui ego res sacras nunquam postpono prophaniis :
Et potius dicam fallere Aristotelem.

Tuq, adeò, cœli que temet in arce locasti.
Fecistiq, Deam : sors odiosa vale,

Ceca mihi fortuna vale : Deus omnia cernit :
Hunc certum est comitem velle, ducemq, sequi.

Inconstans fortuna vale : qui fallere nescit,
Vnius arbitrio stabo cadamq, Dei.

Sæva noverca vale : Deus & natura parentes
Sunt mihi: non alios, dum mihi vita, colam.

Nec me Plutarchus, nec me movet ille Sophorum
Princeps : nam sacris plus tribuisse libet.

Quin etiam ipse aliud Plutarchus dicere visus :
Quam cæca assertor sortis Aristoteles

Omnia cum fato fortuna ludicra claudat:
Et reliqua in nostra dixerit esse manu.

Quid vero antiquos cesso tibi dicere Graios ?
Quid te, Socratico qui loquere ore, Plato ?

Quid te Lactantij? Quid te Bernharde? quid ipsum
 Te Augustine sacer? quid Seneca m̄e loquar?
 Temporis heu nimium spacijs excludor inquis
 Omnia ne hoc possum commemorare loco
 Si tamen hoc cōtu est qui forsan plura requirat:
 Plutarchi is Fatum cum Cicerone legat.
 Multa ibi reperiet, summis à viribus orta
 Ingenij, & nostris non aliena sonis.
 Quod supereft te Christe precor, nos spernere mundum,
 Et fragiles doceas, ludicra sortis, opes:
 Ut tibi fidamus, te te metuamus in omni
 Sorte, quibus de te nomen habere datum
 Ne mala nos scabies cœlorum pellat ab arce:
 Quæ non estolidis ædificata capris;
 Sed quibus est & vivæ fides factisq; probata:
 Inq; tuos cœtus officiosa manus.
 Sit tibi Christe decus, tibi laus, tibi gloria soli:
 Et nunc, & reliquo tempore semper A M E N,





ORATIO

D E V I T A R V S T I-
C A , R E C I T A T A T U B I N G A E , A N N O
M . D . L X X V I I I . T R I D V O . M E N S I S
N o v e m b . p r e s e n t i b u s , I l l u s t r i s s i m o p r i n c i p e , G e o r g i o G u -
s t a v o , P a l a t i n o R h e n i : & c . & G e n e r o s o D o m i n o ,
M e l i o r e F r i d e r i c o , C o m i t e i n F a l c k e n -
stein &c:

DI C T V R V S D E P . V I R G I L I I
 Georgicis, & generatim de agro-
 rum, vinearumq; cultura: non a-
 lienum vel à me, vel ab hoc loco
 facturum me esse confido: si priùs
 orationem meam ad Deum Opt. Max. conver-
 tam, quam rem ipsam aggrediar. Nam si

Agricola prisci, fortes parvoq; beati,

Condita post frumenta, levantes tempore festo

Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem:

Cum socijs operum, & pueris, & coniuge fida:

Tellurem porca, Sylvanum lacte, piarunt:

Floribus & vino Genium, memorem brevis aei:

Si veteres Poëtæ, Deos venerari, ac Cere-
 ri annua sacra referre suos agricolas voluerūt:
 si Virgilius ipse, & Virgilium secutus Varro
 Teretius, operum suorum rusticorum initijs,
 Deos

Deos Deasq; numina cōfīcta in auxiliū, ad cō-
 scribendos libtos invocarūt: quanto magis id
Christianū Poētam facere decet; ut de cultu a-
 grorum & vinearum verba facturus, principiō
 verum Deum, cuius verbo cœli creati, & fun-
 damenta terræ iacta sunt, precibus suis implor-
 ret? Tametsi enim nullum in religiosa vetusta-
 te exemplum uspiam extaret: quod nos de hac
 pietate erga Deum commonefacere posset: ta-
 mē vel hic annus solus est, qui & meque vos o-
 mnes meritō incitare atque inflāmare debet:
 ut gratis animis D e i erga nos bonitatem: quā
 præterita xstate atque hac vindemia, in agro-
 rum & vinearum proventu nobis ostendit: li-
 benter agnoscamus: & literis ac linguis no-
 stris, quantum possimus prædicemus, ac ce-
 lebremus. Tanta enim vini & frugum ex agri-
 cultura, & bonitate D e i, ubertatem atque co-
 piam: tantam rerum omnium affluentiam hoc
 anno sumus experti: quanto nemo hominū
animo concipere priūs potuisse: nemo verbis
 atque oratione sufficienter eloqui nūc possit.
TIBI IGLTVR SEMPITERNE D e v s, cōdi-
 tor cœli & terræ, liberator & cōservator huma-
 ni generis, gratias ago atque habeo summas &
 immortales, pro tuis maximis arque innume-
 ris beneficijs: quibus tu populum tuum hisce-
 tēporibus cum ~~benignissimè~~ affecisti. Nam, ut ni-
 hil dicam, de verbi tui puritate, quo tu animos
 nostros benignissimè hactenus cibasti: nihil
 de hac

de hac salubritate aëris, qua nos omnes iam
 diu salvi atque incolumes fruimur: nihil de pa-
 ce & tranquillitate publica, qua multis nunc
 annis securissimè utimur: quæ obsecro ad tan-
 ta bona maior potuisset accedere clementia,
 quam hæc ipsa, quæ ex ista frugum & vini uber-
 tate, rerumque omnium affluentia & copia
 perspicitur. summa atque admiranda boni-
 tas? Grassantur alibi furores bellici: truci-
dantur infantes: matronæ & virgines ad stu-
pra rapiuntur: bona civium diripiuntur, ali-
bi pestilentia invalescit: sævit lues: viri validis-
simi & iuvenes robustissimi, è medio vitæ cur-
su, ante diem tolluntur, alibi fruges & vites ca-
lamitatem ex cœli intempestate perpessæ, co-
lonos suos messe atque vindemia frustrantur:
alibi quod acerbissimum & crudelissimum est,
falsa religionum dogmata, & inania figmenta
proponuntur: quibus non corpora, sed ani-
mæ miserorum hominum enecantur: minis-
terrentur infirmiores: dubij erroribus impli-
cantur: plenisque liberè, quæ vera sunt, cre-
dendi & statuendi potestas eripitur. Quo-
 rum nos incommodorū cùm expertes simus:
 & ætatem nostram, extra omnem teli iactum,
 securi degamus: quomodo sufficenter Deo
 Optimo Maximo pro summis beneficijs gra-
 tias habebimus? Nam apud nos neque per-
 versæ de Deo, eiusque cultu opiniones do-
 centur: neque pestilentes, aut exitiales morbi
 serpunt:

serpunt: neque inopia aut fames egenos com-
 ficit: neque armorum strepitus circumsonat:
 neque ulla miseria nos infestat: ut ad tantā fe-
 licitatē nihil nobis deesse videatur, præter ani-
 mum, qui hisce tantis rebus atque commodis
 recte fruatur. Durat in Ecclesia, & Schola pax
 atque concordia, cum doctrina salutari con-
 iuncta: floret Resp. in pace & tranquillitate:
 viget in Rep. sanitas, & corporum nostrorum
 incolumentas. Quæ omnia, nisi quis summa
 esse fateatur: amens sit. Sed accedit his tan-
 tis Dei beneficijs, aliud nunc bonum: quod
 immensa tua, ô Deus, & incredibilis ista libe-
 ralitas, ad vitæ conseruationem, non modò
 necessarium, sed etiam abundantem nobis vi-
 etum concessit. Nam quæcumque ad usum vi-
 tæ quotidianum pertinent, ea tu nobis divina
 tua virgula cumulatissimè suppeditasti: Equi-
 dem refertæ sunt omnes cumeræ frumento:
 plenæ sunt omnes cellæ ferventi musto: atque
 ita plenæ, ut nobis vasa ciriūs, quam vina de fu-
 tura esse videantur. Itaque tempus illud nunc
 redijisse arbitror: quo tu olim Helisæi precibus
 commotus, post longam & tristissimam anno-
 næ gravitatem, fenestras cœli aperuisti: & fru-
 mentis, oleo atque vino, populum tuum, qua-
 si quodam imbre, & repentina pluvia irrigasti.
 Etenim nos quoque superioribus annis eam
 suimus experti rerum omnium difficultatem
 atque inopiam: ut multi fame contabuerint:
multi

multi spem salutis omnem abiecerint: plerique cœlum & terram cōsenuisse iudicaverint.
 At verò hoc anno, quem tu coronasti Domine, hac vindemia, qua tu manum tuam aperisti, Deus Opt. Max tanta rerum omnium, tamque subita facta est commutatio, ut pro inopia, summa nunc sit copia, pro penuria, incredibilis abundantia, pro inedia admiranda satietas, pro spe dubia, salus certissima. Quod igitur tantum est flumen ingenij? quæ dicendi aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare laudes tuas possit?
Arbores ipse & vites letantur, colles subsuntant, agri & prata gestiunt, quoties tuam illam in se bonitatem sentiunt. Quocirca, hoc unum, quod nunc superest, abs te D e s u s, supplices oramus atque petimus: ut animum nobis talem indas, qui his tantis muneribus atq; beneficijs tuis rectè perfrui possit: ne ista dona ad luxum & vitę intemperiem convertamus: sed grata mente illis utamur, & hinc nominis tui laudem ac decus celebremus ac prædicemus. Rege nos, ô D e s u s, Spiritu tuo sancto, ut ista commoda æquis animis feramus: neque in hac satietate ferociamus aut insolescamus. Accende in nobis faciem amoris mutui: ut de tuis bonis, quorum nos dispensatores, non dominos esse voluisti, egeno & inopî largiamur. In primis verò te obsecramus, ô D e s u s, ut peccata, quibus antehac te graviter

offendimus, iramque tuam provocavimus, nobis clementer condonare velis. Nam si præteriorum delictorum memineris. Domine, Domine quis perdurabit? Obmurmurarunt quidem animi nostri præteritis cladibus & paenitatis, quas tu nobis, propter peccata nostra, immisisti: obstrepuerunt voces nostræ sermoni tuo, linguæ nostræ convicijs te insecatatæ sunt: manus & pedes nostri à semita tua longissimè deviarunt. Fac igitur benignissime Deus, ut animi nostri te, conditorem & servatorem suum, posthac agnoscant: ut ora nostra, & linguæ nostræ laudes tuas deprædicent, & deus tuum celebrent: ut pedes nostri viam veritatis & iustitiae tuæ consequentur: ut denique nos omnes, qui Christo nomen dedimus, abiectis vitæ huius curis & voluptatibus, in hoc ævo piè, iustè & sobriè: in altero tecum beatè vivamus. A M E N. Nunc ad id me confero, quod nostri institutio est, atque ad laudes agriculturæ & Georgicorum Virgilij pertinet: de quibus dum breviter dico: petto à vobis auditores, ut benignè attenteque perorantem me audiatis. Ea enim dicturus sum, quæ & vos de rebus maximis atque utilissimis commonefaciant: & quæ vos ipsi magna cum voluptate & animorum oblationibus percipietis. Ac initio, ut inde profiscatur mea oratio, unde omnis veræ laudationis principium ducitur: quis est qui nesciat

agriculturam earum esse artium & actionum,
 quas Deus ad vitæ huius usum instituit omni-
 um primam & antiquissimā esse? Nam ut pri-
 mūm à Deo homines sunt conditi, & coniugio
 inter se ita copulati, ut non modò alios de se
 propagarent homines, sed etiam eorundem
 laborum ut essent socij: statim eos in hortum
 amœnissimum collocavit D E V S: ubi, & arbo-
 res colerent, & fructibus illorum vesceren-
 tur. Neque enim hominum generi utile fore
 prævidit D E V S: ut ignavo ocio torpesce-
 rent, & vitam omnem sine exercitio transige-
 rent. Itaque hortum & arbores colere, earum-
 que fructu vitam producere ipsos voluit: ut sic
 D E V M vitæ suæ autorem & conservatorem a-
 gnoscerent, eumque invocarent & celebra-
 rent. Nam qui cibo & potu ad sustentationem
 vitæ sibi opus esse intellexissent: qui ex ar-
 borum cultu victum sibi parandum esse sci-
 vissent: qui arbores sine cœlesti rore, motu-
 que syderum & bona cultura nihil proferre co-
 gnovissent: qui denique labores suos sine au-
 xilio D E I nihil prodesse animadvertisserint:
 quomodo non D E V M servatorem suum assi-
 duis precibus invocassent? quomodo voti sui
 compotes facti, dignis laudibus eundem non
 affecissent? Etsi enim homines tum adhuc e-
 rant integri, neq; ulla peccati labe contamina-
 ti: tamen illos Deus operari, & terræ fructibus
 vitæ suā sustentare jussit: ut eos hac ratione in-

tra metas officij, & piarum precum retineret.
 Ideoque primis hominibus imperium in bel-
 luas, & dominium in bruta animantia conces-
 sit: ut illorum adiumento terram colerent. Ne-
 que enim vita illa, ad quā primi homines con-
 diti fuerunt, sempiterna illa fuit, cum Deo im-
 mortalí conversatio: quā nos hodie per Chri-
 sti meritum spe indubia expectamus: & quam
 primi illi homines si lapsi nō fuissent, certo an-
 norum progressu, à Deo solis precibus impe-
 trassent. Vix enim æterna, neq;cibus est, neq;
 potus: sed gaudium in Spiritu S. Nam in æter-
 nitatē Christo teste, homines neque edunt, ne-
 que bibunt, neque nubunt. At verò in prima
 illa, sic à Deo constitutum fuit, ut istius ævi ho-
 mines, non tantūm nuberent, & matrimonia
 inirent, duoq; in una carne essent: sed etiam ut
 cibo & potu vitā suam foverent & alerent. Quo
 circa rusticationes illæ, quibus primi homi-
 nes a Deo subiectæ fuerunt: beatitati ac felici-
 citati illorum nihil prorsus derogabant. Nam
 & mentes illorum sic animatæ erant: ut pro-
 pter Deum quidvis oneris libenter susciperet:
 & corpora ita robusta ac valida, omniumque
 morborum & infirmitatum expertia: ut ma-
 ximos labores, sine omni molestia perferre
 possent: tum verò in omnia animalia tale ho-
 minis imperium: ut quæ iumenta hodie flagris
 & verberibus ad operas cogi atque impelli vix
 possunt, ea cum ad vocem nutumque hominis
 prompti-

promptissima adessent. Sed accedit huc, quod etiam laborum culturæque fuit ratio: ut citra omne tædiū summa cū voluptate operas suas obbissent homines. Cuius oblectamenti etiā hodie in hac ærumnosa vita, aliqua restare vestigia ex ijs intelligitis: quæ paulò post, & aliquatō inferius à me cōmemorabuntur. Faces autem igitur veterum Poëtarum cōmenta, qui nescio quam ætatem auream nobis confinxerunt: in qua

Mollia secura tractarent ocia gentes:

Ipsa quoq; immunis, ferroq; intacta, nec ullis

Saucia vomeribus per se daret omnia tellus:

Nec rastros pateretur humus, nec vinea falcem.

Etsi enim longè alia colendi agros, & infestandi arbores infœcta est posteris temporibus ratio: postquam de statu integritatis prolapsi sunt homines: tamen omni operatione vacuos esse, & prorsum ociari primos parentes certo consilio, de quo iam dictū est, sapientissimus conditor haudquaquam voluit. Nam idē ille, humani generis autor Deus, qui hominem ad sui imaginem procreavit, & vitales ei spiritus indidit, etiam iucundissimis eum laboribus & arborum amœnissimarum culturæ, turisque operibus pulcherrimis initio statim adhibuit. Ex quo intelligitis, auditores!, quanta sit vita huius antiquitas: cū rura colerent homines, qui nondum habebant urbes, nec quid murus aut quid portæ essent, sciebant. Evidē si tēpus

quo agricoli sunt cœpti, & homines à Deo in
 hortum voluptatis collocati, ad istud princi-
 piūm referatur: magno annorum numero nō
 modò urbanarum rerū possessoribus, sed etiā
 omnium aliarum artium professoribus agrico-
 lę prestatibunt. Nec mirum, q̄ divina natura de-
 dit agros, ars humana ædificavit urbes. Si n. ad
 primam oppidorum urbiumq; originē respi-
 cere voleas, quippe eas non à Deo, aut viris sa-
 pientib. ac probis, sed à pessimis quibusq; ini-
 tiò inventas esse comperies. Postquam n. Cain
 nus occiso Abele fratre primum in terra par-
 ricidium perpetrasset, & proinde mala consci-
 entia vehementer angeretur, ita ut nullo in lo-
 co tutus conquiesceret: ipse primus civitatem
 Hanocham, de filij sui nomine sic dictam in re-
 gione Noda constituit. Nam hac ratione intra-
 muros se tutò latitatum, & quasi quoddam a-
 filium habiturum esse sperabat, ne aut à filijs su-
 is, aut à fratribus interfecti Abelis postmo-
 dum interficeretur, aut à feris & immanibus
 belluis in aperto campo discerperetur. Ita e-
 nim vulgò inter homines comparatum est, ut
 malitiosi ac scelerati, eadem sibi metuant ab
 alijs, quæ ipsi in alios iam olim perpetrarunt.
 Quocirca etiam posteri illius, à moribus avitis
 nihil degenerantes, ferro & armis, quorum in-
 ventores fuerunt, sua corpora primum munie-
 re cœperunt. At verò primi isti, de quibus di-
 stum est, homines, rebus adhuc integris, vi-
 tam

tam suam sub dio agebant, arbores plan-
 tabant, hortum voluptatis colebant, & custo-
 diebant Sed & post lapsum, cùm iam ex hor-
 to profligati essent, & agriculturæ labor ac do-
 lor, vultusque sudor, veluti pœnæ peccatorum
 accessissent: nihilominus tamen in agris vi-
 tabant, atque in casis tugurijsque vitam pro-
 ducebant, & urbanis istis tumultibus ac fori
 strepitibus procul remoti, paterna rura bo-
 bus exercebant. Videre hoc est in Patriarchis,
 uti vocantur, Noha, Abrahamo, Isacio & Ia-
 cobo, qui vites & arbores inferere, agros co-
 lere, tuguria extruere, pastoritiam vitam in-
 primis agere solebant Nam in rusticatione (ut
 Columella testatur) vel antiquissima est ratio
 pascendi, eademque quæstuosissima. Propter
 quod nomina quoq; pecuniæ & peculij tracta-
 videntur à pecore: quoniā id solū possiderunt
 veteres, & Romani etiā in tabulis censorijs pa-
 scua dicebant omnia, ex' quib. pop. Rom. redi-
 tus habebat, quia diu hoc solum vestigia fue-
 rat, & nunc apud nostros colonos alia res ubi-
 rior nulla est. Vnde etiam M. Cato, consulenti
 quā partē rei rusticæ exercendo, celeriter locu-
 pletari possit: respondit si benè pasceret. Ve-
 rūm, ne à proposito digrediar, ad Patriarchas,
 quos dixi, revertor. Nā vitā illorū nō umbrati-
 lem, sed agrestē: non urbanā, sed rusticā: nō fo-
 rensem, sed villaticā: non regiā, sed pastoritiā
 fuisse apud oēs, quibus sacræ innotuerūt histo-

De Vini cultiora. riæ, in confessio est. Ut enim de vini cultura sal-
 tem aliquid proferā: quis vestrūm nescit Noā
 illum antiquissimum, qui in utroque mundo,
 ante & post diluvium vixit: unde etiam biceps
 pingitur: statim ab illa inundatione universalis,
 vites primūm in terra coluisse? cūm enim di-
 luvij aquis non modò arbores & agri essent va-
 stati, ac prorsum labefactati: sed etiam fôtes &
 aquæ potabiles suprà modum depravatae: Deq;
 illi vini producēdi rationē è vitib. cōmonstra-
 vit: cuius potu homines suas vires, quas labo-
 ribus operis rusticis attrivissent, reficere ac re-
 staurare possent Nimrodus verò cū sua domo,
 quam ab execrato Chamo ducebatur, rure deser-
 to, colonos in suā potestatē redigere, ipsisque
 imperitare, & urbem regni cōstituere, turrim,
 que in ea altissimā excitare cepit. Credebat n.
 superbissimus atq; imperiosiss homo, se non
 modò nominis sui sempiternā gloriā inde ve-
 naturū: sed etiā in posterum ab aquis diluvij, si
 quæ inundaturæ essent, in ista turri altiss. tutū
 esse futurum. Ex quo clarè perspicitis urbium,
 & excelsarum artium structuras, nō à Deo, ne-
 que à pijs & sapientibus viris, sed à sceleratis &
 profligatis hominib. Caino & Nimrodō, pri-
 ma cepisse initia: vitam verò rusticā, & vi-
 tium agrorumq; culturā, à Deo rerum omniū
 bonarum autore, & viris sanctissimis ortā, atq;
 ad nos inde propagatam esse. Quæ igitur vete-
 rum scriptorum insania est: quod nescio quam
 urba-

urbanitatem suam vitæ huic agresti, tanquam
ferinæ & belluinæ anteferre nō dubitant: Quę
stultitia est, quod Rhetores quidā malè feriati,
prisci illius ævi homines passim in agris, beſti-
arum more, vagatos esse, vitamq; sibi victuferi
no propagasse dicitat? quę amentia est, quod
forenses isti rabulæ, dum suæ arti præconiū ca-
nunt, & orationū suarum phaleras novo colo-
re pingunt: nescio quē magnum & sapientem
virum extitisse clamitant: qui dispersos homi-
nes in agris, & in tectis sylvestribus abditos, ra-
tione quadam cōpulerit in unum locū, & con-
gregaverit: adeoque ex feris & immanibus, vi-
quadam orationis, mites & mansuetos reddi-
derit, Lepidum commentum mehercule qua-
si verò urbani homines agricolis, aut vitæ inno-
centia, aut sapiētia rerum quę usu, aut iustitia,
aut animorū, corporūq; sanitate, aut ullo lau-
dis genere præstiterint: ac nō potiū homines
ex urbe in agros, quam ex agris in urbem de-
ducendi fuerint. Nam, si Varroni credimus, nō
sine causa, maiores nostri ex urbe, in agros re-
digebant cives suos: quod & in pace à rusticis
alebantur, & in bello ab ijs tuebantur. Dicat
fortassis hoc loco aliquis, vrbanas artes & ne-
gocia civilia, libero homine digniora esse: quā
sint rusticationes: cum publicè sit concepta, &
vulgi opinione confirmata existimatio, rē ru-
sticam sordidum opus, & id esse negotium, cu-
ius administrationi homines indocti, stupidi

& serviles, non autem ingenui & liberales pre-
fici debeant. Quòd si quis est, qui hoc ita sta-
tuat: illius minuenda erit opinio. Nam, pri-
mò ex supra dictis constat: hanc artem colen-
di agros & vineas, nō à sordidis abiectisque ho-
minibus inventam aut exercitatā esse: sed à pri-
mis ac sapientissimis parentibus, adhuc in sta-
tu integritatis versantibus usurpatam: quo tē-
pore ceteris artibus, quas usus postea & neces-
ritas peperit, nullus in hominū vita locus erat.
Sed quis est tām alienus à mente qui non vide-
at primos homines in statu perfectionis, cā po-
tissimum artē fuisse exercitatuos, quæ liber-
rimis ac beatissimis hominibus esset dignissi-
ma, quām aliquam illiberalē & sordidam:
quis tam stupidus est, qui patres illos antiquis-
simos, progenitores nostros, qui culturā agri
& vitiū nos docuerēt, rem sordidā & abiectam
commōstrare atque exercere voluisse iudicet?
Posteri certè, & quidem sapientiss. illorū, has
artes tanti fecerunt: ut eorum inventores in
Dedrū immortalium numerū retulerint; & di-
vinos illis honores habuerint. Hinc factum
est, quòd apud Assyrios, & eas, quę ab illis pro-
pagatae sunt, gentes, tot Ioves ac Saturni nati
sunt: hinc illa frugum inventrix Ceres, cū filio
Triptolemo exorta est: hinc Janus ille biceps,
vitisque repertor Iacchus: hinc tot Sylvani,
tot Fauni, tot agrestia numina, Panes: tot Dry-
ades, tot Naiades extiterunt; de quibus omni-
bus si

bus si hoc loco prolixè dicere instituā, dies me
 citiūs, quām res & verba deficient. Etsi autem
 honorem istum superstitioni, & veritatis cœle-
 stis ignari homines suis Dijs perperam tribue-
 runt: tum quia illud ipsum grati cuiusdā erga
 Deum animi argumētum esse volebant: exem-
 plum hoc vetustatis, Deo omnia accepta refe-
 rētis, nemini displicere potest. Sed accedit huc
 etiam illud, quòd agriculturam ab omni sordi-
 um atque immūditiei suspicione, vel solum li-
 berat: quòd nimirum viri fortissimi, ac reges
 sapientissimi, qvoties à bello & Reip. negotijs
 vacabant, propemodū omne tempus reliquū,
 in agrorum, hortorumque & vinearum cultu-
 ra, tanquam in liberalissima, & libero hominē
 dignissima consumserunt. Fuit enim ista ve-
 terum Heroum agricolatio, primi illius ἔvi, de
 quo suprà diximus, quasi quoddam vestigi-
 um, & veluti particula. Hinc est, quòd Her-
 culem memorāt, cùm Dryopiam peragraret,
 in regem Thiodamantem incidisse, eumque
 bobus terram colentē invenisse. Hinc est, quòd
 Homerus poëta sapientiss Laërtē, lenientē
 desiderium, quod capiebat è filio, colentem a-
 grum, & eū stercorantem, facit. Hinc est, quòd
 ipse Vlysses apud eundem gloriatur, quòd ver-
 no tempore à solis exortu usque ad vesperam,
 etiā impastus atque ieiunus, falcem herbis im-
 mittere: boves robustissimos & optimos age-
 re atq: pascere; deniq; aratro sulcū longissimū
 possit

possit ducere. Quid de Alciñoo dicam, Rege
 Corcyrenium quem horti amænissimi, in in-
 sula sua cultorē fuisse ex eodē scriptore patet?
 Quid Hesperidum hortos in Libya, & pensiles
 Semiramidis hortos in Assyria referam: qui-
 bus nihil prius mirata est antiquitas? Quid pre-
 clarissimos memorabo Reges Hieronem, Phi-
 lemetorem, Attalum, Archelaum, & duces for-
 tissimos Xenophontem, Magonemque Pœ-
 num: qui non modò agros hortosque ipsimet
 coluerunt, sed rationem quoque & modum
 culturæ, alijs commonstrarunt Atque ut intel-
 ligatis, Auditores, sapientissimis regibus nihil
 tam regale fuisse, quam studium agri colendi:
 quæso vos Cyrum minorem è Xenophonte
 vobis proponite: regem Persarum ingenij glo-
 ria atque imperij amplitudine præstantissimū.
 Nam ad eum cùm Sardes venisset Lysander La-
 cedæmonius, vir summæ virtutis: eiique dona
 à socijs attulisset: Rex & cæteris in rebus co-
 mem se erga Lysandrum atque humanum præ-
 buit: & ei quendā conceptum agrum, diligen-
 ter consitum ostendit. Cùm autem admira-
 retur Lysander & proceritates arborum, & di-
 rectos in quincuncem ordines, & humum sub-
 actam, atque puram: & suavitatem odorum,
 qui afflarentur è floribus, tum cum dixisse fe-
 runt: mirari se non modò diligentiam, sed et-
 iam solertiam eius, à quo essent illa dimensa
 atque descripta: & Cyrum respondisse: Atque

ego

ego ista sum omnia dimēsus, mei sunt ordines,
 mea descriptio: multæ etiam istarum arborum
 mea manu sunt satæ , Tum Lysandrum aiunt
 intuentem eius purpuram, & nitorem corpo-
 ris, ornatumq; Persicum multo auro, multisq;
 gemmis, dixisse: Rectè verò te, Cyre, beatum
 ferunt: quoniam virtuti tuæ fortuna coniun-
 cta est. Memorabile exemplum est rusticæ dili-
 gentiæ atque industriæ, in regia magnificen-
 tia, quod vel unicum, si nulla alia suppeterent,
 nos in amorem atque admirationem agricul-
 turæ rapere posset. Sed huic Cyro in hac lau-
 de non inferior est Pharaotes ille , Indorum
 rex potentissimus : qui Apollonio, de victu
 eius suscitanti? Ego inquit, palmarum fructi-
 bus aut oleribus pascor, aut quæ præbent mi-
 hi arbores: quas ego his manibus colo. Quid
 obsecro magnificentius terrę ipsi potuisset ac-
 cidere: quām vomere laureato & triumphali
 aratro proscindi? Quid ad rem familiarem &
 annonæ vilitatem potuisset inveniri melius:
 quām agros illorum manibus coli: qui cùm
 optimi essent: optimè etiam terram tractare
 possent? Nam verisimile est, Reges eadem cu-
 ra tractasse semina, qua bella: eademq; dili-
 gētia arva disposuisse, qua castra: honestis ma-
 nibus omnia provenisse lætiūs , quæ facta fuis-
 sent curiosius. Quid verò? quòd Romæ etiam
 tempus illud fuit: quo ex agris & villis Dicta-
 tores & senatores in urbem per viatores voca-
 rentur:

rentur? L. Quintio Cincinnato, qui à serendo
 cognomen Serrani accepit, in agro Vaticano
 quatuori iugera, quæ prata Quintia pòst appellata
 fuerūt, aranti & operi rustico intento, via-
 tor Dictaturam cum purpura, & consularibus
 insignibus attulit: & quidem, ut traditur, nu-
 do plenoque pulveris etiamnum ore. Atqui
 hic ille Quintius est, qui obsessi consulis, & ex-
 ercitus liberator fuit: cuius etiam iussu magi-
 ster equitum C. Servilius Hala. Sp. Melium re-
 gnum appetentem & occupare volentem, in-
 teremit. Verùm idem ille Quintius, postea de-
 positis rursum fascibus, quos festinantis vi-
 etor reddiderat, quām sumserat imperator, ad
 iuvencos suos, & quatuor iugerū avitum præ-
 diolum revertit. Et quanquā multa erant, quæ
 in hoc viro præclarā laudem merebantur:
 tum hoc fuit præcipuum: quòd dictator à le-
 gatis S. P. Q. R. salutatus: cùm se paululum te-
 nuisse: mox pauca hæc subiecisse fertur: Er-
 go, inquit, agellus non seritur à me hoc anno:
 vereor ne annuus vixus nobis defuturus sit.
 Quintio non dissimiles fuerunt, C. Fabriti-
 us & M. Cutius: quorum ille Pyrrho ex Italia
 pulso, hic Samnitibus, Sabinisque bello do-
 mitis, captivi agri septena iugera, quæ viritim
 dividebātur, non minùs ambo industrie colue-
 runt, quām fortiter armis quæsiverunt. Quid
 Fabios dicam?, quid Pisones? quid Lentulos?
 quid Cicerones? quibus familiæ cognomenta
 à legu-

à leguminibus sunt indita: pro ut quisque alii
 quid optimè sereret? Eant nunc spissigradi &
 purpurati quidam cives, magnarum domuum
 viscera: eant isti patricij, qui solis avorum fu-
 mosis imaginibus nitūtur: aut gemmas opes-
 que ex peregrinis locis, & transmarinis regio-
 nibus advectas ostentant: eant, inquam, & ur-
 banas suas artes, & aucupia pecuniaria vete-
 rum rusticationibus anteferant. Eant merca-
 tores & nautæ, quique impia castra sequun-
 tur: eant, inquam, & hoc genus vitæ, quo opti-
 mus quisque maiorum nostrorum ætatem su-
 am oblectabat, sordidissimis & turpisimis su-
 is quæstibus posthabeant. Nisi fortè æquius
 hoc existimamus cepisse prædā ex militia, quæ
 nobis nihil sine sanguine & cladibus alienis af-
 fert. Barbarorum hæc vivendi fuit ratio, & ve-
 terum Germanorum, Scytharum, Getarum
 atque Thracum, & in Italia vetustissimorum
 Aboriginum: quæ gentes si rusticari, quæm
 ex rapto vivere maluissent: terram infœcun-
 dam & cœlo asperam haudquaquam po-
 steris suis reliquissent: frustra enim agro-
 rum sterilitatem, & cœli noxiæ frugibus
 intemperiem accusant: qui cura agrorum, in-
 firmissimo cuique ex familia & fœminis seni-
 busque delegata: ipsi somno, ciboq; dediti æ-
 tatem in ocio trâsigunt: frustra solum asperū,
 aut sylvis horridū, & paludibus fœdum queri-
 tantur: quibus ociosum esse pro honestissimo,
 agros

agros colere pro contemptissimo, è bello & rapto vivere pro pulcherrimo habetur? An verò bellum perosis, maris & negotiationis alea sit optabilior: utrupto naturæ fœdere, terrestre animal homo, ventorum & maris obiectus irè, se fluctibus audeat credere semperque ritu vocatum, longinqui littoris peregrinus, ignotum pererret orbē? Sed esto sanè studiū liberale, & res ingenua, tenere artes Imperatoris: exercere rem militare & nauticā. An non multo liberalius, multoq; honestius sit, eas tractare artes, quæ ad naturā ipsam, & veterū felicitatem accedunt propriū, quam quæ ab ijsdem distant remotius? Nam priùs homines arare, quam navigare, priùs ædificare villas, quam civitates condere, priùs panem cōfigere quam pecuniam procudere, priùs domum, quam Imperium administrare consueverunt. Longè igitur rustica, quam nautica ars melior est: longè agricultura p̄stat militiae: longè usura terre, quam pecunia honestiore est. Neq; enim nūmus eodem modo nūm parit: quo ager segete, arbor fructum, vitis uvā de se procreat. Naturę hęc congruit fœneratio: illa non tantum à natura, sed etiam à iustitia dissidet: nulli veterū probata: adeoque illis ipsis invisa, quibus succurrere videtur. Sed ne caninum quidē (sicut dixere veteres) studium præstantius, locupletissimum quenque, allatrandi &, contra innocentes, & pronocentibus, neglectum à maioribus nostris,

stris, à nobis etiam concessum intra mœnia, & in ipso foro latrocinium. Scio quæ hoc loco a. nimis vestris obrepant cogitationes. Etsi n. ve. ra esse intelligitis, quæ à me cōmemorata sunt: tamen nescio qua pravitate fiat, ut veris aut nō assentiamur, aut consensum nostrum re ipsa atque opera nunquam probemus. Nam ita vul- gò apud omnes comparatum est, quod hodiè Laudamus veteres, sed nostris utimur annis.

Igitur alijs vestrum vitez rusticane servitus, alijs laborum duritas, alijs operum vilitas, alijs aliud occurret: quod minus hoc vita genus his temporibus perinde, ut antiquioribus illis, ingenuū atque liberale esse credant. Non pauci existent, qui agriculturam pro liberali arte habendam nullo modo statuant. Sed horum ego cogitationibus dum pede oppono, quæ so vos auditores etiam atque etiam, ne in me audiendo vestrae operæ vos pœnitieat: quādo me meq; in docendo nondū pœnituisse intelligitis. Ac initio si quis est, qui ita cogitat, rusticum hominem abiectum atque servilem esse: propter eā quod omnem ætatem in agris degeat, potētiorum dominio atque arbitrio subiaceat, oēs cœli ac tempestatum iniuriās perferat: huic ego respondeo, non videri illum mihi verę libertatis, veręque servitutis rationes habere satis cognitas. Nam si illi pro servis aut servilib. ha. bendi sunt, qui aliorum parent imperijs, aut fortè etiā iniurijs: qui tandem erunt servilio-

res atq; humiliores, quam curiales, aulici fo-
 renses, oppidanī? Nisi tu liberi hominis esse
 putas, ad subitū tintinabuli pulsum, quasi ful-
 mine territum, proſilire: abiectis omnibus ad
 summi illius fores conſistere: ibique non tan-
 tū, quid ille iubeat, ſed & quid nutu ſigni-
 cet, aut digito crepet, religioſe ad anxietatem
 uſque, obſervare: nullum habere ſibi tempus,
 nullum locum proprium, omnia precariō: a-
 liena vivere quadra, ad omne principis occur-
 ſum pallere, erubescere, fugitare: non nunquā
 timere ac obſtupescere: tum multa ſimulare ac
 diſſimulare: toties genua inſlectere, tantisper
 nudo eſſe vertice: omnia ſerviliter, omnia ſup-
 pliciter agere, nunquam tui iuris eſſe, magnis
 diu laboribus, multis vigilijs favorem hominis
 captare: obſervare, ne quid dicas, quod ille p-
 baturus non ſit, nedum ne quid facias: perpe-
 tua cum paribus invidia conſlictari: laudem
 pariter ac vituperationem indigno loco po-
 nere: nihil dicere, quod ſentias, niſi quod con-
 veniat: plurima debere: plurima accepta re-
 ferre, aſſentari, adulari, iſum te negligere, o-
 mnia alterius curæ mancipata habere, indigna
 multa facere, multa pati, ſep̄e cōtra naturā cō-
 formare te alijs. Si hēc liberi ſunt hominis offi-
 cia: ſi viſi liberales cenſendi, qui iſta perpeti ac
 ſuſtinere poſlunt: malo ego cum agricolis ruri
 inſervire, quām cum iſtis libertatē colere. Di-
 cas aulicis liberaliores curiales & forenſes ho-
 mines.

m̄ines. At obsecro te , an tu pro lib̄eris eos habituras es, qui dies noctesque aliorum querimoniae audire , lacrymas spectare, lites cōponere, interrogantibus ad ravim usque responsa dare, ius dicere, subsellijs aut tribunali ad lastitudinem & nauseam usque insidere cogūtur? An liberiores sunt rusticis, in aperto campo habitantibus & villas suas tutantib. oppidani ci- ves, qui intra mœnia conclusi noctu, veluti pecudes in stabulis & septis detinentur : interdiu verò per claustra portarum & urbis custodias, tanquam captivi trāseunt, semperq; eos quos metuant, suis oculis obvios habent? Si hæc urbanæ libertatis bona sunt: horum

Semper ego optarim, pauperrimus esse bonorum.

Quid? quòd ipsi agricolæ suum qnoq; dominium obtinent, vel ut heri in servos & ancillas, vel ut pastores in iumenta & pecudes, vel ut patres familiâs in uxorem & liberos? Quib. illi rebus si rectè imperant, pro dominis atque regib. haberí possunt. Neq; est, quòd iniurias opponat quispiam, quas rusticis à potentiorib. & superbissimis aliquibus dominis accipiunt: Fortunæ ista sunt incommoda, quæ malorum culpa accidunt bonis. Nam agricolis nocere possunt mali : arti ipsi & manuum industriae nocere non possunt. Ut enim Abeli sanctimoniaz nihil obfuit Caini crudelitas : nihil Semi atque Iapheti humilitati ademit Nimrodi superbia ; nihil de Isacij probitate detraxit

Ismaëlis feritas : nihil Iacobi pietati derogavit
 Esavi immanitas : ita colonorum libertati, quæ
 in animis atque arte ipsa consistit, nihil detra-
 here possunt hominum, quibus parent, crude-
 lissima ac superbissima imperia. Sed neque il-
 lud est, ut molestiarum operumque duritas, te-
 commoveat, aut te imundities terræ, ac lutum
 pulveresque perterrefaciant : aut nimius ca-
 lor, nimirumve frigus atq: imbræ ab agricultu-
 ra, tanquam resordida te abstrahant. Nam ista
 prætendere aut accusare, mollis est animi & igna-
 vi, ac laborem subterfugientis : planeque ho-
 minis mendicare erubescens, & tamen fode-
 re non valentis. Si enim peccati poena est, pa-
 nem in sudore vultus querere : Si D E I præce-
 ptum est, labore manuum vitam sustentare : si
 Dei lex est, ut qui non laboret, idem non man-
 ducet : quæ obsecro hominum est perversitas?
 quæ improbitas, strenuorum & navorum agri-
 colarum industria frui ignavos? colonorum &
 negociosorum hominum laboribus pasci in-
 ertes atque ociosos? apum operibus insidiari
 fucos? An non hinc omnis nata est luxuria? an
 nō omnium vitiorum sentina hinc exorta est?
 quod posteri à maioribus suis degenerantes
 falce & aratro relictis, intra mœnia correpre-
 runt, & in circis potius ac theatris, quam in se-
 getibus & vinetis manus movere voluerunt?
 Itaque frumentum hodie locamus, qui nobis
 advehant; qui saturi fiamus ex transmarinis lo-
 cis,

cis, & vindemias condimus ex Insulis, nos interim ociosi attoniti que miramur gestus effeminatorum, quod à natura sexum viris dengatum, muliebri motu mentiantur, decipient que oculos spectantium: mox deinde, ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatē Laconicis excoquimus, & exucto sudore sitim quærimus, noctesque libidinibus & ebrietatis, dies ludo vel somno consumimus, ac nosmetipso ducimus fortunatos, quod nec Orientem Solem videmus, nec Occidentem. Itaque istam vitam socordem persequitur valedictio. Nam sic iuvenum corpora fluxa, & resoluta sunt: ut nihil mors mutatura videatur. Supereft, ut tertij illis respondeamus, qui agriculturā id negotium esse arbitrantur, quod nulla arte constet, nullius egeat magisterio preceptoris, nullum ingenij acumen requirat. Sed quam procul id à vero sit, faciam, ut omnes intelligatis. Nam quis in hac scientia perfectum volet profiteri, sit oportet rerum naturæ sagacissimus, declinationum mundi non ignarus, ut exploratum habeat, quid cuique plagæ conveniat, quid repugnet: syderum ortus & occasus memoria repetat, ne imbribus ventisque imminentibus opera inchoet, laboremque frustetur. Cœli & anni presentis mores intueatur, neque n. semper eundem, velut ex præscripto, habitum gerunt, nec omnibus annis eodem vultu venit æstas aut hyems: nec pluvium semper

est ver, aut humidus autumnus. Quæ prænoscerem
 re sine lumine animi, & sine exquisitiss. discipli-
 nis non quenquam posse crediderim. Iam ipsa
 tetræ varietas, & cuiusq; soli habitus, quid no-
 bis neget, quid promittat paucorū est discernere.
 Contemplatio verò cunctarum, in ea disci-
 plina, partium, quando cuiq; contingit, ut &
 segetum, arationūq; perciperet usum, & vari-
 as, dissimilimasq; terrarū species pernosceret,
 quarum nonnullæ colore, nonnullæ qualitate
 fallunt? Atque in alijs regionibus nigra terra,
 quam pullam vocant, ut in Campania, est lau-
 dabilis: in alijs pinguis rubrica melius respó-
 det: quibusdam (sicut in Africa Numidia) pu-
 tres arenæ fœcunditate vel robustiss. solū vin-
 cunt. In Asia, Mysiaque densa & glutinosa ter-
 ra maximè exuberat. Atque in his ipsis habeat
 cognitum, quid recuset collis, quid campestris
 positio, quid cultus, quid sylvester ager, quid
 humidus & graminosus, quid siccus & spurc⁹:
 rationem quoque dispiciat, & in arboribus vi-
 netisque (quorum infinita sunt genera) conse-
 rendis ac tuendis: & in pecoribus parandis
 conservandisque. Quoniam & hanc adscisci-
 mus, quasi agriculturæ partem, cum separata
 sit ab agricolatione pastoralis scientia. Nec ea
 tamen simplex, quippe aliud exigit equinum,
 atque aliud bubulum armentum, aliud pecus
 ovillum (& in eo ipso dissimilem rationem po-
 stulat Tarentinum, atque hirtum) aliud capri-
 num:

num : & id ipsum aliud curatur mutilum & rati-
 pilum, aliud cornutum & setosum, quale est
 in Cilicia. Porculatoris verò & subulci diversa
 professio , diversæ pastiones, nec eundem gla-
 bræ sues, densæque cœli statum , nec eandem
 educationem, cultumve quærunt. Et ut à pe-
 coribus recedam, quorum in parte avium co-
 hortalium & apum cura posita est, quis tanti
 studij fuit, ut super ista, quæ enumeravim⁹, tot
 nosset species insitionum, tot putationum, tot
 pomorum olerumq; cultus exercere ? quis tot
 generib. ficorū, sicut rosarijs curā impēderet ?
 cùm à plērisq; etiā maiora negligantur: quan-
 quam & ista iam non minima vectigalia multis
 esse cœperunt. Nā prata & salicta, genistæque
 & arundines, quamvis tenuem, nihilominus a-
 liquam desiderant industriam. Ex hac tā mul-
 tarum, tamque multiplicium rerum prædica-
 tione(quas Columellæ, autoris peritissimi, ver-
 bis malui recensere, quām meis) omnes vos in-
 telligere arbitror. agriculturam non modò ar-
 tem, sed artem liberalem atque ingenuam, li-
 beroque & ingenuo homine dignam esse. Nā
 operationes atque observationes suas, cū reli-
 quis liberaliorib. artibus, Astronomia, Geo-
 metria & Arithmetica communes habet: tum
 autē solertissimæ illius scientiæ : quæ atborū,
 stirpium, herbarum, olerū, frugum & pecorū
 naturas rimatur: quasi pars quedam est. Oeco-
 nomicam verò uti vocant, Philosophiam quæ

rei familiaris administrandæ, augendæq; ratio
 nes commonstrat, totam propemodū sui iuris
 fecit. Quare non est, quòd quisq; miretur, Ti-
 monem illum Lucianum, ligone se Philosopha-
 tum ire, dixisse. Illud potius admirari cum Co-
 lumella debetis, quid ita dicendi cupidiseli-
 gant Oratorem, cuius imitantur eloquentiā:
 mensurarum & numerorum modū rimantes,
 placidæ disciplinæ consequentur magistrū, vo-
 cīs & cantus modulatorē, nec minus corporis
 gesticulatorē scrupulosissimè requirāt saltatio-
 nis ac musicæ rationis studiosi, itemq; qui ædi-
 ficare velint, fabros & architectos advocēt, qui
 navigia mari concredere, gubernandi peritos:
 qui bella moliri, armorum & militiægnaros:
 &, ne singula persequar, ei studio, quod quis a-
 gere velit, consultissimum rectorē adhibeat:
 deniq; animi sibi quisq; formatorem, præce-
 ptoremq; virtutis è cœtu sapientum arcessat:
 solares rustica, q; sine dubitatione proxima, &
 quasi consanguinea sapientiæ est: tam discenti-
 bus egeat, quam magistris. Adhuc .n. scholas
 Rhetorum, & ut (Columellæ verbis utar) Geo-
 metrarum, Musicorumque, vel (quod magis
 mirandum est, contemtissimorum vitiorum
 officinas, gulosis condisciendi cibos, & luxuriō-
 sius fercula struendi: capitumque & capillo-
 rum conciñatores esse videtis. Agricolationis
 neque Doctores qui se profiteantur, neque
 discipulos novistis. Sed nihil vos ista segni-
 ties

ties turbet: nihil ista mentium humanarū & stu-
 diorum perversitas commoveat. Nam ita sunt
 hominum mores, ut quò quæque res præstan-
 tior, melior ac honestior est, eò plærunque
 sit despiciator. Sin verò adhuc obijciat mihi
 quispiam agriculturæ eam esse rationem, ut
 propter hanc rerum infinitatem, de qua dictū
 est modò, nullis præceptis comprehendī: ne-
 que ullis regulis definiri possit: huic nos ex an-
 tiquissimis Græcię scriptoribus Hesiodum, ex
 Latinis M. Catonem, Varronem, Plinium,
 Columellam, Palladium, & cum primis Virgi-
 lij nostri Georgica opponemus. Nam hi o-
 mnes longo rerum usū edocti, singulari qua-
 dam ingenij solertia, & multarum ac maxima-
 rum artiū doctrina, qd in agricolatione, quo-
 vis loco & tempore fieri, aut non fieri, conve-
 niat, eruditissimis libris, à se conscriptis, nos
 docuerunt: & artis suæ monumenta, ad sem-
 piternam posteritatis memoriam literis trans-
 miserunt. Quare cùm nihil superesse videatis,
 quod agriculturam ex honestissimarum atq;
 optimarum rerum, artiumq; liberalissima-
 rum numero possit excludere: meritò vos om-
 nes in amorem & admirationem illius rapi de-
 cebit. Si enim primævī homines in illo beatissi-
 mo seculo, hanc artem à Deo acceperunt: si
 antiquissimi Heroes illam exercuerunt, suam-
 que progeniem perdocuerūt: si summi Reges
 atque Imperatores terrā suis manibus ipsimet

coluerunt: si Romani senatores atque Dictato-
 res è rure, & villis in senatum accersiti fuerūt:
 si deniq: ars ipsa, ut omniū prima & antiquissi-
 ma, ita liberalissima, liberoq; homine dignis-
 sima est: omni certè studio atq; amore hoc vitę
 genus psequi, colere, amplecti q; debem⁹. Idq;
 tātō magis, quātō alia multō his graviora sunt:
 quę nobis huius artis pstantiā, vel sola demon-
 strare potuerunt. Si n. res quęlibet eò melior
 ac laudabilior est, quò fese extendit latiūs: &
 quò plures in vita comuni fructus pfert: quid
 quæso in vniuersa rerū natura, ex omnibus ho-
 minū studijs atq; actionibus, ad vitā sustentan-
 dam utilius, magisq; necessariū est, q; agricultu-
 ra, & hæc rusticationū exercitia? Nam quo té-
 pore homines neque arcēs, neque urbes cōde-
 re, neque mare traijcere navibus, neque mer-
 caturam exercere, neque causas in foro agere,
 neq; acu vestes pingere didicerāt: frumentis ta-
 men & leguminibus, varijsq; oleribus arborū-
 que fructibus producēdis colligendisque ope-
 ram dabāt. His enim rebus ad vitę alimoniam
 sibi omnino opus esse animadvertebāt. Itaque
 sine ludicris artibus, atque etiā sine causidicis
 olim satis felices fuēre, futurā que sunt urbes.
 At sine agri cultoribus nec cōsistere mortales,
 nec ali posse manifestum est. Vnde enim mi-
 seris hominibus cibaria & res ad victum cul-
 tumque corporis necessariæ suppetūt, nisi ex
 agricultura? Vnde triticū, quo solo hominum
 natura

natura alitur, colligi potest, nisi ex agricultura? unde tritici deliciae siligo ad nos homines
redit, nisi ex agricultura? Vnde antiquissimum
in cibis hordeum: nisi ex agricultura? unde salu-
taris illa pannisana, cuius laudibus integrum volu-
men dicavit Hippocrates: nisi ex agricultura?
Vnde ervum, cicera, lens, pisum? unde oryza &
Pythagoricis exosa faba? unde omnis generis
oleraria? unde hominum & equorum pabula, a-
vena & alica, nisi ex agricultura? Ac ne in eo-
dem luto semper harrere velle, & humum uni-
versam perreptaturi videamus: unde obsecro
tot amoenissimorum arborum fructus, quibus ve-
scimur? unde tot poma, tot pruna, tot cerasa,
tot ficus, mespili, nuces, castaneae, & quae penè
innumerabilia sunt, tot generum pyra & poma:
quibus ad corporis nutrimentum utimur ac
fruimur? An non ruris hortorumque diligens
cultus ista omnia nobis suppeditat? qd? quod
ex agricultura, & pastoritijs artibus optima
quaesque codimenta accedunt, ne homines ea,
quaes recesimus, fercula incondita comedant?
Nam ut de lacte, cuius infinitus est usus, nihil di-
cam: nihil de melle, nihil de oleo: nihil de ca-
seo, ferculo omnium postremo: quid quae so-
vel butyro, vel adipe, vel larido ad codiendos
cibos accommodatius aut melius est? Et quis
quaes hominum tam horrido, tamq; insipido pala-
to sit, ut pane, aut leguminibus, aut oleribus,
sola aqua coctis, nec ullo butyro, ullavè adj-
pe inun-

pe inunctis, citra nauseam vesci possit? Multa sunt, quæ in hanc sententiam proferre possem: nisi de re tam manifesta supervacaneum esset dicere? Itaque ad carnes venio: quod omnium esculentorū, quibus fruimur ad famē pellendam præstantissimum videtur. Nam haec & maximè nutrire, cōmuni Medicorum sententia, censentur: & nullum prope modum hodie conviviū est, quod sine carniū apparatu, laudē invenire possit: neque homines nostri famē se repulisse arbitrantur: nisi elixis assatisque carnibus sese totos oppleverint. Sed obsecrò, unde nā carnium sive cicuratarum, sive ferinarū copiam melius cōparare possumus, quam ex rure, & vita villatica? Nam illīc sunt ferarum Iustra: illīc ovium caulkæ: illīc septa boum: illīc stabula pecudum: illīc vivaria altilium: illīc caueæ volucrum cohortalium. Quapropter ex rure & villa sunt carnes ovillæ, caprinæ, suillæ, vitulinæ, bubulæ: ex rure & villa, pulli, gallinæ, ova, anseres, columbæ. Ac tametsi carnium esus contra naturam est: & aliquid in se feritatis atque immanitatis habet: tamen homini hanc potestatem in belluas conditor D E V S, non sine certo consilio, nec absque ratione concessit. Nam vetustissimi illis temporibus, quibus Nohas, cum sua familia post Cataclysmum è navi constrata egressus est: terra omnis fluminum inusitatis eluvijs vastata erat: multa obeneas pecudes informia cœno alto:

alto: saltibus infrugiferis & sylvis omnia in-
cultæ. Imò ad producendos mitiores fructus,
ad artem culturæ nullum ferè instrumentum
suppetebat nulla sapientiæ machina: neq; famæ
moram patiebatur, neq; anniversariū tempus
semens facta expectabat. Quamobrem D E V S
humano generi novam viætus rationem attri-
buit: ut nobis pecudes, tam feras quam cicu-
res iugulare, & carnibus illarum vesci nunc li-
ceat. Dixi paucissima de esculentis, quæ nobis
vita rusticana suppeditat, & quibus nos in vita
humana carere non possumus. Nunc ut de po-
culentis etiam aliquid dicam, tempus est. Nam
illorum nō minùs indigent ad sui sustentatio-
nem homines, quam esculentis? Sed quis ea
uspiam provenire melius credat, quam in ru-
re & agris, cultisq; vineis? Nā ut de aqua (cui
primum inter Elementa locum facit Pindarus)
prius, quam de vino dicam: quis est qui fonta-
nam non credit salubriorem fluviali? elemen-
tarem, pluvia? levem, ponderosa? quis non ex
ipsis fontibus bibat lubetius ac gratius, quam
e fontium cisternis & aquarum lacunis? Quid
verò? an

Purior in vicis aqua tendit rupi pere plumbum:

Quam, quæ per primum trepidat cū murmure rivum?

Dicat fortasse quispiam, aquæ usum in
potu esse noxiū: propterea, quod ventricu-
lum refrigerat, & robur illius caloremque dis-
sipat: concoctionem & digestionem impedit:
crudita-

eruditates, flatusque generat? omnem cibi appetitiam deiicit. Esto. At ego in elixandris cibis, suprà recensitis in parandis decoctis, in coquenda cerevisia, in attemperando diluendo que vino, nō tantum utilem aquam sed etiam necessariā esse iudico. Nam aqua testante Plutarcho, & vino si misceatur, prodest: & quæ pura inter diluti usum bibitur, ipsum dilitum reddit minus noxium. Ideoque ab eodem iubemur in vietū quotidiano cōfuscare: ut duo vel tria pocula aquæ bibamus: quæ & vini usum emollient & aquæ potum corpori familiarem reddant: ne cum ea opus sit, insolentia rei offendamur. Supērest vinum, ruris donum a decus amabile: de quo satius est tacere, quam pauca dicere: ut ille de Carthagine sua aiebat. Nam vino, ut recte affirmat Plinius, neque viribus corporis utilius aliud, neque aliud voluptatibus perniciosius, si modus absit. Vino moderatè sumto, corpus alitur: vino calor insitus foveatur, vino adiuvatur concoctio: vino restituuntur animales spiritus: vino ipsum hominis ingenium acuitur. Quid? quod

Vina parant animos, faciuntq; coloribus aptos?

Cura fugit multo diluiturq; mero.

Ille liquor docuit voces inflectere cantu:

Movit & ad certos nescia membra modos.

Bacchus & agricolæ magno confecta labore

Pectora, tristitia dissoluenda dedit.

Bacchus

Bacchus & afflictis requiem mortalibus afferit:

Cura licet dura compede pulsā sonent.

Quid multis? iste liquor terræ sanguis est,
cicutē venenum est, lac senectutis est, omnium
perturbationum animi remedium est. At un-
de tandem hoc vitæ humanæ commodum, at-
que præsidū? unde passa, undē mulsa, unde de
fruta, nisi ē vitium cultura, & hominum rusti-
cationibus? Intelligitis, ni fallor, auditores,
quantus se mihi ad dicendū campus aperiat: si
omnia ruris cōmoda, quibus vita nostra indi-
get, nō amplificare verbis, sed tantū enumera-
re ac percensere institutam. Atque ut maxi-
mè non omnia, quæ diximus. omnibus ad vi-
tæ usum sint necessaria: & natura, quæ paucis
contenta esse solet, multis rebus carere pos-
sit: una tamē res est, quam agricultura sola no-
bis præstat: sine qua nulla vitæ humanæ pars
consistere, nemo omnium vivere potest. Quæ-
nam illa? dicam apertè, & dicam paucissimis.
alimentum est, quod sumi atque imi homines,
à Deo, patre cœlesti, quotidianis precibus o-
rare ac petere cogūtur: nutrimentum est, quo
veterum quorundam ientacula & prandia, cū
solo vino constitisse Celsus, Latinorum me-
diorum autor Latinissimus affirmat: genus
cibi est, quo Antoninus Pius, iam senex &
silicernum, manè, antequam salutatores veni-
rent, robur virium solo & quidē sicco sustenta-
vit: denique, ut uno verbo exprimam, panis est

quo

quo indies fruimur, alimur, vegetamur. Nam
 huic alimento tantæ sunt vires: ut Demetrius
 Cydonius, autore Athenæo, solo panis, ex fur-
 no recentis, odore, multorum dierum famem
 facilimè toleraverit: & Democritus, teste La-
 èrtio, iam moriturus odore panū calidorum,
 quos admovebat naribus, vitam similiter ultra
 triduum prorogaverit. Quid multis? hoc ali-
 mentum panis tam præsens est: ut multis ex-
 tremam inediam & animi deliquium perpe-
 sis, solus panis, vino madefactus, opem tulerit,
 & amissas vires celerrimè restituerit. Quod ne
 cui dictu absurdum videatur, exemplo decla-
 rare aggrediar. M. Brutus Romanus Consul,
 cùm à Dyrrhachio, quod obsederat, ad Apol-
 loniam in magna nivis copia proficisceretur,
 atque in itinere exanimis in lipothymiam, ut
 vocant, propter inediam incidisset: ministris,
 qui commeatum deferebant, cunctantibus:
 satellites ad murorum custodes accelerare, &
 ab hostibus panem petere sunt coacti. Ibi Bru-
 tus Imperator derepentè, veluti Democritus,
 quem diximus, solo odore panis refocillatus
 est: tandemque viator urbe potitus, clementer
 captivos tractavit. An nondum intelligitis,
 quantum agriculturæ, ob solum panis usum
 fructumque debeamus. Sed agè, appone tibi
 prandium ferculis exquisitissimis construetū:
 appone saliares epulas, & cœnam, quod dici-
 tur, planè dubiam; quid, quæso, ex omnibus
 lautitijs,

lautijs, quamlibet opiparis gratum erit: si
 panis nullus accesserit. Audio Germanicum
 Cæsarem fuisse, qui cùm equites suos in aper-
 ta planicie, inter equitandum, de trita semita
 recessisse, & fataliter a boumque labores petu-
 lantijs, equorum ungulis protrivisse conspe-
 xisset, in lautissimo prandio, quod postea ad-
 ornari iusserat, solo pane eos privarit, & plæ-
 risque obimur murantibus, non modò facti p-
 terviam exprobraverit, sed panis quoq; & o-
 perum rusticorum multiplicia commoda, lu-
 culenter monstrârit. Nō dissimile est, quod
 de Friderico Palatino fertur: cui fortunati &
 prosperi in bello successus, cognomentum Vi-
 ctorijs pepererunt. Nam tribus ab eo princi-
 pibus fortissimè devictis, & uno die captis in
 p̄ima cœna, alioqui exquisitè apparata, pa-
 nem denegavit: & reprehensus, quod victo-
 ria immoderatijs uti, & fortuna oppressis in-
 sultare videretur: respondit, non servasse ho-
 stes iura belli, nec ijs rebus pepercisse, quas
 bellorum leges violare prohiberent: ut qui et-
 iam segetes, vel temerè conculcatas corru-
 piscent, vel incensas extinguiscent, & molas pas-
 sim igni subvertissent. Ac proinde meritò pa-
 nē illis subtrahi, qui nec materiam panum,
 neq; his p̄parandis conficiendisque idonea
 instrumenta sarta tecta reliquissent. Voluerūt
 sapientissimi Reges ac Principes hoc modo
 Cyclopicam quorundam barbariē refrenare,

& ministros suos docere, quantum honoris agricolarum laboribus habere deceat. Nam ex ijs, quæ haetenus commemorata probataque sunt, intellectis omnes, hæc rusticana exercitia, & has operas agrestes, omnibus vite humanae generibus non prodesse tantum, sed etiam necessarias esse: ita, ut nemo sit mortalium, qui ope ac subsidio agriculturæ vacare possit. Hæc disciplina est, quæ cæteris hominibus victum suppeditat: hæc una est, quæ reliquarum artium, quotcunque sunt, auxilio citius carebit, sola: quam huius solius cæteræ omnes. Sine hac nihil possunt magistratus & principes, nihil iurisconsulti, nihil medici, nihil literarum cultores, nihil opifices, nihil urbani atque ociosi homines. Nam hisce omnibus una agricultura subservit, eaque præbet, quæ ad communem victum cultumq; corporis ex necessitate requiruntur. Quare meritò una ipsa, præ alijs omnibus artibus in precio esse debet: cum una plus emolumenti, quam aliae ad vitam communem, & hanc societatem generis humani conferat.

Sed novi ego tacitas quorundam hominum, qui hæc audient, cogitationes. Nam partem harum laudum sibi attribuent homines quidam aulici, partem causidici, partem medici, partem oppidanri artifices. Dicent n. aulici: nisi agricolæ, manu eorum armata, tanquam Palladis Aegide, aduersus hostes defendantur;

dantur : fore, ut omnes labores, quos illi pacis temporibus exantlarint, bello deinde rursum concidant. Sed hi dum sibi responsum esse existiment : cùm infrà audierint rusticam iuventutem, & agricultorū armis tractandis aptiorem esse, & in hostib[us] profligandis plus valere, quàm oppidanos & aulicos : aut certè hos sine illis in defendenda patria nihil omnino posse.

Dicent deinde Causidici, agricultorū sine legum præsidio, & pœnis furum ac nebulonū, sua retinere non posse : neque ullos exercere contractus, nisi ex causidicorum præscripto, iustitia & æquitas in illis conservetur. Sed illi, tum demum responsum sibi iudicent: cùm audiérint, veteres agricultorū & iustiores & multò æquiores fuisse : quàm hodierni sunt causidici, pecuniarum accipitres. Dicent fortasse & medici, rusticos sine regimine sanitatis, ruri non posse operam dare: neque è malis convalescere, nisi medicorum accedat curatio, & diligens restitutio. Verùm & illi suam habituri sunt satisfactionem: ubi ostensum fuerit, agrestes homines non ipsis tantum medicis, sed cæteris omnibus hominibus, optima valetudine, & corporis viribus longè superiores esse. Sed occurret etiam ingens mihi agmen fabrorum, coriariorum, sutorum, textorum, tintororum, sartorum, laniorum, fartorum & cupediariorum, similisq[ue] farinæ hominum: qui suis fer-

ramentis, malleis, cultris, subulis, radijs, ahenis, fōpicibus, securibus, lebetibus ac verub. agricultarum laudes pertundere, discindere, perforare, irretire, denigrare, comminuere, exutere torrere ac planè annihilare conabuntur. Occurrent item moltores & pistores, qui hanc rusticorum gloriam pollinibus ac furfribus obscurare audebunt, & quod in agricultatione præcipuum esse diximus, id omnetanquam suum, nescio quo iure, sibi vendicabunt. Nam alij sic dicent: quomodo agricultæ sine textoria, cotiaria, sutoria & sartoria uestes acquirant, qnibus se adversus hyemem & cœli iniurias possint defendere? Alij sic: quomodo, inquiet, sine ferramentis & opera fabrorum agros colent, terram vertent, vites putabant, arbores stringent? Alij: quomodo absq; molitore molent: absque pistore panes conficiant? absq; lanijs & coquis carnes ad victimum præparabunt? Qnibus sanè omnibus, quid ego respondendum esse censeam: quæfo attenedite. Nisi enim sermonibus vulgi & clamorib. imperitæ multitudinis obviam eatur: credi à vobis non potest: quām stulti homines optimo cuiq; obstrependo sibimetipsis placeant. Primo igitur sciendum est: hosce quos produximus opifices, si cum agricultolis & rusticationū ipsarum laudibus conferantur: non omnes esse unius modi. Quidam n. cū agricultura quādam societatē, ac veluti cognationem habent: ut est

ut est molitoria, ut pistoria, ut laniatoria, ut culinaria. Nam istarū artium hæc est ratio: ut ab uno eodemq; homine sine ulla difficultate exerceri possint. Itaq; olim ijdem molebant, pinsabant, panes conficiebant, qui frumenta conserebant: ijdem pecudes mactabant, qui eas pascabant, alebant, farciebāt: ijdē carnes coquebant, elixabant, assabāt, qui iugulabāt. Ac ,pinodiernis etiam temporibus singuli propemo dum agricole suos habent furnos, sua macella, sua penora, suas coquinas. At oppidani & qui intramœnia à ruris laboribus secesserunt: & se ad ocium quoddam urbanum contulerunt: ij suos sibi mercede cōduxerūt panifices, lanios, coquos, fartores, piscatores. Quidam verò artifices ab agricultura distant longius: ut textores, ut sartores, ut coriarij, ut sutores: tātumq; abest, ut illi se in harum laudum, quæ agricultorum sunt propriæ societatē ullā possint offerre: ut ne quidē operas suas sine rusticana & pastoritia vita exercere, nedum agri cultorib ceterisq; mortalib. labores atq; opera ipsa cōmuniceare valeant. Nā ut de illis rebus, quæ ad cōmunem omnium victū pertinēnt: quęq; ex solo agrorum vinearumq; cultu ad nos redeunt, nihil iam dicam: quæ tandem ars est, aut quod vitæ civilis studium: quod ad suas actiones exercendas agricultura carere possit? Age enim, nulla sint frumenta ex agris, quis quæ solo locus erit molitoribus & pistoribus in urbe? nulla se-

ratur cannabis, nullum linum : quis locus relin-
quetur textoribus ? nullæ educentur oves, nec
ulla sint vellera : quem locū inter homines ha-
bituri sunt lanifici, tintores, sartores ? nullę ex-
rure intra mœnia ducantur pecudes, nullę vo-
lucres, quid acturos esse putatis lanios ? quid
coriarios ? quid futores ? quid coquos ? quid
cupediarios ? Quid ? quòd ne quidē equestris
illa scientia, quantumvis sese efferat, sine agri-
cultura potest subsistere ? Nam ubi nulla ser-
tur avena, nulli pecudum sunt pastus, nullę pel-
les, è quibus parentur ephippia : quid reliquū
erit equis ? quid nostris equitibus ? aut unde
tandem in bello equitatum cōparabimus ? Sa-
tis puto & his & alijs opificibus responsum So-
li restant fabri ferrarij, qui cū malleis & forci-
pibus suis adhuc nobis obstrepunt : genus ho-
minum valdè importunum, & quod ex omnib.
opificibꝫ solum propè Deorum immortalium
satu se editum esse affirmat : ac nescio quem
Vulcanum claudicantem artis suę repertorem
iactitat. Hi cùm agricolis laudem suam præri-
pere conentur : propterea, quòd omnis gene-
ris instrumenta, ad rusticationem necessaria,
illis fabricant : cohercendi aliquantulum, & in-
tra officij sui limites revocandi erunt. Neq; n.
agricultura initiò ferramentis tantoperè indi-
gebat : ut sine ijs terra exerceri & colli non pos-
sit. Quis enim Caino sua fabricavit instru-
menta, suosque ligones & vomeres, cùm ter-
ran;

ram ille prius verteret, quam fodinæ & offici-
 næ ferrariæ à posteris ipsius inventæ essent? Et
 ut maximè commodior sit, facilitorque rusti-
 catio, quæ ferramentis præficitur, quam quæ
 sine illis suscipitur: tamen ferrarij opifices,
 agricolarum laudes sibi propterea vendicare
 haudquaquam debent: cum ad vitæ sustenta-
 tionem & artis ipsius exercitationem longè
 plura à rusticis accipiunt ferrarij, quam à fer-
 rarijs rusticī. Scio, auditores, longè minora at-
 que inferiora hæc esse, quæ à me dicuntur,
 quam vel res ipsa, vel expectatio vestra à me
 postulat. Sed tamen hæc ipsa, quæ dixi: talia
 sunt: ut ex ijs intelligatis, quanta sit agricultu-
 ræ utilitas: cum in omnibus vitæ humanæ
 partibus tanta illius sit necessitas. Quod igi-
 tur proximum nunc est, ea persequemur de-
 ineps commoda atq; emolumenta, quæ suis
 potissimum cultoribus, vita rusticana exhibe-
 re solet. In qua orationis parte dum paucis, nec
 longè immoror: quæ so vos auditores, ut de ve-
 stra in me audiendo benevolentia & æquani-
 mitate, quæ usi estis hæc tenus, nihil remittatis.
 Nam ea est artis huius amplitudo, ut nemo
 eam verbis consequi, nemo sufficienti oratio-
 ne comprehendere possit. Itaque ex innume-
 ris vitæ rusticæ utilitatibus, eas tantum reci-
 tabo, quæ præcipuæ sunt: & maximū in omni
 vita pondus habent. Quis enim tam brevi cir-
 cumscrip̄tus téporis spacio, tamq; angustis in-

clusus cancellis, omnia quæ agricultura suis
 colonis & professorib. affert emolumenta, ver-
 bis possit consequi. Est certè optimarū in hac
 vita rerum numerus tantus, tantaq; copia : ut
 quid primo aut postremo loco dicendum sit?
 ego nesciam. si n. valetudinem & corporaru-
 ricularum aspicias : nullum genus hominū il-
 lis videbitur hac laude antecedere. Sin opes at-
 que divitias intueare, quæ illorum quodāmo-
 do propriæ sunt: nihil agricolis uspiam appa-
 rebit fortunatius. Sin verò temperantiam, iu-
 stitiam, liberalitatem, modestiā, candorē ac si-
 miles eorundē virtutes cōsideres: nescio an ul-
 la societatis humanæ pars, agri cultorib. & vil-
 licis iure hīc anteponi possit. Nā ut de sanitate
 ac robore viriū prius dicā, q; de alijs vitæ huma-
 næ commodis: quis est à consuetudine homi-
 num tam remotus , qui non longo rerum usu
 compertum exploratumq; habeat : agri & vi-
 nearum cultores, cæteris hominibus sanitate
 & valetudine cōmoda plurimū antecellere?
 Docet hoc color agrestium hominum nativ⁹:
 docet robur corporis Herculeum: docet mor-
 borum expersætas: docet senect⁹ longissima.
 Sunt enim pagani & villatici homines, plerun-
 que optima constituti per omnē ætatē valetu-
 dine: nec aliud genus est vitæ: quod longiores
 à Deo acquirat senectutis terminos. Nā M. Va-
 lerium Corvinū accepimus, cùm ad centesimū
 annū vitam produxisset: & iam exacta esset
 ætate:

ætate: agros tamen adhuc coluisse. Alius rei huius causam salubritati aëris, quæ in agris est, adscribat. Nam aëris illic temperatissimus est: & villæ rusticorum omnibus ventis sunt perflabiles. Vnde Horatius:

*Vivere naturæ si convenienter oportet:
Ponendæq[ue] domo quarenda est area primùm;
Novistine locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hyemes, ubi mollior aura
Leniat aut rabiem canis, aut momenta leonis,
Cùm semel accepit solem furibundus acutum?*

Alius sanitatis huius causam ad rationē victus referat. Sunt enim rustici, ut postea dicemus, in victu admodum frugales: & plerunque illis tantum cibis vescuntur, qui ad tuendam valetudinem sunt aptissimi. Evidem vietus rationem & salubritatem aëris, plurimum momenti ad sanitatē afferre, non invitus concedo. Neque hoc inficiar, ferè morbosiores esse illos, qui intra muros & saxa parietesque lapideos conclusi, salutari ista aura privantur: quam qui in aperto campo vitam, sub dio degunt. Nihilominus tamen potissimam huius valetudinis & roboris causam, ego in ipsis exercitijs & rusticationibus præcipue positā esse existimo. Nam

*Cernis ut ignavum corrumpant ocia corpus
Vt capiant vitium, ni moveantur, aquæ.*

Videre hoc est in desidiosis atque inertibus hominibus: qui, quod ferè domi æstatu-

iam suam, in delicijs transigunt: vigorem suum paulatim magis magisque amittunt. Qui vero laboribus exercent corpora, hi calorem ventriculi excitat, & cibi appetentiam sibi conciliant: eumque maiori cum oblectamento & emolumento capiunt, & digerunt: quam qui ignavo semper torpent ocio. Itaque delicatuli cibos aut non magnoperè appetunt, aut ingestos male concoquunt: & multas in ventriculo cruditates contrahunt. Vnde perpetua illis macies, ora pallida, genæ exangues, artus graciles, membra exucca, corpora debilia. Docent utrumque virgines rusticæ, quæ laboribus & ruris operibus deditæ sunt, & nostræ puellæ, quæ in oppido vitam sellulariam atque umbratilem degunt. Nam rusticæ puellæ semper valent, semper nitent. At nostræ semper ægrotant, semper pallent, semper tergi, semper lavari, semper ornari, semper pingi, ac fingi volunt. Vbi enim sunt ciniflones? ubi locum habent unguentarij, phrygiones, mybrecharij? utrum in rure, an vero in urbe? ubi mulieres cerussatæ? ubi madentes cincinnorum fimbriæ? ubi calamistrati crines? ubi unguëtis delibuti capilli? utrum in rure an in urbe? Sed ad viros redeo: qui in rure vitam exigunt, & labore manuum, victum sibi atque aliis queritant. Annon vides illorū corpora, solida quadam ossium cōpage, solidoque; nervorū robore constare? annon idcirco Vegetius, rei milita-

militaris scriptor elegatissimus, aptiorem armis esse rusticā plebē urbana dicit: ut quæ subdio & in labore nutritur, Solis patiens, umbræ negligens, balnearū nescia, delitarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris. Cui aestum aut frigus, & quamcunque cœli intemperiem perpeti, gestare ferrū, fossam ducere, onus ferre consuetudo de rure est. Igitur ex agricolis, ut Cato ait, & viri fortissimi, & milites strenuiss. gignuntur. Neque sine causa maiores nostri, ut supra quoque meminimus, ex urbe in agros redigebant cives suos: quod & in pace à rusticis Romanis alebantur: & in bello ab his tuebantur: sicuti Varro testatur. Et, ut Columellæ verbis utar, vera illa Romuli proles assiduis venatibus, nec minus agrestibus operibus exercitata, firmissimis prævaluit corporibus: ac militiam belli, cum res postulavit facile sustinuit: durata pacis laboribus, semperque rusticam plebem præposuit urbana. Ut enim qui in villis intra consepta morarentur, quam qui foris terrā molirentur, ignaviores habitos: sic eos, qui sub umbra civitatis intra mœnia desides cunctarentur, quā, qui rura colerēt, administrarentq; opera colonorū, segniores visos. Existent fortasse hoc loco, qui, nescio quam, militarē & regis sapientiam, rusticane simplicitati præferant: & artes Imperatorias robori agricolarum longè anteponant.

nant. At nos illis Cincinnatos, Fabricios opponemus. Etsi enim

Vis consilij expers mole ruit sua:

Et Agamemnon decem Nestoras, non Aiaces optat: & fortior est exercitus cervorum, duce leone, quam leonum, duce cervo: tamē robur illud militare, quod in agricolis est, non ideo extenuari debet: quasi omni orbatum sit consilio, omni prudentia militari destitutum. Nam qui ruris opera tanta possunt administrare prudentia, qui pecudes & iumenta tanto regere possunt consilio, qui totam naturam & mala ventura, hyemesque futuras possunt prospicere: quomodo non etiam eadem prudentia, in bello adversus hostem uti possent? An durissimas arbores & ramos pro suo possint arbitrio disponere: & molles hominum animos in aciem collocare non possint? Refert Aelianus in varia historia, quēdam Persam, cui nomen Misæ, regi Artaxerxi per Persidem equitantì, malum punicum prodigiosæ magnitudinis, in vanno obtulisse: Regemque eius magnitudinē admirātem interrogasse, è quoniam horto de promtum istud donū referret? Illo verò respondentē, è domo & agris suis: gavisum supra modum Regem, missisque Regijs muneribus virum ornasse: & mox hæc verba subiecisse: Per solem, iste homo tali cura & tanta diligentia, etiam civitatem meo quidē iudicio, è parva ampliorem possit redere.

dere. Et profectò si verum confiteri volumus,
 eas virtutes , quæ in bono Imperatore requi-
 runtur, citius in vita rustica, quā urbana & cu-
 riali reperiemus. Sunt enim agricolæ, ipso
 quodam naturæ & consuetudinis suæ ductu,
 ad pietatem, iustitiam, temperantiam, liberali-
 tatem, candoremque & reliquas virtutes mul-
 tò prouiores, quā cæteri mortales. Itaque vita
 rusticana ad primorū hominū felicitatē mihi
 quām proxime accedere videtur. Primò enim
 Deum religiosius colūt, & precibus ardentio-
 ribus invocant, qui quotidianis laboribus vi-
 etum sibi queritant, & cœli tempestates, gran-
 dinesque metuunt: quām illi, qui omnium re-
 rum cura rusticis delegata, in ocio degunt, &
 tanquam extra omnem teli iactum ipsi consti-
 tuti, securissimis animis in diem videntur. Nec
 sine causa, maiores nostri, eos, qui terram co-
 lerent, piam & utilem agere vitam credebant:
 atque eos solos reliquias esse è stirpe Satur-
 ni regis: ut Varto docet. Etenim si is cultus
 Deo gratissimus est: qui ex animo erga De-
 um grato, & acceptorum beneficiorum me-
 more proficiscitur: quomodo sacrificia vete-
 rum agricolarum illi non maximè placuisse
 credamus? Neque enim Deus calceos, aut ve-
 stes, aut domos aut vasa aurea atque argentea,
 aut ulla ullius opificij opera sibi immolari ius-
 sit: sed oves, sed agnos, sed pecudes, sed frugū
 primitias. Ex quo ipso intelligitis, quanta sit
 agricultura.

agriculturæ dignitas, cùm tanta ex ipsa ad immortalem Deum redeat voluptas. Quid de iustitia dicam: cuius hodiè sedem ac domicilium
 in urbibus fixerūt causidici & forenses quidā
 rabulæ? Ego certè hanc virtutē, si qua est inter
 ris, iamdudum ex urbibus & arcibus, ubi pes-
 simè tractata fuit hactenus, in agros recessisse:
 ac pristinum illic locum occupasse firmiter tua
 tuo. Neque frustra etiam poëtæ veteres, cùm
 Astræam terris excessisse dicunt, ætate ferrea
 omnium postremò agros eam deseruisse scri-
 psere. Vbi enim maior est iniquitas, quam in
 mercatura & negociationibus illorum homi-
 num, quise à ruris laboribus ad vitæ genus Da-
 nisticum contulerunt? ubi maior est crudeli-
 tas quam illis ipsis in locis, ubi ius ab inquis &
 indoctis iudicibus in absynthiū vertitur? ubi
 atrociores existunt iniuriæ, quam quib. in locis
 iura torquentur, extorquétur pecunia? At ve-
 rò in rusticana & villatica hac vitæ cōsuetudine
 homines sua quisque curantes, suisque operi-
 bus intéti, neque tot litibus inter se disceptat,
 quot urbani homines: neq; ad lites, si que exi-
 stant, rursus cōponendas, tot novas lites mo-
 vent, quot forēses illi: qui, ubi lites nō sunt ibi
 lites serūt. Quā autē severa disciplina usi sint ve-
 teres agricolæ, in puniendis sceleribus atq; fla-
 gitij, et si multis exemplis declarare possem:
 tamen hoc unū sufficere posse arbitror: quod
Aelianus, de quodam agri & horti cultore
 scriptum

scriptum reliquit. Habebat quidā Rhacoces,
 genere Mardus, septem filios: quorum mini-
 mus natu Cartomes nomine, magnos & sapi-
 entes multis damnis affligebat. Hunc pater
 primum instituere, erudire, & verbis reducere
 in viam tentabat. Verūm cùm ille non admit-
 teret disciplinam: & quodam tempore vicini
 iudices eò venirent, ubi sedes habebat adole-
 scens pater: ille cōprehensum filiū, & mani-
 bus in tergum revinctis, ad iudices abduxit. Ibi
 quæcunque unquā per audaciam deliquisset,
 cum accusatione commemoravit: & à iudici-
 bus postulavit, ut adolescentem ad mortem ra-
 perent. At illi animis consternati, suis senten-
 tijs eum condemnare noluerūt: sed utrumque
 ad regem Persarum, Artaxerxem adduxerunt.
 Mardo verò semper instantे, & eadem conten-
 dente, excipiens Rex ait: Potis ne es etiā ferre,
 ut filius in conspectu tuo vita privetur? qui re-
 spondit: maximè. Quoniam in horto etiam, cū
 nascentium lactucarū surculos amaros defrin-
 go & ampugo, tantū abest, ut dolorē ex eo ma-
 ter ipsorū lactuca cōcipiat: ut etiā magis efflo-
 rescat: item magnitudine & dulcedine plus au-
 geatur. Ad eundem modum ego, ô Rex cū vi-
 dero eum, qui meā familiam lēdit, & vitæ fra-
 trum officit, vitam amittere: & suis in ipsos in-
 iurijs prohiberi: etiam ipse amplificabor, & re-
 liquos mei generis similiter mecū fortunatos
 conspiciam. Quibus auditis Artaxerxes, Rha-
 cōcem

cōcem collaudavit, & in collegium regiorum iudicum cooptavit: His verbis eos, qui tum aderant, allocutus : Qui tām severiter & iustē de proprijs liberis sententiam audet pronunciare : omnino etiam in alijs criminibus incorruptum & sincerū iudicem se præstabit. Adolescentem verò præsentī culpa liberavit, gravissimam mortem interminatus, si ia posterum simili in crimine deprehensus fuisset. Quis obsecro hunc Rhacocem, olitorem & hominē rusticum, non ipsi ultiōri Bruto, aut Manlio Torquato, Rom. civibus, anteferre aut certe æquiparare possit ? Plena exemplorum est vetustas, quæ agricolarum iustē ac severiter dicta & facta ostendunt. Confer nunc cum his veterum Agricolarum laudibus, vitam nostrorum quorundam Nobilium, quo's vocant: & utri horum meliores, sanctiores, æquiores, ac nobiliores sint, apud animum perpende. Nā ubi, obsecro, atrociores hodie audiuntur blasphemiae, in Deum, quām apud nobiles? Pauci sunt ex his, quibus vera pietas, vera religio, sit cordi. Qui omnium optimi esse volunt (ut Svenfeldiani) hi Romanum Pontificē non ideo laudant, quod religionem tanti faciant, sed quod honores, quod dignitates, quod hunc culentos Canonicorum focos. Hac spe deiecti, non dubitant arma sua in ipsos Canonicos convertere, ædes illorum perrumpere, omnia sacra, & profana commiscere. Nam postquam

Ducum

Ducum & Principum Germaniæ, ipsiusque
 Cæsaris auctoritas, paulatim apud hunc ordi-
 nem vilescit. Exinde tanta quidvis impunè fa-
 ciendi potestas Nobilibus hodie oblata est, ut
 quò progrediatur ultrà, vix iam habeat. In qui-
 busdam locis, inter se pæcti sunt Nobiles, ne
 quisquam aut cubitum iret, aut surgeret cu-
 bitu, nisi isthæc omnia fierent, interposito ex-
 ecrabili Cacodæmonis nomine. Horresco re-
 ferens. Audiuntur à Q V I B V S D A M voces, nō
 modò in Deum contumeliosæ, sed etiam in
 Principes, & summos Magistratus seditiosæ,
 quas suis auctoribus per iugulum redire æ-
 quum fuerat. Quidam dicam de crudelitate
 quam Centauri Q V I D A M ex illis in suos Ru-
 sticos atrocissimè exercent ? Nam quot pu-
 tatis vos, in illis locis, ubi maxima est impuni-
 tas, hodie esse Nobiles, qui singuli aliquot in-
 nocentissimos agricolas, levi de causa, ad ne-
 cem deverberant, aut etiam penitus occi-
 derint ? Et an vos unquam audistis, ibi cui-
 quam horum scriptam dicam, aut de quoquā
 supplicium capitis sumtum ? Agè enim tu,
 quisquis es, ex aliorum hominum ordine, agè,
 acceptam à Centauro aliquo, iniuriam vindi-
 candam suscipe: Malè peream, nisi omnes cæ-
 teri (exceptis paucioribus) facta conspiratio-
 ne, sive Catenaria, sive potius Catilinaria, in-
 tui unius perniciem coniurent. Hic (hic in-
 quam) unum noris, omnes noris: omnes in-

ter se congruunt : similia omnia, unus in noxa
 est: ceteri omnes ad defendendam causam ad-
 sunt: tradunt operas mutuas. Certè Germania
 Principes , ac præcipue Cæsar , optimè mereretur de re-
 bus mortalium , si TALIA PORTENTA tolleret
 de medio , cum suis equis & turribus , nec sineret illis,
IN FACINORE DEPREHENSIS, in aliud pro-
 desse generis titulum ; nisi ut , velut imminentes , in altio-
 rem rotam tollerentur : sicut iam olim Magnus il-
 le Erasmus optimè admonuit. Iam quæ hæc il-
 lorum hominum superbìa : quod neminem il-
 li putant Nobilem , nisi qui fumosas maiorum
 possit demonstrare imagines , & suam proge-
 niem usq: ab avo atq; atavo memoriter pro-
 ferre? Hinc contemptus ille literatiss. hominū:
 quibus indoctissimi , atq: impuratissimi quiq;
 Nobiles , sese longè præferunt : & nescio qua
 maiorum opinione inflati ac turgidi , in omni-
 bus subsellijs primas aucupantur : omnium re-
 rum primos sese volunt : in aulis & curijs nos suarum o-
 pum volunt esse indigentes : nostra copia nihil volunt nos
 potesse : suiq; omnium rerum nos indigere , ut sibi simus
 supplices : eos si adeas abitum , quād aditum malis. Ita
 nostro ordini palam blandiuntur , clam si occasio usquam
 est , frigidam subdolè suffundunt. Ego verò cum
 Ludovico Vive , nihil puto ab hominibus stul-
 tius & inanius unquam excogitatum: quodq;
 minus habeat solidi , quod apprehēdas , quād
 est eiusmodi nobilitas. Diabolum sacræ literæ
 dicunt , fontem & patrem esse superbiam , ac fa-
 stus.

stus. At huius se filios esse docent, quicunque
 se alijs, propter hanc vanissimam nobilitatis
 opinionem, superbè anteponunt. Quod si mo-
 res & vitia hodie facerent hominem rusticum,
 nihil per immortalem Deum rusticus, nihil-
 que agrestius esset, eo genere hominum, qui
 quod revera non sunt, volunt esse Iunckeri &
 nobiles. Sed de aulica perfidia, quid obsecro
 attinet dicere? Eant omnes principes, & o-
 mnium ætatum historias intueantur. Disper-
 eam ego, nisi summam in Reges, in se, suosque
 maiores, perfidiam ab his ipsis exortam fuisse
 deprehendant, in quibus illi semper spem ni-
 miam reposuerant. Quid aulico Magistro Zi-
 bain Mephibosethum, Ionathæ filium, perfi-
 diosius? quid Rehoba, & Baena, duobus cubi-
 cularijs, in Isbosethum, Saulis filium, periuriq,
 atrocius, crudelius? Plena est exemplorum ve-
 tustas: sed unum tantummodo, & domesticū
 hic protulisse sufficiat, cuius meminerunt Nau-
 clerus, Stumpfius, & Trithemius. Eberhar-
 dus Comes Vирtembergicus, nisi anno 1395.
 maiorem rusticorum in se fidem esset exper-
 tus, quam iuratæ sibi nobilitatis: iam dedo-
 mo Vирtembergica ætum fuerat: uthodie
 de illa veteri prosapia, vix umbra quædam ex-
 taret. Hoc qui non credit, is legat I O H A N-
 N I S T R I T H E M I I historiam de bello Fla-
 gellario ad Haimsam gesto, Quare non iniuria

Eberhardus, primus in hac familia dux, rusti-
corum suorum fidem, & constantiam omni-
bus aliorum thesauris, in magno cœtu Prin-
cipum prætulisse scribitur. Audio item ma-
gnum in his locis principem fuisse, qui cùm
è paterna ditione exularet, rem non ita ma-
gnam à sui territorij Vasallis, quos vocant, pe-
tierit, ut nimirum pro se apud mitissimum Cæ-
sarem intercederent, aut saltem libello suppli-
ci nomina sua subiijcerent: Sed tamen hanc i-
psam rem, tam facilem & expeditam, impetra-
re non potuisse. Recentiora exempla, quia o-
diosa sunt, hīc prætereunda censeo. Nam si his
quæ dixi, principes nostri nolint excitari, ut
oculos aperiant, & videant, cui fidant: fru-
strà à me plura commemorabuntur. Sed di-
cat fortè aliquis mihi, utrum ergò tu illos, qui
præclaro loco sunt nati, & qui maiorum cly-
peos & insignia gestant, eiusdem assis omnes
æstimas? utrum eodem ingenio omnes iudi-
cas? utrum eodem in ludo, omnes ad malitiā
edoctos censes? Absit, ut ita de omnibus sen-
tiam. Nam etiam inter illos ipse met novi, qui
D E V M timent, pietatem colunt, principes re-
verentur, iustitiam amant, literatores & do-
ctiores in honore habent, nulla maiorum op-
nione, sed suavitate, suo ingenio nituntur,
erga inferiores sese faciles præbent, vitam do-
mi sobriam & castam, foris modestam & gra-
vem agunt. Qui igitur tales sunt Nobiles &

Patri-

Patricij, quamlibet numero pauciores, ad illos nihil mea pertinet oratio : sed tantum ad nobiles C E N T A V R O S , ad nobiles Cyclopes, ad nobiles Polyphe mos, ad nobiles Lapithas. Quibus è medio tollendis, aut certè in ordinem redigendis. Herculem aliquem adesse optarim , qualis fuit Maximilianus I. & illi consimiles. Nunc ad reliquas agricolarum virtutes venio, temperantiam, modestiam, liberalitatem, candorem, & similes: quæ ad artes Imperatorias non minus requiruntur, quæ pietas in Deū, & iustitia erga homines. Quam autem in victu cultuque corporis temperantes ac frugales sint agricolæ , quam alieni à luxu, & vagis libidinibus, id notius est: quam ut longa probatione indigeat. Cum enim rustici homines prius ad epulas non veniant, quam fames impellat : ideo lauticias & opipatos cibos non multum expetunt : lolio & urtica vivere edocti. Nam

lejonus stomachus raro vulgaria temnit.

Fames enim plerunque optimum cibi condimentum est. Et quia in luto & cœno suas operas peragunt , splendido vestitu non utuntur: & quia perpetuis laboribus vitam transfigunt, vagis libidinibus non facilè se polluunt, neque insano amore exagitantur. Nam

Ocia si tollas, periēre cupidinis arcus :

Contemptæq; iacent, & sine luce faces.

Quocirca epulæ agrestium, viciisse famem :

potus, sedasse sitim: vestis pretiosa, adversus
 hyemem cœli, & tempestatum iniurias, se su-
 umque corpus defendere: Veneris usus ma-
 ximus procreasse sobolem. Est enim natura-
 psa parvo contenta: neque in satietate, sed in
 desiderio omnis iucunditas consistit. Darius
 in fuga, cum aquam turbidam, & cadaveribus
 inquinatam bibisset: negavit unquam se bi-
 bisse jucundiūs. Ferunt etiam Socratem, cum
 usque ad vesperam continentius ambularet;
 quæsitumque esset ex eo, quare id faceret, re-
 spondisse: se, quod melius cœnaret, obsonare
 ambulando famem. Quid? quod Persæ in vi-
 & u nihil ad panem adhibent, præter Natur-
 tum. Sed ad rusticos nostros revertamur. M.
 Curium, exactissimam Romanæ frugalitatis
 normam, & fortitudinis perspectissimum spe-
 cimen, autores referunt, eo tempore, quo
 Samnitum legati ad eum venissent, & magnum
 auri pondus publicè missum offerrent, in agre-
 sti scanno assedisse foco, & rapula elixasse, li-
 gneoque catino cœnitasse: cumque benignis
 verbis invitaretur, auro uti vellet: vultum ri-
 su solvisse, & legatis respondisse: nihil huic
 opus auro esse, qui sic cœnaret: sibi queuti-
 lius esse imperare aurum possidentibus, quam
 aurum possidere. Crates item Thebanus, ut
 ex Plutarcho didicimus: quod censeret, non
 minimam causam, propter quam in civitatib.
 seditiones existerent & tyrannides, esse luxus
 & ni-

& nimios sumptus : jocosè hortabatur cives, ne ultra lentem, subinde augendis patinis, seditionum causas præberent. At multò rectius facient urbani, si quisque se ipsum hortetur: ne identidem ultra lentes augendo patinas, præteritoque nasturtio & oleo, ad thrium, & piscé pergendo, corpus in tumultū ac fluxiones ventris ex redundantia conijciat. Vulgares n. cibi appetitum intra naturæ modum continent: coquorum & opificum artes, & callidiſſ. istæ aromatibus conditæ cupediæ, semper fines voluptatum proferunt: utilitatem verò supplant. Quid? quod ne mente quidem recte uti possumus, multo cibo & potionē cōpleti. Sulet enim proverbio dici: Plenus venter non signit sensum tenuem. Nam corpus onustum Hesternis vitij animum quoq; pragravat unā: Atq; affigit humo, divina particulam aura.

Sunt igitur ex omnibus hominibus agricultæ, ut in victu cultuque corporis temperantissimi: ita quoque validissimi corporibus & animis sagacissimi: nec non ad operas etiam quascunque obeundas vegetissimi. Continentiam namque consequitur valetudinis integritas. Confer cum his sudantes, ructantes, refertos epulis, tanquam opimos boves, auxilios nostros proceres: tum demum intelliges, eos, qui voluptatem maximè sequuntur, eam minimè consequi. Nam simul assis

*Miscueris elixa simul conchylia turdis,
 Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultum
 Lenta feret pituita: vides ut pallidus omnis
 Cœna desurget dubia.
 Alter, ubi dicto citius curata saporis
 Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.*

Quis non videt, quantò vel ad sanitatem corporis, vel ad mentis sagacitatem rusticana vita sit aptior, quàm urbana: cùm tanta in illa sit temperantia, tanta continentia, tanta in omnibus rebus mediocritas:

*Vivitur parvo benè, cui paternum
 Splendet in mensa tenui salinum,
 Nec leves somnos timor aut cupido
 Sordidus aufert.*

Ut enim agricolæ in ijs rebus, quæ ad vitum & amictum pertinent, mediocres sunt: ita quoque in augenda re familiari modum non facilè excedunt. Nam ruris sui proventu contenti de pecunia non admodum sunt solliciti: quippe qui magis védaces, quàm emaces inveniūtur. Hinc est, quod in veteri Comœdia rusticus affirmat, urbē se odiſſe, quoties agrū intueatur: semperq; rus suū se expetere: ppter ea, quod nunquā ei dicat: I carbones emtum, acetum, obsoniū, oleum: sed isthæc omnia producat, ut agricolæ nihil emēdum sit. Neq; imerito veteres, nequam agricolam dixerunt, quisquis emeret, quod ei fundus præstare posset. Quapropter semper ita vivant agricolæ, ut quæ-

ut quæstum noscant nullum, fructum autem eum solum, quem labore pepererint. At in urbana hac & forensi vita, regnat avaricia, dominatur invidia. Nam ex luxuria oritur avaritia: ex avaritia existit invidia: ex invidia nascitur ambitio, honorumque contentio: quæ maximæ sunt Reipub. pestes. Quæ enim quisque alteri invidet, eadem sibi expetit. Et quoniam in vita urbana certi quidam sunt honorū gradus, per quos ascēdere oportet: prius quam ad aliquod fastigium perveniat: ideo plerunque fit tanta contentio, tantū certamen honoris & gloriæ, ut civium ætatem cōservare difficilimū sit. Sed in agricultura, ubi maxima est hominum æqualitas, nulli honorum gradus: ibi optimæ vitæ trāquillitas, & maxima animorum inter se cōiunctio, atque arctissimum societatis vinculum. Quare non immeritò Iulius Cæsar, cùm obscurum quoddam in Algido castellum transiisset, quæsivisse fertur, an etiam illic locus ambitioni esset. Nec falsò dixit Horatius de rure & vita rustica:

*Non iſtic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, non odio obscuro morsuq; venenat.*

Vbi enim nulla est ambitio, nullum pecuniæ studium: ibi etiam nulla est invidia, nulla odia, nullæ fraudes, nullæ calumniæ. At verò in aulis & curijs, ubi singuli cupiunt ditescere: ibi plerumque tanta est animornm perturbatio, tanta invidentia, ut maior esse non possit. Ibi enim semper

Invidus alterius macrescit rebus opimie:

Et unus quisque suo Domino quām familiarissimus esse cupit: ut quām plurimum ab eo divitiarum impetraret. Quod si alterum videat, in pari gratia, quoquo modo studet, ut per fraudes, per sycophantias, per calumnias, per consutos dolos, eum de loco suo deturberet & in odium sui Principis perducat. Vbi hoc consequi non potest, insidias illi struit: quem oppressum cupit. Aratus Sicyonius in magna gratia fuit apud Philippum & Persea reges Macedonicos, Alexandri successores. Sed optimo viro ab aulicis lentū venenum est datum: quod eum paulatim absumfit. Atque hic Aratus cū iam finem vitæ instare animadverteret: hæc (inquit) sunt præmia regiæ amicitiæ. Grassatur hæc aulica invidia lögè lateque: sed omnium maximè vires suas in literatos & doctos exercet. Nam hos sibi maximè vident isti adversari. Euripides poëta Tragicus totius Græciæ decus & ornamentum, cùm virtus & scelera Nobilium magna libertate in suis fabulis perstrinxisset, magnam adeptus est gratiam apud Archelaum Macedoniæ Regem. Itaque in aula eius aliquantis per vixit: & magnis honoribus à Rego ornatus est. Sed cùm aulici inviderent homini scholastico hanc prærogatiuam gratiæ: qua apud Regem valebat: insidias virtus ipsius struxerunt. Cum enim noctu ex aula ipsius rediret Euripides: aulici Nobiles suos ini-

lum canes incitaverunt: à quibus optimus &
 æterna memoria dignissimus poëta discer-
 ptus est. Quis non videt quibus in locis domi-
 netur invidia, regnet calumnia, grassetur cru-
 delitas? Meritò igitur laudanda est vita rusti-
 ca & pastoritia: meritò amādi agricolæ: à qui-
 bus hæc scelera, hæc flagitia, hæc carnificinæ
 quam longissimè absunt. Quid dicam de stu-
 dio pacis? cuius agricolæ semper fuerūt aman-
 tissimi: ad quam etiam naturæ ipsius & opera-
 rum suarum ductu feruntur: Intelligunt enim
 opera sua rusticæ pacis, nō armorum esse. Qua
 de causa Aristophanes in veteri Comœdia agri-
 culturam pacis nutriculam, promam, admini-
 stram, filiā sororemque nominat. Nec absque
 ratione Numa Pompilius agros egenę plebi di-
 stribuit: ut præcisa iniuriæ inferendæ necessi-
 tate: populum, ad agros colendos traductum,
 ipsa arva mitigarent. Quippe institutum aliud
 nullum, tam acrem amorem & celerem indu-
 cit pacis, quam vita rusticana, quæ ex audacia
 bellica, quatenus propugnatio postulat pro-
 prij, sua retinet: libidinem verò violentiæ & ra-
 pinarum præcedit. Neque mihi dubium, si bel-
 latores quidam intempestivi, & publicæ tran-
 quillitatis turbatores, aliquantis per vomeri
 & stivæ ad moverentur: quin multum de sua
 feritate remitterent. Sed nos interea cum poë-
 ta, suavissimis versibus petamus: ut pax arva
 colat.

Pax candida primū

Duxit aratores sub iuga curva boves.

Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,

Funderet ut natos testa paterna merum.

Pace bidens vomer ^{q̄} vigent : at tristia duri

Militis in tenebris occupat arma situs.

Ex his à me commemoratis constare arbitror, vitam rusticam quam nos agrestem vocamus iustitiæ, parsimoniæ, temperantiæ magistram esse, pacis alumnam esse: & morum potius, quā opulentia conciliatricem esse. Quare omni illam honore afficere, omni benevolentia cōplete, omni studio prosequinos decet. Neque enim rusticorum simplicitas & mores, ut apparent, incomiti vos turbare, aut ab agriculturæ amore avocare debent. Nam quæ hodie iudicatur esse urbanitas: ea veterib. fuit adulatio: quæ nostris hominibus morū est civilitas: ea maioribus nostris fuit supparasitatio: quæ vulgo nunc habetur rusticitas, ea sapientissimis olim fuit sancta & veneranda simplicitas. Sed obsecro vos, dicite mihi per conscientiam vestram: utri homines videntur vobis esse probiores, & quiiores, veraciores: an illi, qui aliud verbis loquuntur, aliud mente sentiunt: qui vna manu panem, altera ostentant lapidem: an verò illi, qui rem quamque ut sentiunt, ita etiam sincerè & candidè, absque ullis verborū Phaleris, proloquuntur: illos ne probonis viris habēdos cēsetis, qui duplices sunt,
ancos

an eos qui simplices? utrū cādidos apertosq;
 subdolis; an dolosos & fraudulētos præferetis
 cādidos? Dicas fortasse, rusticos neque elegan-
 tes inter edēdum ac bibendū, didicisse gestus:
 nequa apta dextera, & ori priūs admota, perin-
 de ac si veterum more adorare vellent, obvios
 homines salutare: neque suis unumquemque
 titulis appellare: neque genua recte incurvare:
 neque choræas molliter deducere: neque ullā
 aulicitatem aut urbanitatē novisse, Atheus tu,
 quisquis es: & non pauca interroganti mihi re-
 sponde. Credin, tu eos homines, qui harum
 ceremoniarum ignari sunt, aut turpiores, aut
 fœdiiores, aut infideliores, aut quoquo modo
 illos deteriores esse cæteris? Credin, ad vi-
 tam bene beateque degendam ineptias istas,
 quas hodie admiramur necessariò requiri: an
 verò optimos quosqué omnium seculorū me-
 moria istis nugis caruisse. Nihil addam his am-
 pliūs. Nam satis tibi dictum arbitror: neque
 quenquam hīc adesse iudico, qui ex illis, quæ
 hactenus à me prolata sunt, non intelligat, vi-
 tam rusticam suis hominibus maxima præ-
 stare commoda. Nunc quòd reliquum est et-
 iam de agricolarū oblectationibus pauca pro-
 feram: si tamen priūs tacitas quorundā cogi-
 tationes, aut etiam sinistras de me opiniones
 breviter diluero. Nam quòd primū de ru-
 sticorum simplicitate dixi, id nolo quisquam
 existimet, eò à me dictū esse, quasi ego rusticita-
 ti, aut

ti, aut potius barbariei quorūdam agrestium
 atque ab omni urbanitate remotorum homi-
 num patrocinari velim. Vt enim nimiam au-
 licitatem nostrorum ciuiū maximè improbo:
 quòd hi bonos mores in illis gestibus consiste-
 re arbitrentur: ita ferinam agrestitudinem mi-
 nimè laudo. Modus enim utrobique habēdus
 est: ut & in civilitate nihil cōmittamus: quod
 adulatio[n]is speciem præbeat: neque rursus ita
 inurbanis moribus simus, ut eos, qui nobis ho-
 noratiōres sunt, contemtui habere videamur.
 Igitur rusticos illos , à superiorum numero
 excludimus: qui ab omni honestate ita remoti
 sunt, ut honorē alijs debitum , vel prorsus ne-
 gligant, aut etiā illis præripiant. Deindē nō est,
 quòd agricolæ idcirco superbiant aut cristas
 erigant: quādo intelligunt, sua opera suoq; la-
 bore reliquos homines , & quidē omnium or-
 dinum homines carere non posse: quasi ipsi so-
 li sint aūt aq; neq; ulla ope humana indigeāt.
 Neq; enim suos reges & Principes propterea
 negligere, aut stulte petulātervè aspernari de-
 bent, q; suis manibus illos alere se intelligunt.
 Nam & veteres agricolæ suis paruerūt senato-
 ribus suisque Regibus & Principibus, quos ipsi
 non alebant: sed è suis agris victum parare ani-
 madvertebant. Cogitent igitur, quo loco esse
 agricultas Deus voluerit: ne quid ab illis com-
 mittatur, quo ipsum conditorem Deum of-
 fendant. Nam idcirco Deus magistratum illis
 præpo-

præposuit: ut boni habeant, quos ament: mali,
 quos metuāt. Etsi enim iustiores & sanctiores
 sunt agricolæ civibus: tamēn, quia homines
 sunt, & labi atq; errare possunt: ideo magistra-
 tu indigent: qui alterum ab alterius iniuria de-
 fendat Quomodo enim suos quisque agros, su-
 as possessiones retinere possit: nisi magistra-
 tus & legū præsidio cæteri retinerentur in offi-
 cio? Nihil dicā de via, qua post hanc vitam, in
 alteram eundū, & ad beatos manes cōmigran-
 dum est. Hanc enim solam à doctis, & luce di-
 vina illustratis hominibus, possunt addiscere
 agricolæ. Quibus si destituantur, animæ suæ
 lacturam faciunt: & in sempiternum ruunt
 exitium. Quare suum locum in convictu cæ-
 tuque hominum teneant agricolæ: neque ali-
 is sese præferant: sed debita reverentia omnes
 homines, quibus à Deo subjecti sunt, afficere
 & prosequi assuescant. Quòd si aliquos vident
 ociosos esse, & in delicijs æstatem agere: illo-
 rum vitam iusto iudici, Deo Optimo Maximo
 committant: nihil ipsi, quod suarum parti-
 um non est, aggrediantur. Non possum mi-
 hi hoc loco temperare, quin acerbius in agri-
 colas huius seculi, & hos rusticos, quorum nos
 opera atque laboribus iam fruimur, oratione
 mea invehar. Nam quando veterum agricola-
 rum, aut certè artis ipsius laudes cōmemora-
 ri audiunt rustici: dici non potest, quām illi
 cristas erigant, quanto supercilie insurgant,
 quantum

quantum alijs hominibus insultent. Volunt enim continuò honorari, & nescio quibus præmijs affici. At horum plerique sciant has laudes, quas diximus, nihil ad se pertinere. Veteres enim agricolas produximus: nō nostros. Nam præsentis ævi homines, à maiorum suorū laude ita recesserunt: ut si hodie maiores nostri reviviscerent, præter casas & tuguria, vestesque suorū posteriorum, nihil in ipsis agnoscerent. Nam rustici ex consuetudine urbana, omnis generis aucupia hodie mutuati sunt. Ita que vetus illa hospitalitas & liberalitas ab illis in Vtopiam migravit: vigetque inter illos hodiè pro beneficētia, avaritia: pro temperantia, luxus: pro virtute, libido. Postquam enim ruris illos cœpit satietas, & lautitiæ urbanæ ipsis complacuerūt: iam nō veterum more cibis utuntur vulgaribus, non condimentis agrestibus, non vino modico: sed esculentis ac potulentis, quæ undequaque cōparari possunt, exquisitissimis. Sunt etiam, qui neglecta agricultura, dies noctesque pergræcantur: sunt, qui aliorū laboribus insidiātur, & de alieno victitāt. Sed cum his hominibus nihil est nobis negotij. Satis enim ex suprà dictis edocti sumus: eum agricolam nequā esse, quisquis emat, quod fundus ei præstare possit. Restant illi, qui cùm in agris & vineis colendis assidui sint (quorum quidem ingens est numerus) cæteros omnines mortales, qui manum aratro nō admovent,

Vent, ociali iudicant, eosque pro segnibus atq; desidiosis habere non dubitant. Ideoque nostrorum agricolarum & vinitorum plerique omnes, cum magistratui & principibus suis, tum verò in primis nostro ordini, impudenter insultare audent. Cum enim intelligent, sua opera omnes alios homines, ad victimum amictumq; corporis indigere: interim ipsi nostra opera se indigere non credunt. Sed quia toto celo, quod dicitur, aberrant, sequi ipsos miserè decipiunt miseri agricolæ: ideo sinistra hæc opinio animis illorum evelienda est: ut agnita sua inscitia, paulatim discant in seipso descendere, iustitiam colere & non temnere Divos. Quod enim veteres agricolæ, viri fuerunt sapientissimi ac fortissimi, omniumque bonarum artium peritissimi: quid hæc obsecro ad nostros villicos & stupidissimos quoque rusticos? Fuit, fuit illud tempus, quo illi ipsi rusticabantur, qui alijs dominabantur: fuit ætas illa, qua senatores & dictatores è rure & villis in urbem vocabantur: fuit ævum illud beatissimum, quo in agris habitarunt Iustitia, Temperantia, Liberalitas & plurimarum rerum, quas supra enumeravi scientia atque cognitio. Nunc omnia videmus

In peius ruere, & retro sublapsa referri.

Vbi enim illa pietas hodie est in vita rustica & pastoritia: quæ in Davide fuit, cum ille oves sui patris pasceret? Vbi illa fortitudo mili-

taris in animis agrestium : quæ olim in Cincinno, Fabricio & Curio fuit ? Vbi illa Rha-
coci severitas ? Vbi illa Curijs frugalitas ? ubi
sunt hodie in rure antiquissimi naturæ scruta-
tores, & motuum cœlestium observatores ? An
nondum intelligitis agricolæ , quorum homi-
num præsidio nunc indigeatis ? Exulat è vita
vestra prior illa pietas : occæcatæ sunt mentes
vestræ : ut vos cœlestem illam veritatem & viâ,
quæ ad cœlum perducit neque videatis, neq;
sponte vestra sequamini. Quare opus habetis
piorum hominum ministerio : qui veritatem
& viam salutis vos doceant: ne in hoc ævo du-
riter laboretis, in altero perpetuum pereatis.
Vetus illa justitia in agris obdormivit: libera-
litas evanuit: fugere, pudor, candor, verum-
que, fidesque.

*In quorum subière locum, fraudes q̄, doliq̄:
Insidie q̄, & vis, & amor sceleratus habendi.*

Ergo videtis, quorum hominum præsidio
egeatis: ut suum cuique in vita rustica conser-
vetur, protegatur, defendatur. Veteres agricolo-
lente, lolio, urtica & nasturtio vicitia-
bant: & si qui in ipsis Compitalibus munus
suum administrare vellent: illis apponebatur

*Bicolor synceræ bacca Minervæ,
Conditaq̄, in liquida corna autumnalia fece,
Intybaq̄, & radix, & lactis massa coacti,
Ovaq̄, non acri leviter versata favilla.*

At vestra prandia, vestræ cœnæ veterum
Regum

Regum mensas propemodum superant. Itaq; luxus cibi & potus per gradus hominū mirificè nunc excrevit: & vix quò p̄grediatur, habet. Sed agite agricolæ, ne vos diutiùs detineam, date mihi in agris & villis vestris, Abrahamos, Isáicos, Iacobos: dispeream, si non omnes pij Reges & Príncipes, omnesque concionatores, cum suis civitatibus & populo relictis mænibus, ad vos in pagos & villas vestras commigraturi sint. Date mihi Fabricios & Curios, date Cincinnatos: & nos Impp. ac Dictatores nostros non ex aulis, sed è caulis vestris per viatores vocabimus. Date mihi Rhacoces, date veteres Brutos, date Aelios & Tuberones: & nos vestris sententijs potiùs, quām jurisconsultorum posthac omnes stabimus, subscribeamus, acquiescemos. Date mihi è rure vestro Catones, Varrones, Columellas, Plinios: date Hesiodos, date Virgilios, & veterum similes agricultoras: qui naturam rerum, animantiū ingenia, motus astrorum habeant cognitos, cœlique vim & sydera monstrarent:

Defectus Solis varios, Lunaq; labores.

Reddite pristinam illam agriculturam, quæ omnium virtutum, bonorumque morū disciplina fuit: reducite in vitam rusticos illos, qui rustica nomina jam olim syderibus indiderunt: dispeream, nisi nos omnes è scholis & ludis literarijs ad vos commeaturi, & vestris observationib. fidé habituri simus Quod si aut

aliqui vestrūm animis ita obstinatis nunc erūt:
 qui dicant, se neque verbo Dei, pane illo cœle-
 sti, neque magistratus autoritate, neq; legum
 præsidio, neq; salubri medicina, neque disci-
 plinis illis, quib. & hæ artes & vita nostra alitur
 ac foveatur, indigere: illos non modò respon-
 sione nulla, sed ne quidē societate humana di-
 gnos esse iudicabimus. Sed erunt tamen alij ex
 rusticis fortasse: qui suas operas, laboresq; a-
 gricolationum, studijs principū, & exercitijs
 literarijs multò duriores atq; ærūnosiōres esse
 prædicent. Nam ea quorundā est impudentia,
 ut quæ à principibus geri, & à nostro ordine
 tractari vident, ea pro ocio, & nescio quanam
 socordia atque inertia reputent. Sed heus vos
 vinitores & agricolæ, malè habiti, malè conci-
 liati: an vos pro nihilo ducitis magistratum ci-
 vilem pro tranquillitate & pace publica, dies
 noctesq; excubare? quid? an ociosi hominis
 esse putatis, pro salute & incolumente vestrā
 nullum meditando cogitandoque tempus in-
 termittere? At ego iurare ausim, unum Princi-
 pem, cui civium suorum salus curæ est, plus la-
 borare. q̄ ter mille rusticos. Quid? an illos, qui
 libros suos nocturna diurnaque manu versant:
 qui ingenium quotidie exercent: qui imensis
 legum voluminibus insudant: qui universæ
 naturæ obscuritatem rimantur, dum sanitati
 aliorum consulant: qui præcepta morum iu-
 ventuti instillant: qui ex universa historia vitæ
 hone-

honestatē informant: qui linguarum artiūque
 optimarum cognitione animos imbuūt, & ad
 superiora illa studia alios præparant: quid? an
 illos ociari, & ignavo quodam veterno torpe-
 scere statuetis? Ego certè animi operationes,
 & ingenij humani exercitationes omnibus il-
 lis arationum insitionum, putationum, fossio-
 numque laboribus longissimè antepono. Est
 enim multò difficilius animo, quam corpore
 operari Itaq; Scipio Africanus, non frustra di-
 cere solitus est: nunquā se minus ociosum esse,
 quam cum ociosus: nec minus solum, quam
 cum solus esset. Ille enim requiescens à Reip.
 pulcherrimis muneribus, ocium sibi sumebat
 literarium: in quo vires ingenij sui exercebat.
 Conticescant igitur sermones, vulgi & indo-
 & torum hominum: qui propter duritiem & cœ-
 li hyemem, suos labores, magistratum excu-
 bijs, & doctorum virorum studijs, præponere
 non reformidarunt hætenus. Etsi enim docti
 viri superatis in discendo laboribus, maiori
 cum voluptate, & minori cum molestia suas o-
 peras obeunt, quam vinitores & rustici: ta-
 men suas quoque oblectationes agriculturæ
 non deesse, iam intelligetis. Nam Deus ipse ita
 rem constituit: ut labor i comes sit voluptas:
 quæ & acerbitatem illius, quasi condimentum
 quoddam mitiget, & alacritatem quandam in
 animis hominum ad opera suscipienda exci-
 tet. Quanta autem delectatio sit rusticatio-

num, quantæ voluptates, quæ inde proficiuntur: nemo melius, nemo copiosius, nemo elegantiū percensuit, quām Cato ille rusticus, qui apud Ciceronem de senectute dicit, se incredibiliter delectari agricolarum voluptatibus: quæ nec ulla impeditantur senectute, & ad vitam sapientis proximè videantur accedere. Habent enim (inquit) rationem cum terra, quæ nunquam recusat imperium, neque unquam sine usura reddit, quod accepit: sed aliás minore, plerunque maiore cum fœnore. Quanquam me quidem nō fructus modò, sed etiam ipsius terræ vis ac natura delectat, quæ cum gremio mollito ac subacto, semen sparsum excepit: primùm id occatum cohibet, ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata est. Deinde tepefactum vapore & complexu suo diffundit, & elicit herbescensem ex eo viriditatem: quæ nixa fibris stirpium sensim adolebit: culmoque erecto geniculato, vaginis jam quasi pubescens includitur. E quibus cùm emerserit, fundit frugem spicæ ordine struetam, & contra avium minorum morsus, munitur vallo aristarum. Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem? Satiari delectatione non possum, ut mea senectutis quietem, oblectamentumque noscatis. Omitto n. vim ipsam omnium, quæ generantur è terra, quæ ex fici tantulo grano, aut ex acini vinaceæ, aut ex ceterarum frugum, aut stirpiū
 minu.

minutiss. seminib. tantos truncos, ramosq;e
 procreat: malleoli, plantæ, sarmenta, vites, ra-
 dices, propagines, nōnne ea efficiunt, ut quem
 vis admiratione delectent? Vitis quæ natura ca-
 duca est, & nisi fulta sit, ad terram fertur: eadē,
 ut se erigat, claviculis suis q. manib. quicquid
 est nacta complectitur. Quam serpentem mul-
 tiplici lapsu & erratico, ferro amputans coēr-
 cet ars agricolarū, ne sylvescat sarmenis, & in
 omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte
 vere in ijs, quæ relicta sunt: existit tanq; ad arti-
 culos sarmenrorum, ea quæ gemma dicitur, à
 qua oriens unà se ostendit, quæ & succo terræ
 & calore solis augescens, primò est peracerba
 gustatu, deinde maturata dulcescit, vestitaq;e
 pampinis nec modico tenore caret, & nimios
 solis defendit ardores. Qua quid potest esse tū
 fructu lātius, tū aspectu pulchrius? Cuius qui-
 dem non utilitas me solūm (ut antè dixi) sed e-
 tiām cultura & ipsa natura delectat. Adminicu-
 lorū ordines, capitum coniugatio, religatio,
 propagatio vitium, sarmenrorumq; ea, quam
 dixi, aliorum amputatio, & aliorum immissio.
 Quid ego (inquit) irrigationes? quid agri fos-
 siones repastionesq; proferā, quib. fit multò
 terra fœcundior? qd de pratorū viriditate, aut
 arborū ordinibus, aut vinearū olivetorūq; spe-
 cie dicā? Brevi expediā. Agro benè culto nil
 potest esse nec usu uberius, nec specie ornatiq;
 ad quē fruēdū nō modò nulla retardat, verūm

etiam omnis invitata que allegetat ætas. Vbi enim potest ulla ætas aut æquæ calefcere, vel a pricatione melius vel igni? aut vicissim umbris aquisve refrigerari? Audivisti Ciceroniani illius Catonis de voluptatibus ruris sententiam: audiatis nunc, quid de ijsdem canat sapientissimus Poëta Horatius. Nam quid obsecro potuisset de ruris amœnitate, & vitæ rusticæ laudibus dici aut scribi venustius ac suavius; quam hi sunt versus lepidissimi, omnique elegantia refertissimi?

Beatus ille qui procul negocijs,

(Ut prisca gens mortalium)

Paterna rura bobus exercet suis,

Solutus omni faenore &c. usq; ad finem.

Possem hæc eadem, & singula, quæ haecenus dicta probataque sunt, etiam ipsius Virgilij versibus commonestrare, nisi temporis ratio mihi obstaret: & aures vestræ iam antetot versibus percipiendis defatigataæ essent. Sed quid opus est veterum niti sententijs atque testimonijs, in re tam manifesta, & lippis tonsoribusque nota? Ipsi has ruris delicias videntis: ipsi novistis, quantum cœli amœnitas afficiat: quantum nos ista florum varietas, colorū diversitas oblectet. Nam quis Apelles est, qui suo penicillo, quamlibet artificioso, nativos herbarum & florum colores melius exprimat: quam ipsa natura rerum omnium parens ingeniössima? Et quorsum attinet, tot pratorum, tot

tot hortorum, tot arborū fructus commemo-
rare? quem, obsecro, hominem ista viriditas
non oblectet? quem tot à ramis pendentia-
um fructus, tot pyra, tot poma, non volunta-
te quadem afficiant? quid? an

Non magis adducto pomum decerpere ramo.

Quām de cælata sumere lance iuvet?

Quid obsecro uarū intuitu iucundius? qd
rosarum aspectu amœnins? Sin quæritur auriū
delectatio: quid quæso avium concentu uspi-
am sit svavius? quid aquarū decurrētium mur-
mure sit delectabilius? Sin narium voluptas
expetitur: quid obsecro, uspiam est, quod ro-
sarum, violarum, liliorumque odore iure pos-
sit anteponi? quid? num

Deterior Libycis olet, aut viret herba lapillus?

Num thure Sabeo, aut moscho, aut ullo
suffitus genere priores sint, rosæ aut violæ?
Quid sapores dicam, & eas delicias, quibus pa-
latum capitur? Vnde obsecro melius ista pro-
veniunt, quām è fructibus ruris & arborum,
ipsarumque pecudum? quid lacte, quid melle
sit dulcius? aut quod saccarigenus, etiam ex ul-
timis Arabiq partibus ad nos prolatum, dulce-
dini mellis possit æquiparari?

O fortunatos nimium, bona si sua norint,

Agricolas: quibus ipsa, procul discordibus armis

Fundit humo facilem vietum iustissima tellus.

Quæ enim hæc est æuæ pugna, aut quæ ho-
minum præpostera querimonia: quòd rustici

urbanos , urbani rusticos prædicant beatos:
semperque alienum plus nobis , & nostrum
plus alijs placet?

Rure ego viventem, tu dicas in urbe beatum:

Cui placet alterius sua nimirum est odio sors.

Stultus uterq; locum immeritum causatur iniquè.

In culpa est animus, qui se non effugit unquam.

Ex quo fit, ut sua sorte nemo

Contentus vivat: laudet diversa sequentes.

O fortunati mercatores, gravis annis

Miles ait, multo fractus iam membra labore.

Contrà mercator, navem iactantibus Austris,

Militia est potior quid enim? concurritur: hora

Momento aut cito mors venit, aut victoria lata.

Agricolam laudat iuris legumq; peritus,

Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat:

Illi datu vadibus, qui rure extractus in urbem est,

Solos felices viventes clamat in urbe.

Quid multis? optat ephippia bos piger,
optat arare caballus. Damnanda est certè hæc
humanorū ingeniorum perversitas: & animus
noster intra metas suæ vocationis cohibēdus:
ut is neque alteri suam fortunā invideat, neq;
vitæ suæ conditiones aliorum felicitati temerè
posthabeat. Nam sæpè fit, ut qui sibi ipsis vi-
dentur esse miserrimi atque infortunatissimi,
illi omnium sint felicissimi ac beatissimi. Quo-
modo enim nostro agricola ut ad institutū re-
vertar, fortunatior sit princeps: cui semper vi-
gilandū, rarò dormiendū, semper meditandū,
nunquam

nunquam quiescendum? quomodo fortunatores sint aulici & curiales: quibus semper in metu vicitandum, semper ad fores & nutum potentioris domini adstandum?

Licet sub paupere tecto

Regem & Regum vita præcurrere amicos.

Quomodo homine rustico tranquillior sit, quem perpetua stimulat ambitio: cui

Surge, inquit avaritia, eia

Surge negas, instat: surge, inquit: non queo, surge.

Quomodo agricola non sit fortunatior milite, nauta, & ut uno verbo dicam, omnib. ceteris immortalibus: si sua sorte contentus vivat: neque ultrà appetat, quam par est?

Illum non populi fasces, non purpura Regum

Flexit, & infidos agitans discordia fratres;

Aut coniurato descendens Dacus ab Istro:

Non res Romanae, perituraq; regna. Neg, ille

Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.

Quot rami fructus, quos ipsa volentia rura,

Sponte tulere sua, carpsit: nec ferrea iura

Insanumq; forum aut populi tabularia vidit.

Sollicitant alij remis freta caca, ruuntq;

In ferrum: penetrant aulas & liminare regum

Hic petit excidijs urbem, miserisq; penates

Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.

Condit opes alius, defossoq; incubat auro:

Hic stupet attonitus rostru, hunc plausus biantem

Per cuneos (geminatur enim plebisq; patrumq;)

Corripuit: gaudent perfusi sanguine frattum:

Exilioq;

Exilioq; domos, & dulcia limina mutant:
 Atq; alio patriam querunt sub sole iacentem.
 Agricola in curvo terram dimovit aratro:
 Hinc anni labor: hinc patriam, parvosq; nepotes
 Sustinet: hinc armenta boum, meritosq; iuvencos.

Agitè ergo ô agricolæ, si artem vestram
 à Deo institutam & à sapientiss. sanctissimis-
 que viris olim exercitatam, & pro liberali stu-
 dio habitam esse statuitis: si hoc vitę gen⁹ cùm
 alijs, tūm vobis ipsis necessariū & fructuosum
 esse reipsa comperitis: si denique rusticationes
 & operas vestras cum singulari voluptate con-
 iunctas esse intelligitis: agitè, inquam, & ad ve-
 terum agricolarum mores, vitam vestram piè
 diligenterque componite: ut earundem cum
 illis laudum participes reddamini. Vos au-
 tem, qui hic adestis adolescentes, ad quos mea
 iam se convertit oratio, agri & vinearum cul-
 turā, quam à Deo hominibus commōstratam,
 à beatissimis olim viris & summis regibus a-
 matam esse audivistis, tanquam liberale studi-
 um & vitæ genus honestissimum amplectimi-
 ni: fructus & voluptates, quas illa ad communem
 vitæ usum profert, nō ad ocium & luxum,
 sed ad Dei gloriam, studiorum vestrorum in-
 crementa, & animarum vestrarum salutem cō-
 vertite: denique ipsos agrorum & vinearum
 cultores, nulla iniuria afficite, nullis verborū
 contumelijs lēdite: sed cum Hesiodo & Virgi-
 lio poëtis sapientissimis, & cum Catone, Var-
 rone,

rone, Columella, Plinio, & Constantino Cæsar, summis ac maximis viris, amore & sua quādam veneratione prosequimini. In primis verò Virgilij Georgicis, & mihi vobis ea enarrantidiligenterem operam impendite: ut quæ ha-
ctenus de vita rusticanæ & pastoritiæ fructibus percepistis, ea ex rerum rusticarum scriptoribus pleniū perfectiusque cognoscatis: ne de agrorum & fructibus & animantium naturis interrogati, ipsis agricolis indoctiores aliquando ea ignoretis, quæ ingenuum & liberalem hominem nescire turpe est: scire non modò gloriosum, sed etiam utile.

DEVS Opt. Max. (ut in eodem, à quo cœpit, mea oratio terminetur) tum mihi docenti, tum vobis discentibus sua gratia clementer adsit: ut illi in hoc studiorum nostrorum curriculo grata dicamus & faciamus: ipsumque cœlestem agricolam colamus, & semen sacriverbi custodiamus, ac centuplum fructum ad vitam æternam proferamus.

1690



ORA



IN MARCVM VAGANERVM FRIMARIENSEM SAXONEM, SVPERIORIS DE VITA
rustica, defendendae orationis causâ, anno 1582,
scripta & demum Anno 1587.

PRAGÆ edita.

I, M. VAGANERI, TANTVM MO-
do, quid vanitas ac summa levitas
postularet, spectare voluisse: fe-
cisse id, quod omnibus amicis
meis vehementer placebat, ut, cu-
ius liber famosissimus ac mendacissimus, pro-
pter meras calumnias, quibus refertus est, nul-
lius mometi putaretur, eum ego tacitus dimit-
terem. Nemo enim vir bonus, in huc usque di-
em iudicare potuit, aut ita hunc Marcum refu-
tandum, ut gravem adversariū: aut ita monen-
dum, ut hominem errore lapsum. Nam quicun-
que utriusque nostrum libellū legerunt, ac ver-
ba inter se cōtulerunt, statim animadverterūt,
nō legisse Marcum ea, quę ego de virtutibus &
laudibus veterum agricolarum, ex professo, &
de vitijs quorundam nobiliūm nostrorum, sal-
tem obiter conscripseram. Itaque uno ore om-
nes fatebantur, illū aut præmijs illectum, aut
improbo-

imprōborum hominū vocibus huc impulsum
 fuisse, ut narrata ab alijs, pro compertis, dicta,
 pro lectis, auditā pro visis, falsa, pro veris, infe-
 ta, pro factis, sibi impugnanda sumeret: adeo-
 que cum proprio quodā capitī sui figmento,
 tanquam cum larva, luctādum iudicaret. Quia
 verò M. Vagenerus suo famosissimo, & méda-
 cissimo libro, nō me solū, sed multos etiam bo-
 nos, atque innocētes viros, in suspicionē atro-
 cissimi criminis adduxit: ut ppter illius in me
 scelus rām aliorum hominū quām meā vita, ac
 fama, iam periclitetur: idcirco non potui, neq;
 etiam debui, hunc laborem subterfugere: quin
 adversarij, tela venenata, quæ ille meis, alio-
 rumque cervicibus intētavit, mea qualicūque
 oratione depellerē: ut vulneribus ab illo datis
 aliquod remedī invenirem, idque inventū in
 lucem hominum, quām maturimē afferrem.
 Nam quæ obsecro: maior possit esse audacia,
 quā quod Marcus iste Vagenerus, nō me solū,
 vel ut antesignanū, & ducē, verumetiam totā
 Academiam, quam ipse Theologus appellat
 TVBAM INGENTEM seditionum, tanquā co-
 mites & cōmilitones meos, excitati servilis tu-
 multus, & motæ seditionis rusticæ, publico
 scripto accusare nō dubitavit? Quæ pfligati a-
 nimi maior sit levitas, quām quod multos ille
 innocentes viros, per latus meū faciat: & eam
 quā dixi Academiā, quater TVBAM INGENTEM seditionū nominat? Quæ maior impudē-
 tia

tia sit, quām quod paucissimis verbis ex longa
 prēfatione mea derceptis, ijsque sinisterrimē
 detortis, primarios in agro Vирtembergico
 viros, in suspicionē nefarij sceleris, homo nefা
 riū conatur pertrahere; quasi illi meas nescio
 quas, voces seditiosas pleno gutture non ex-
 presserint modo, sed etiam promoverint? Quę
 amentia sit maior, quām quod ille ait, faces hū
 ius incendij, ab ijs ipsis esse accēsas, qui recens
 incendium, summis viribus confessim restin-
 guere conati sunt? Quis porrò furor est, quod
 Marcus iste aliquoties, absque omni fronte, af-
 firmare audet: scriptū à me esse, è proprio pe-
 &toris mei scrinio, omnes nobiles, bonos iuxta
 ac malos, nullo iure, nullo damnato iudicio, in
 R O T A S esse tollendos, propteręa quod ipsis su-
 pra omnes alias ordines, infra se positos, emi-
 nere tantopere expetant? Quę hęc est tam im-
 manis & effera libido mentiēdi! quod ter qua-
 terque affirmare non erubescit, me cupere, ut
 omnis nobilitas Germanica, omnis ordo eque-
 ster, è medio tollatur, ita ut de veteribus famili-
 ijs nihil prorsus fiat reliquum? An verò hoc nō
 est audacter calumniari, ut aliquid saltem, in
 hominum credulorum animis inhæreat? Cùm
 verò nihil horum, à me unquam scriptum, ac
 ne cogitatum quidem sit, nonne vident om-
 nes pij, tempus esse, ut quām ille vir malus sit,
 quām homo futilis, quām scriptor mendax,
 quām nullius precij Theologus, id à me omni-
 bus

bus bonis, luculenta oratione commōstretur?

Quare ne sibi hunc honorem à me haberi
Marcus miretur, quod pub. scriptione contra
talem hominem utar, quem nemo bonus re-
sponso, nemo colloquio, nemo congressu, ne-
mo aditu, nemo civitate, nemo luce dignū pu-
tet; sciat ipse, me nulla de causa, ad scribendū
venisse, nisi ut ferocitatem istam nefarij homi-
nis comprimam: & innocentiam tūm meām,
tūm aliorum, publico scripto testatam faciā, &
vanitatem futilissimi scriptoris, recitando po-
tiūs, quām refutando convellam. Quanquam
enim causa hæc, etiam antehac stylo Germani-
co est à me perorata: nihilq; ibi prætermissum,
quod aut pro me negandum fuit, aut pro alijs
affirmandum: tamen etiā Latina dictione nūc
venio ad scribendum: ne mea propugnatio ei
potissimum libello defuisse videatur: propter
quem hoc certamen actum est: & qui nunc ite-
rum in lucem prodit. Sic enim statuo: à me in
hac causa, atque hac extrema dicendi necessi-
tate, pietatis potius, quam defensionis: que-
relæ, quām eloquentiæ: doloris, quām inge-
nij, partes esse susceptas.

Quamobrem, si aut aliquid acrius pro me,
atq; alijs dixero, aut etiam liberius hīc egero,
quā vel personæ meæ dignitas, vel causæ ipsius
bonitas postulare videbuntur: peto ab æquo
lectore, suppliciter atque demissè, ut tantum
orationi meæ concedat, quantum & pio dolo.

ri, & iusta iracundia concedendum iudicat.
 Neq; n. Christianæ religioni cōiunctior dolor
 usus esse potest, quam hic meus: conceptus ex
 capitis, vitæ, famæ, ac omnium fortunarum
 mearum periculo: in quod iste Marcus suis ca-
 lumnijs, suis contumelijs, suis consutis Syco-
 phantijs, me immerentissimum atq; innocen-
 tissimum pertraxit: neque iracundia ulla ma-
 gis laudanda, quam ea, quæ me inflammavit,
 paucorum hominū scelere atq; flagitio, quos
 hic Orthodoxus Theologus (si Dijs placet) pu-
 blico scripto sibi defendendos esse iudicavit.
 Sed quoniam singulis mendacijs (quorū sunt
 triginta) priori libro eo ordine respondi, quo
 se invicem in auctoris volumine consequun-
 tur: ideò hīc alium ordinem tenebo: ac pri-
 mūm ea confutabo, aut potius recitabo crimi-
 na, quibus Marci huius amentia orationē mē
 de vita rustica notare, ac defēdere voluit: o-
 mniaq; viri mendacia, quibus ille me onerat,
 non tam meis, quam aliorum auctorum ver-
 bis manifestissimè diluam.

Deinde labes illas abstergam, quibus im-
 purissimus ac perditissimus homo, vitam ac fa-
 mam nominis mei, cōmaculare ausus est. Po-
 stremò, quia ille rem incompertam, hoc est, li-
 brum neque lectum, neq; visum impugnat, &
 cæcis ictibus, tanquam Andabata, secum ipse
 digladiatur: Ostendam ipsum stolidam ambitio-
 ne, ac spe præmiorum & munerum, adversus
 me

Ne huc incitatum fuisse, ut talia dicat, scribat-
que, quæ non sani esse hominis, non sanus iu-
ret Orestes. Quæ tria ubi peroravero meæ ora-
tioni finem addam: hoc unum interea vos re-
ges & Principes, & quorūcunq; in manus hæc
mea venerint obsecrans atque obtestans, ut o-
mni præiudicio suspenso benevolè hanc totā
causam cognoscere, & in hac tanta negociorū
mole, quæ humeros vestros gravat, etiam hu-
ius laboris molestiam, in vos recipere digne-
mini: ut, cuius in vobis solis spes omnis est re-
posita, eum amicis omnibus salvum esse cupi-
entibus, vos soli deseruisse ne videamini. Non
enim mediocriter perturbor, atque commo-
veor, rei ipsius vel magnitudine, vel novitate:
quod tantam causam, quanta vix ulla unquam
in disceptione versata est, dico non intra fines
unius territorij, sed intra totius orbis Christi-
ani parietes: nec intra aulæ unius cancellos,
sed intra totius mundi confinia.

Quare in vestris oculis, in vestro ore, vul-
tuque acquiesco: vos intueor: ad vos omnis
mea spectat oratio: quæ non ad animi motum
impetumque dicendi, sed ad spem veritatis ob-
tinendæ, tota à me dirigitur. Fac igitur, quod
in te est, benignissime lector, quisquis es, ut
quò graviorem facit hanc orationem, loci &
rei ipsius amplitudo: hoc facilius tum lenitas
tua, tum audiendi æquanimitas minuat hanc
perturbationem meam.

Sed antequam de mendacijs Vaganeri dicō, de ipsius opinione & spe pauca dicam: qui, cūm videatur neque ingenio, neque usu atque exercitatione valere, tamen ad hanc causam non sine spe, & cogitatione venit. Iratam mihi esse nobilitatem, præsertim Suevicam & Francicam, non erat nescius, quasdam intercessisse offensiones animorum, & accusationes, ex alijs audierat, & multis in locis Germanicas pægellas, eiusmodi argumento lectas, & recitatas esse, meminerat. Cūmque apud nobilitatem de me, & contra me scripturus esset, fore putabat, ut in exulceratis animis facile fieri crima insiderent. Quamobrem hoc me primum metu, pie lector, per æquabilitatem tuā libera, ne aut huius Vaganeri, aut sociorum iniquissimis querelis, animum tuum præoccupatum suspicer.

Quanquam quid opus est ista rogare, & petere ab homine pio: qui neminem unquam iniquo præjudicio gravari, ne dum per vim, aut per calumnias, opprimi passus est? Itaque ad mendacia, & calumnias Marci Vaganeri re-ctâ accedo: in quibus tanta est varietas, tanta deformitas, ut multa ex his sibi ipsis, quasi adversa fronte repugnant, non pauca semetipsa subvertant: plætraque ita sint comparata, ut nullam veri similitudinem, aut speciem obtineant: Quemadmodum hoc suis locis apertissime docebitur. Vnde autem potius incipiam, quam

quam ab eo mendacio, unde Marciani libelli famosissimi ac futilissimi initium proficiuntur. Nam in prima acie Cainum & Nimbodum Vaganerus collocat, quos ego propterea sceleratos & profligatos homines dixeram, quod alter occiso fratre cum mala conscientia vexaretur, civitatem sibi ac suis posteris extruxisset: & deserta vita villatica & pastoricia, secessionem à suis parentibus fecisset, sequi ipsum ab Ecclesia Dei temerario ausu, se iunxit: alter vero Caini exemplum secutus, deserto rure, colonos in suam potestatem redigisset, ac tyrannidem sibi in Ecclesia Dei, usurpasset: factus venator hominum: quos ferarum ac pecudum loco habebat, atque crudelissime contrucidabat: tum quod impia quādam, & cæca ambitione inflammatus, ut nominis sui gloriam, ad posteritatis memoriam, propagare posset, & simul ab aquis diluvij, in posterum tutus viveret, arcem sibi ædificasset excelsissimam: quæ postea in contumeliam auctoris dicta est Babel: quasi confusio. Qua quidem re, ut sacræ nos docent literæ, commotus Deus ipsum auctorem operis, & adiutores eius dissipavit, totumque genus humanum, propter unius nefarij hominis scelus, immisca lin-guarum varietate, atrociter punivit.

Quæ sanè omnia & vera esse, & verè à me dici, scribique, testatur Spiritus sanctus, per Mosen Prophetam suum: testatur Iosephus,

testatur Augustinus, testatur tota Antiquitas,
 testantur omnes huius seculi Theologi: qui ve-
 terum vestigijs recte insistendo idem, quod e-
 go affirmant: & quorum etiā hic Vaganerus
 discipulum se esse, licet falsò, iactitat. Neque a-
 lio ego fine hæc exempla attuleram, nisi ut ve-
 tra esse commonstraré, quæ Terentius ille Var-
 ro, initio libri sui tertij, affirmat, & quæ ego ex
 illo transsumta, meę orationi verbo tenus inse-
 rueram: Urbana nimírum antiquorem mul-
 tò esse, vitam rusticam: propterea quod tem-
 pus fuit, cùm rura colerent homines, neq; ur-
 bem haberent: ideoque immani annorum nu-
 mero urbanis agricolæ præstarent: quoniam
 divina natura dederit agros, humana ædificâ-
 rit urbes. Quia verò non ignorabam, posteris
 temporibus, etiam à pijs & sapientibus viris,
 urbes & arces fuisse conditas: quorum quinq;
 enumerantur à Moysè, & auctor illarum Aslur
 nominatur, filius Semi, à quo Assyrij orti sunt,
 & reges Assyriorum, ut Augustinus alibi diser-
 tè comprobat: ideo expressè scripsi, quòd ur-
 bes initio fuerint inventæ, non à bonis & sapi-
 entibus viris, sed à pessimis quibusque. Dico
 autem INITIO. Nam hoc verbo ad primam op-
 pidorum, urbiumque originem respicio: quā-
 do de primis illarum inventoribus, Caino &
 Nimbrodo, tanquam de pessimis nebūlonib;
 loqui instituo: sicut iterum expressè dico, ur-
 bium & artiū structuras, cœpisse prima initia

asce.

à sceleratis & profligatis hominibus, Caino & Nimbrodo: quorum hic arcem , ille urbem ædificárit. Sed quia præstat audire , quid veneranda illa antiquitas , de Caini civitate , & de Nimbrodi præcelsa turri sentiat ac dicat : age proferam aliquot testimonia ex veteribus , ac novis scriptoribus. Iosephus enim de Caino affirmat, quòd metuerit sibi , ne à feris discerperetur, & quòd id circò signum à Deo acceperit , & quòd à Deo profligatus , nihilo melior , sed subinde factus sit deterior : & quòd prædādo ac latrocinando , domum suam spolijs & opima præda compleverit : & quòd familiares suos ad luxuriem ac latrocinandi studium invitárit : & quòd Doctoreorum , in sceleratis studijs fuerit , & quòd eam simplicitatem , in qua prius vivebant homines , inventione mensurarum ac ponderum permutárit: & quòd integrum illorum vitam ex istarum rerum ignoratione ad calliditatem & corruptelam perduxerit : & quòd terminos terræ primus posuerit , murisque muniverit , & quòd illuc coegerit suos cōvenire domesticos. Quare civitas illa revera nō fuit civitas , sed adiutrix fuit scelerū , officina libidinum , ac furorum receptrix.

Iohannes Calvinus (nam huius auctoritatem ne ipse quidem adversarius rei ciendam putat) in suis commentarijs , de hac re scriptū reliquit , quod Adam & familia eius , sub turgurijs vitam egerint: vel quòd etiam sub dio-

& arborib. quæsierint fortuita hospitia. Exul
verò Cain, quem Deus fugitivum vagari jussi-
rat, cùm privatis domus suæ parietibus, se tu-
tum minimè consideret; novum excogitarit
munitionis genus.

Item quod urbis condendæ libido Cai-
num incesserit, ut se à reliquis hominibus dis-
jungeret: denique quod formido, ex scelere
nata, hominem intra muros compulerit, ut
præter morem usitatam se communiret. Ex
quo manifestè est evidens, nihil à me scriptum
esse de Caino, quod non etiam alij ante me au-
ctores, tām veteres, quām recentes, in litera-
rum suarum monumentis post se reliquerint.
Quæ igitur hæc est mentiendi insania, quod
Vaganerus affirmat, Cainum à me dictum esse
primum in terris nobilem, à quo reliquio-
mnes nobiles certissimam ducant originem?
Quis enim hoc à me scriptum esse, potest hoc
loco animadvertere, aut etiam minima qua-
dam conjectura consequi? Atque ut maximè
ita scripsisset, sicut ille criminatur, tamen ni-
hil scripsisset novi, nihil inusitati. Annon e-
nim hoc ipsum affirmat Johannes Mathesius,
in sua Sarepta, quod scilicet primus in terra
nobilis fuerit Cainus: & quod prima nobili-
tas aquis diluvij unā cum Caino, fuerit absor-
pta? Cùm hoc igitur litiget Vaganerus, quam
diu volet; siquidē ferre nō vult, ut Caino prin-
cipiū nobilitatis, vel à me, vel ab alio quoquam
adscri-

adscribatur. Nam quod alibi nugatur de nobilitate Abelis, & de rusticitate Caini, id levius est, quam ut refutari mereatur.

Si enim vera nobilitas est *euyc̄ea*, ut huius Asini Sacco placet, quomodo nobilior sit Caino Abel? cum uterque ijsdem prognatus sit parentibus? Sin Vaganerus nobilitatem virtute, pietate, & iustitia metitur, nunquid Abelem verè nobilem fuisse ille dicet, & pij ac laudati Principis exemplar? Cainū verò pro fuligino so Cyclope, & crudeli Cétauro, ac nobili quodam latrone, habebit? Quæ porro hæc inscītia est, sive malitia tua, Vaganere (te enim iam compello) quòd tu civitatē Hanocham audes nominare pagum? Quid? locum muro munītum, tu etiam pagum, aut vicum audes dicere? Cedò, qua auctoritate? Becceselane. Affiras, nihil aliud quarto capite Geneseos de Caino scriptum legi, quam quòd civitatem condiderit, & eam de filij nomine Hanocham dixerit? Quid ais? an non interfecit Abelem, fratrem parricida Cainus? annon in desperationem summam salutis suæ pervenit Cainus? an non fugit è cōspectu Domini Cainus? annon trepidavit Cainus? annon mala cōsciētia adductus, novum & inusitatū genus munitionis excogitavit Cainus? Quid? an non ego te vecordem, non furiosum, non mente captum putem? qui ista omnia negas, de Caino esse, in sacris literis prodita; nihilque de ipso scriptū aliud, quam

quod civitatem cōdiderit, eamque de filij nomine Hanocham dixerit? Dicas fortè, ut est audacia, & impudentia tua, Vaganarre, Nimbordum tamen Caino meliorem fuisse, & omnino talem, qualis postea à te describetur. Audi igitur, quid de hac immani belua sentiat Iosephus, quid Augustinus, quid Lutherus ille, quē tu præceptorem tuum iactas: quid item Brentius, quid Calvinus, quid reliqui. Nam qui a tu Lutheranus dici gaudes, & renovatam concordiæ formulā, tibi per quam placere significas, hanc dubiè istorum, quos dixi, auctoritatem libenter admittes; præsertim cum intelligas, in eadem sententia fuisse Augustinum, & Iosephum. Sic enim de Nimbredo & socijs eius Iosephus loquitur, Homines, inquit, in contumeliam, atque contemptum Dei, elatos fecit Nimbrod, filius Cham, filij Nohæ: qui cū esset audacior & manu fortissimus, auctor illis erat, ut felicitatē Deo non referrent acceptam, quasi ea per illum hominibus contingere: sed ut eam propria virtute cōparari statuerent. Itaque cognatos à sua familia, ad exercendam tyrannidem compulit; & solus ipse constituit, homines à timore Dei abducere, ut spem suam in propriam virtutem reponerent. Putabant enim se illos ulcisci homines, qui timerent Deum, terris diluvium interminātem; ob quam rem turrim ædificādam suadebat alio rem, quā quo aqua posset pertingere. Hoc
 nimiruni

nimirum est *ανθρώπων*: hæc vox Iosephi qua Nimbrodi pietas & æquitas, cæteræque virtutes ab antiquissimo scriptore prædicantur. Et quis ad eò remotus est à mente, ut pius hominem esse censeat, qui nō ipse tantum contemnit Deum, & omnem felicitatem sibi ipse attribuit: sed qui etiam alios ad contemptum Dei, & ad propriam sui fiduciam, compellit? Quis eum virum iustum esse credat; qui non modò ipse latrociniatur, sed alios etiam ad eiusdem sceleris societatem invitat? Quis eum sapientem esse dum statuat, qui Dei pœnam, si quam ille minatur hominibus, opera atque industria humana prævenire cogitat? Tutam (inquit Augustinus) veramque in cœlum viam, molitur humilitas, sursum leuans cor ad Dominum, non contra Dominum. Sicut dictus est Gigas iste, venator contra dominum. Enaudis Nimbodum tuū ab Augustino dici gigantem; dici venatorem contra dominum. Quid? quòd idem Augustinus affirmat, ab hac superbia edificantur turris usque in cœlos, cuia impia significatur elatio, terrenā apparuisse civitatē, hoc est, impiorum civitatē? Cum enim duæ sint civitates, altera cœlestis & Dei, altera terrena & diaboli, quarum hæc vivit secundum hominem, illa secundum Deum: Gigas iste venator contra dominum dictus est: & de progenie maledicta exortus fuisse scribitur: Ideoque recte ab Augustino inter cives terrenæ & impiæ civitatis col-

tis collocatur, & ab ipso Spiritu sancto inter filios hominum recensetur. Quis autem adeo vecors est, qui Gigantem, contra Dominum insurgentem, dicat bonum virum, & pium? Quis adeo stupidus est, ut eum pro pio habeat, qui societatem hominum impiorum congregat? Quis adeo furiosus est, ut sapientem eum credit, qui ex impia elatione animi, turrim usque ad cœlū tentat educere? Tuus certè preceptor quem iactas, Martinus Lutherus, in suis commentarijs in Genesin, Nimbodo, quem ipsum è scorto natum suspicatur, nomen fatale fuisse dicit, à verbo Marad deductum; quod Hebreis significat rebellare, sive quod invaserit bello fratres, & maxime piorum familias, ut amplificaret fines suos: sive quod generatio hęc tum cęperit desciscere à filiis Sem, & à religione eorum, ac sibi quæsierit singulare imperiū super omnes filios Nox. Idem Lutherus ex Mose probat, quod Nimbodus cęperit potēs esse, in terris: non divino iussu, nec voluntate patrū Semi & Arphaxati; sed per tyrannidem. Et isthac affirmat nō sine cæde, & sanguine gesta esse. Fuit enim, inquit Lutherus, eius manus contra omnes tum ecclesias, tum politias, donec per tyrannidem sibi comparavit imperium, quod tamē non ad ipsum, sed ad Sem pertinebat: sicut etiam sacerdotium, Sed filium diaboli oportuit patri similem esse. Satan enim homicida est, & quod pessimū est (subiicit Lu-

cit Lutherus) nō vult tantum esse fortis ven-
tor in terris, sed etiam corā Domino : hoc est,
non tantum in politia voluit esse potēs, sed e-
tiam regnum tenere voluit in religione : eam
invadit, & in ea tyrannidem exercet. Verè igi-
tur (ut paulò pōst infert) Nimbrod est Aposta-
ta & tyrannus, vexator & direptor generis hu-
mani, ac postea persecutor & occisor sanctorū
hominū & verorum sacerdotū, qui coacti sunt
ei titulum, tam magnificum eripere, & homi-
num saluti consulere Eundem vocat idem Lu-
therus pessimum nebulonem, qui primò inva-
serit populum D E I & eam lineam, ex qua erat
nasciturus Christus. Quid tu hīc nares crīspas
Marce ? quid frontem corrugas ? quid palles ?
quid expectas ? Quid ? Tu ne à Iosepho homi-
ne Iudaico, ab Augustino cæterisque ecclesiæ
doctorib. obsoletis (ita enim est quorundam
audacia) te circumveniri, atque opprimi di-
ces ? Tuus te alter pater, quemadmodum dice-
re soles , Lutherus te circumvenit ? Tuus, in-
quam, Lutherus ; cuius tu nomen toties adver-
sus me allegas ? Nam hic Nimbrodum non vo-
cat sceleratum, sed impium, sed rebellem, sed
oppressorem piorum, sed tyrannum : nō dicit
profligatum hominē, sed homicidam, sed fili-
um diaboli, sed Apostatam, sed vexatorem &
direptorē generis humani, sed persecutorem
& occisorem sanctorum hominum & verorum
D E I sacerdotum, Nolo huc adferre, quæ in
eandem

eandem sententiam scribit Calvinus, quæ Mathe-
sius, quæ Lucas Osiander, quæ alij; ne ijs
percensendis, aut pio lectori, aliquod tædium
adferam, aut nimium excrescat mea oratio:
præsertim cū libri isti in omnium ferè studio-
sorum manibus, apud nos versentur. Vnius
tantum Calvini iudicium, de Nimbrodo ad-
dam istis superioribus: propterea quòd multi
sunt, hodie etiam è nobilitate præstantes viri,
qui huius doctoris auctoritatem, vel solam ad-
mittunt.

Ait autem Calvinus, quod Nimbrodus
quasi oblitus, se hominem esse, gradum altior-
rem occupârit; & quòd Noa, tum adhuc super-
stes, & magnus, ac venerabilis fuerit omnibus;
& quòd præstantium virorum talis tum fuerit
moderatio, ut æ qualitatem colerent cum suis
minoribus; qui spònchè magis eos revereban-
tur, quam imperio coacti. Docet & idem Cal-
vinus, quòd huius modestię fines turbaverit, &
perfregerit ambitio Nimbrodi; & quòd Moi-
ses suo elogio, inusserit huic tyranno æternam
proibri notam: denique de Nimbrodo affir-
mat, eum truculentum fuisse hominem, & bel-
uus propriorem, quam hominibus. Quod si au-
tem verum dicit Calvinus, si non mentitur Lu-
therus, si non nugatur Augustinus, si non fal-
lit Iosephus, facile possumus omnes intellige-
re, qualis fuerit illa Nimbrodi civitas.

Sin talis est civitas, quales sunt principum
mores

mores certè Nimbredi turris, arx fuit perditorum civium, receptaculum profligatorum hominum, castellum horribilis latrocinijs, bustū legum omnium ac religionum. Itaque mirum non est, quòd regnum istud, vi paratū nō fuit diuturnum, aut stabile. Quod enim citò fit, citò etiam perit. Evidem cōstat è Sacris literis, quòd Deus horribili pēna illos Gigantes afficerit, facta divisione linguarum. Quare nō modò cæptum illorū fuit impeditū, & turris profenso nomine dedecorata atque infamis redita, sed in posterū quoq; animi hominū dislocati, mores mutati, studia cōversa, homines ipsi in diversas partes distracti, & in varios locos terræ dissipati. Deniq; ex hoc malo aliud sectū, quo vinculū humanæ societatis propter tantā linguarum varietatē disruptum fuit. Et memorabile est, quod Augustinus è divinis oraculis; piè & religiosè colligit: de progenie Sem exortos esse, qui postea regnū Gigantis illius obtinuerint, & inde processerint atque alias civitates cōdiderint: quarū prima est à Nino appellata Ninive. Assur enim pater fuit Nini, ut apparet, & conditor Ninives de filij nomine appellatæ: à quo Assyrii nomen habent.

Atque hic Assur non fuit ex filijs Cham, sed ex filijs Sem, ut Moïses testatur. Itaq; avitam & paternam religionem tutatus est, & veram in sua civitate ecclesiam collegit; piosque cultus & Deo gratos instituit. Quare Deus vastata Babylone

Babylone Nimbrodi, (novam .n. Nebucadne-
zar condidit) hanc urbē Ninivem, caput primi
in terris imperij, esse voluit, eamque magnifi-
co titulo ornavit, ac civitatem magnam D e i
vocari iussit. Hac de causa Ezechiel Propheta
arbori fortissimæ, & latè patenti, eam compa-
rat. Quin etiam posteris seculis amore su-
um, erga hanc civitatem, D e s testatum fe-
cit: cū Propheta Iona illuc misso, cives ad pœ-
nitētiā revocaret, & agnoscentes sua delicta,
ac vocē Prophetę acceptantes, singulari qua-
dam gratia conservaret. Quæ omnia eò com-
memoro, ut intelligat pius Lector, principes &
reges Babylonicos nequaquam à scelerato, ac
perfido Nimbrodo, sed ab Assure, pio & sapi-
ente principe, exortos esse; neque Babylonem,
quæ ipso nomine civitas probrosa est, sed Nini-
ven, quæ civitas D e i erat, primorum regum &
Monarcharum sedē ad domicilium, totiusque
regni caput fuisse. Quare stolidi sunt, qui ex
Nimbrodo faciunt monarcham, ex tyrāno im-
peratorem. Si enim Nimbrodus fuit tyran-
nus, si persecutor piorū, si vexator & direptor
humanī generis, monarcha non fuit; aut si mo-
narcha fuit, tyrannus non fuit. Sed novitijs
Theologasti nesciunt discriminem inter Monar-
chiam, & inter tyrannidem. Itaque non est mihi
dubium, quin etiam Turicum tyrannum
pro monarcha habeant: & regnum Turicum
pro quinta monarchia; contrà quām sacræ ip-
sos

sos docent literæ, earumque siores inter-
pretes.

Agè verò conferamus nunc, Vaganerum
cum Iosepho, cum Augustino, cum Lutherò,
cum Calvino: non ut hominem, cum homini-
bus comparemus: ne qua talibus mortuis vi-
ris fiat injuria: sed ut impietatem cum religio-
ne, amorem scelerum cū studio virtutis, men-
daciūm cum veritate conferamus. Quid enim?
(ait Marcus) an nescit ille monetarij seditiosus
spiritus, quod Nimbrodus dicatur, venator
coram Domino, non ideo solùm, quia feras &
bestias sit venatus, sed quia alios prædones, &
latrones, ac facinorosos homines, per vim ce-
perit, & imperio, ac potestati suæ, subjecerit:
ut honesta societas vitæ, inter homines posset
coalescere atque consistere: quæ æquabili &
paterna moderatione diutius conservari non
poterat: postquam malitia hominum nimis
jam invaluisse? Præterea huic Nimbrodō
Devs prosperos & felices successus tribuit, ut
imperium suum legibus, ac judicijs, & justicia,
validoque præsidio constabilire, & communi-
re posset: tum etiam alios consceleratos & pro-
fligatos homines, si quid facto opus erat, ad
pœnam per vim retrahere. Quapropter iste
Nimbrodus præcipuus istis temporibus gu-
bernator, in terra fuit, non sine singulari & sa-
pientissimo Dei consilio. At nihilominus huc
dominatorem ranahæc coaxans, & impudens

scurra (his. n. flosculis ornat nos isthæc bestia) audet appellare sceleratum & profligatum hominem : hoc est, animal ex omnium scelerum importunitate, & flagitiorum sentina concretum : adeoque intus & in cute perditum. An autem hoc non est pulchre, & bellè colere magistratum ?

Hæc Vaganerus Germanicorum lingua: quæ nos utcunq; Latina fecimus, nihil addendo, nihil detrahendo. At obsecro te, pie lector, quomodo hoc Marci Eulogium, cum Mose, cū Iosepho, cum Augustino, atque cum illis ipsis congruit, quorum hic Marcus discipulus esse gloriatur? Quid .n. ego multa dicam, aut quid priùs dicta operosè repetā? An non Iosephus affirmat, quòd Nimbodus fuerit impius & ty rannus: qui alios etiam homines, & præcipue cognatos suos , ad exercendam tyrannidem compulerit? An non Augustinus firmissimè asseverat, quòd Gigas iste venator fuerit contra Dominum? quòd homo impius, quòd superbus, quòd impiæ civitatis conditor? An nō Lutherus ex Mose probat, quòd Nimbodus suo magistratu rebellârit, & fratres suos bello invaserit? Quid autem contra hæc Vaganerus? Nimbodum, ait, bonum & non contemnen dum fuisse magistratum: ut qui latrones & prædones, ac facinorosos homines, in suam potestatem redegerit. Quid? an non Augustinus dicit, quòd Nimbodus cor suum contra Dom inum

minum sublevaverit, & societatem impiorum
constituerit? Quid contra Augustinum Vaga-
nerus? Nimbredi ope & opera dicit, honesta
vitæ societatem, inter homines coaluisse atque
conservatam esse. Lutherus ex Mose ostendit,
quod manus Nimbredi, contra omnes Eccle-
sias, & politias fuerit: donec sibi per tyranni-
dem paraverit alienum imperium. Idem Lu-
therus Nimbredum apostamat, tyrannum, ve-
xatorem, & direptorem generis humani vocat.
Sed & Calvinus scribit, q̄ ambitionis huius Nim-
brodi, fines modestiæ turbaverit atque perfre-
gerit. Quid aut̄ contra Mosen, contra Lutherū,
contra Calvinum, Vaganerus? Nimbredum
affirmat præsidio legum & judiciorum, facino-
rosos punivisse: ut honesta societas inter ho-
mines coalesceret. Quid? An non Calvinus
disertè docet, quòd veri in Ecclesia principes,
ac præstantes viri, æquabilitatem coluerint, cū
suis minoribus: ut qui sponte magis parerent,
quam imperio coacti? Quid Vaganerus con-
tra? Nullum dicit in terris æquabilitati & mo-
derationi paternæ amplius fuisse locum, pro-
pter effrenatam hominum malitiam. Quæ au-
tem hæc est contradicendi libido? quæ insania?
Quem Lutherus vocat homicidam, & Diaboli
filium & patris sui similem: Quem Augustinus
appellat terrenæ, & impiæ civitatis principem:
quem Moses filium hominis, non Dei nomi-
nat: cum Marcus Vaganerus profilio Del, pro-

pio, laudatoque principe, pro conditore civitatis cœlestis agnoscit. Quid dicam de fatali poena, & summis calamitatibus, quæ hunc Nimbodum, & socios eiusdem repente exceperunt? An non enim Deus horribili supplicio, atque incredibili infortunio, istos Gigantes multavit, immissa varietate linguarum, dissipatis consilijs, opere ipso destructo, dissociatis animis, populo in varias regiones disiecto? An nō turris ignominioso nomine dedecorata, & per contumeliam dicta est Babel, quasi confusio? an non tyranno ipsi æterna probri nota inusta fuit: ut omnes tyranni & vexatores, & direptores hominum, ab ipso dicerentur Nimbodij? An non regnum huius Gigantis, celeriter ab ipso alienatum, atq; ad Assur, eiusq; posteros translatum fuit? Quid autem ad hæc omnia Vaganerus? Firmissime audet asseverare, quod Deus huic Nimbodo felices negotiorum successus, & stabile imperium concederit. Itaque huic facinorofo homini, meræ sūt gratiæ, quæ alijs horrendæ sunt poenæ: & quæ alijs extrémè calamitosa sunt, hic pro summè auspicatis, & prosperis habet, & quæ alijs videntur extrémæ miseriæ, atque ærumnæ, ea huic effrōti bestiæ, meræ sunt cōmoditates, meræ beatitates, meræ felicitates. Suprà audivisti, pie lector, q; inter alia Lutherus, de hoc Nimbodo cōqueratur, illum non tantum in terra fuisse potentem; sed etiā in Ecclesia regnū tenere voluisse:

religionem invasisse, & in ea tyrannidem exer-
 cuisse, adeoque omnes Ecclesias, omnesq; po-
 litias evertisse. At cōtrā hīc audis Vaganerum,
 alta voce clamitantem, quōd Nimbodus Deo
 acceptus princeps fuerit, qui suum imperium
 adversus impios & facinorosos homines legi-
 bus, judicijs & justicia constabiliverit. Luther⁹
 suprà dixit, Nimbodum fuisse persecutorem
 sanctorum hominum, & verorum sacerdotum
 Noæ, & Arphaxati: qui ei titulum tā magnifi-
 cum voluerit adimere, & hominum saluti con-
 sulere. At Vaganerus contrà, Nimbodum di-
 cit facinorosos, & cōsceleratos, ac profligatos
 homines, si quid factō opus erat, ad pœnā re-
 traxisse. Facinorosus ergo fuit Noa, conscele-
 ratus sē, profligatus Arphaxat: quib. ille Gigas
 vim atq; arma meritō intulit! An verò nondū
 vides, pie lector, quantæ intemperies, quantæ
 furiæ istum Vaganerum exagitent, amentiaq;
 afficiant? talia qui scribat: quæ tragicus iste O-
 restes, aut demens Athamas, non approbaret.
 Quē. n. Augustinus impiæ societatis collectio-
 rem vocat: quē Lutherus pess. in terra nebulo-
 nem nominat: quē Calvinus truculentū homi-
 nem, & beluis propiorem fuisse dicit, q̄ homi-
 nibus: eum Vaganerus præstantiss. vocat prin-
 cipem & magistratum, omnium literis ac lin-
 guis honorandum: adeoque ipsi Noæ (qui ta-
 men illis temporibus erat venerabilis) longis-
 simè anteponendum. Quid multis? adeo ve-

cors est Vaganerus iste, ut quem Lutherus aptè dicit, neque jussu divino, neq: voluntate patrum, Sé, & Arphaxat, ad quos pertinebat imperium : sed per tyrannidem factum esse potentem : de hoc ipse clarè vociferetur, præcipuum in terris dominatoré extitisse, haud sine numine ac sapienti consilio DEI. Si de Turca, aut de Papa tam honorificè scripsisset Vaganerus, an non censes æquanime Lector, quod Magdeburgenses eum constringendum putarentur? præsertim cum Lutherus dicat, Nimbrodum fuisse primum in terris Turcam, primum que Papam. Sed quæro à te M. Vagnere, Cur ego Nimbrodum sceleratum & profligatum hominem non dicam?

Num ille venator robustus & violentus homicida non fuerit? num illius crudelitas, & truculenti venatus, in proverbium non abierint?

Num ille alios homines ad exercendam tyrannidem non compulerit? non rebellârit? non invaserit suos fratres? nū Ecclesias & politias non vastârit? fines modestiæ sua ambitione non perfregerit? num veram religionem non polluerit? templæ DEI non expilaverit? num genus humanum non vexaverit? non diripuerit? num societatem & colluviem impiorum non constituerit? num inauspicatos, & infelices successus non viderit? num æterna ignominia notatus non fuerit? pœnam horribilem non subiverit? num sanctissimos DEI homi-

homines & veros sacerdotes non occiderit ?
 num pessimus Nebulo , primas in Ecclesia , &
 Repub. partes nō per vim occupaverit ? Quid ?
 tu me seditionis Monetarium , tu me ranam
 coaxantem , tu me impudentem scurram au-
 des nominare : Quia Nimbodum , pro scele-
 rato homine , & profligato tyranno habeam ?
 Seditiosus igitur erit Iosephus , q scribit , Nim-
 brodum fecisse elatos homines . in contumeliā
 & contētūm D E I : impulisse cognatos ad exer-
 cendam tyrannidem , abduxisse cives suos à ti-
 more Domini : ultum fuisse illos , qui vereban-
 tur D E V M : nisi tu isthæc mediocris , ac non sce-
 lerati , & profligati hominis esse dicas . Seditio-
 sus itē tibi erit Augustinus : qui hunc Nimbodum
 appellat venatorem contra Dominum , &
 Gigantem , & Superbum , & impiæ civitatis im-
 piūm principem ; & qui impiorum societatem
 constituerit , & cor adversus Dominum suble-
 vārit . Seditiosus Monetari⁹ tibi discipulo , erit
 præceptor Lutherus : qui rebellēm , qui tyran-
 num , qui filium Diaboli , qui homicidam , qui
 apostatam , qui direptorem ac vastatorem hu-
 mani generis , qui persecutorem , & occisorem
 sanctorum hominum & verorum sacerdotum ,
 qui denique pess. nebulonem hunc Nimbodum
 fuisse audacter affirmat . Seditiosus tibi
 erit Calvinus , aut impudēs scurra , aut certè co-
 axans rana , qui de Nimbodo affirmat , ipsum
 fines modestiæ perfregisse , æternā probri no-

tam accepisse: truculentum hominem, ac bellum propiorem, quam hominibus fuisse. Moses ipse tibi scurra erit, aus seditionis Monetarius, ut qui Nimbrodum vocat filium hominis, non Dei, venatorem robustum contra Dominum, non pro Domino, accensum inanis gloriae cupiditate, ut turrim altissimam edificaret, Deoque & sanctis hominib. ex ea arce bellum faceret. Quod si ergo hi homines tanto se scelere adstringunt, quantum tu Marce illis impingis qui tam male loquuntur Nimbrodo: jam ego nihil de me queror? Quin etiam gratias tibi ago, quod me ex numero horum virorum se jendum non putasti: unum hoc de te quarto, qui Mosen, qui Iosephum, qui Augustinum, praecceptores tuos. Lutherum & Calvinum, seditionis facis Monetarios: sis ne Theologus, an intolerandus ex cæno, nescio quo, atque extenebris Matæologus? Nimbrodum, n. pium, ac non contemnendum magistratum dicendi, quam potes afferre causam? quam habes auctoritatem? quam legem? quod jus? quod probari auctoris testimonium? quod exemplum? Et quid obsecro aliud est furere, nisi non cognoscere homines? non cognoscere leges, non iuria, non testimonia, non exempla vetustatis? Nemo veterum est, nemo recentium auctorum, qui Nimbrodum dicat, fuisse bonum principem, propugnatorem iusticiæ, domitorem latronum ac facinorosorum hominum, conditorem

torem diuturniac stabilis imperij: excitatum
 divinitus, conservatum à suis, munitum præ-
 sidio legum & iuris: ornatum felicibus & pro-
 speris successibus; tu unus repertus es hoc se-
 culo, Marce Vaganere, qui isthæc absque omni
 iudicio ausus fuisti, in publicum promulgare,
 nulla suffultus veterū auctoritate, nullo proba-
 ti scriptoris testimonio fatus, nullo exemplo
 antiquitus communitus. Quæ igitur pravitas
 te tenet? qui tantus furor? ut cum inaudita &
 plane aliena à sacris literis afferas, Theologi-
 tamen, & historici nomē, tuis inanibus, & bar-
 baris opinionibus ausis pretendere? Et quis tu
 homo es, qui me tam alto supercilie despicias;
 ac si ego de sacris Biblijs nihil unquam audie-
 rim, multoq[ue] minus ea viderim aut legerim?
 Tunè Theologiam me doceas: aut te magistro
 ego condiscam, quanti Cainum & Nimbrou-
 dum, & utriusque civitates facere debeam? Abi
 hinc directè in malam crucem, cum istac tua
 religione, scelus. Ego enim melius omnem
 priscam; & novam religionem didici, quām
 vel tu Afine, vel improbus ille Saccus tuus di-
 dicit: qui mendacissimo, & nequissimo libel-
 lo tuo præfationem ausus est præfigere, ac sor-
 didæ merci propudosam hederam suspende-
 re. Quid? Egōne, harum pecudum & pu-
 tridarum carnium consilio, aut præsidio Theo-
 logico, nisi possem ab his ne proiectis cadave-
 ribus quicquam mihi, aut pietatis, aut solidæ

doctrinæ expectandū sit? Nolo hic quicquam
 in eos dicere gravius: nolo acerbius retorque-
 re in auctores suos acceptam iniuriam: quan-
 quam possim. Nemo enim non videt, quo spi-
 ritu agantur isti homines: qui Nimbrodum re-
 bellem & seditiosum tyrannū, tam acriter de-
 fendunt, tam honorificè extollunt, tam magni-
 fics verbis deprædicant. Annon enim hoc
 idem iam olim fecit Thomas Monetarius? fu-
 os exhortatus agricultores, ut hunc Nimbrodum
 sibi pro incude habeant, ubi suos acuerent en-
 ses, ad cædem optimorum civium, ad pernici-
 em magistratum, ad interitū senatus; ad in-
 ternetionem sanctissimorū regum, & prin-
 cipum? Et quis non animadvertisit, hunc plau-
 strarium, (id enim vox Vagneri Germanicis
 significat) ex Nimbodo sibi officinam parare
 plaustrariam: ubi suis cliētibus esseda, rhedas,
 farraca, pilenta, petorita, covinos, & currus fal-
 catos fabricet, ad evertenda monasteria, ad oc-
 cupandas arces, ad opprimendos reges, ad oc-
 cidendos principes? Ac nescio profecto, quo-
 nam fato accidere dicam, quòd tantam ambo-
 isti seditionum auctores, inter se obtineāt mo-
 rum, vitæ, studij, ac patriæ similitudinem. Si-
 cut enim Thomas Monetarius, homo fuit va-
 gabundus & vertiginosus: ita Marcus Plaustra-
 rijs, sive Vagnerus, erro est levissimus, & Pa-
 nagæa Diana magis vagabundus; ut quitotis
 triginta annis, per mare, per terras, per mon-
 tes,

tes, per nemora, per saxa, per imbræ longæ
lateque, ut ipse met iactat, in omni Europacir.
cum volitavit.

Et sicut Thomas Monetarius, Theologi E-
vangelici nomen sibi usurpavit; ita etiam hic
Marcus Plaustrarius vitæ genus Theologicū,
& doctrinam Evangelicam assimulat. Et sicut
Thomas Monetarius, Martino Luthero se op-
posuit tam voce, quam calamo: Ita Marcus
Plaustrarius manifeste oppugnat doctrinā Lu-
theri, & veterum recentiumque Ecclesiæ scri-
ptorum. Et sicut Thomas Monetarius, Nim-
brodum sibi, incudis loco habuit; ubi enses fa-
bricaret adversus magistratus: ita M. Plaustra-
rius fabricam istius tyrani, suam facit. Et sicut
Thomas Monetarius Saxo fuit: ita etiam M.
Plaustrarius Saxo est. Quare per omnia similes
sunt; neque quicquā alter ab altero discrepat,
nisi quod Thomas Apostoli, Marcus Evangelii
stæ nomen iniquè sortitus est; & quod ille a-
gricolas ad arma incitavit; hic nobilitatem ad-
versus principes, & reges suos extimulare ag-
greditur. Neque enim temerè est, quod qui-
dam ex illo Vaganeriano grege, publicè affir-
mavit: Rusticanum tumultum A. fuisse; nobi-
lium verò seditionē B. futuram esse, O terribi-
le Alphabetum: quod ne magistrum aliquem
ludi inveniat, qualis est hic Plaustrarius, sedu-
lō tum omnibus nobis, qui patriā saluam cupi-
mus, tum in primis illis, quos D^r vs optimus

Max.

Max. sumis reipub. gubernaculis admovit, iam
 deinceps cavendum erit. Detigitur operam,
 Divus Imperator dent Electores ac pij princi-
 pes, ne ab hoc turbulēto homine, eiusque mo-
 nitoribus, Respub. Germanica aliquid detri-
 menti capiat. Sed pergendum ad alia huius ne-
 bulonis mendacia: quorum ille in primo hoc
 congressu aliquot cumulavit, & aliquot insu-
 per crimina falsi commisit. Ait enim, scriptum
 esse à me, quod nobiles suū ortum à Caino &
 Nimbrodo, hominibus sceleratis & profliga-
 tis deducant. Vbi quæso, hoc scriptum est Va-
 ganere? ubi est frons tua? ubi est os tuum? Ais
 tu à me affirmari, quod urbes ac arces, posteris
 temporibus, cum iam imperia divinitus essent
 constituta, non sint extuctæ à pijs & sapienti-
 bus Monarchis, sed à sceleratis & nequā viris:
 Et quòd non sint inventæ ad societatem, &
 vinculū humani generis? Et quid non? Nus-
 quam à me hoc scriptum est, nusquam in mea
 oratione, quam tu neque vidisti, neque legisti,
 inveniri hoc potest. Ais præterea, me ab uni-
 us Nimbrodi exemplo, generatim colligere,
 omnes reges & principes fuisse sceleratos &
 profligatos, quicūque oppida, aut castella, aut
 urbes magnificas condiderint. Vbi quæso ita
 colligo Marce? ubi ita argumentor? pfer unā
 syllabam, si potes. Ait item homo amens &
 vecors, huic argumento cætera omnia, tanquā
 basi insistere; quod cum ortum trahat nobili-
 tas à

tas à Caino, & Nimbodo, omnes propterea
 nobiles, tam boni quām mali, sint è medio tol-
 lendi. Ego verò de nobilitate hic nullum ver-
 bum facio, ac demū post multas pagellas, vi-
 tam quorūdam Centaurorum, & Cyclopum,
 cū vita veterum agricolarum, comparare insti-
 tuo. Quare si non acerrimè fureret Vagnerus,
 nunquā ille Enthymema ex reb. antecedētib.
 & consequentibus, tam procul à se invicem re-
 motis, tamque longo intervallo inter se distan-
 tibus cōflare ausus fuisset, sed quia mentis suæ
 compos non est, aliud nobis Enthymema, à fu-
 riōso homine expectandum non erat. Solet
 enim isti hominum generi inter cætera mala,
 etiam hoc accidere, ut medium in argumētan-
 do terminum invenire nesciant, neque etiam
 membra probationum aptè inter se possint
 connectere. **E T H A C T E N V S Q V I D E M**
R E S P O N D I A D V N V M C R I M E N , & o m-
 nia tela adversarij depuli, quibus ille pro Caino
 & Nimbodi civitatibus, tanquā pro aris &
 focis suis pugnavit. Nam fretus prēsidio Iosephi,
 Augustini, Lutheri, & Calvinī, quos po-
 stremos Vaganerus, non pro amicis sed pro
 fratribus, non pro magistris, sed pro patribus
 agnoscit, ita confregi ista in me coniectatela,
 ut ab adversario post hac nunquā possint resti-
 tui: licet omnes ille ingenij sui neruos inten-
 dat: & licet Saccus ipse omnē suam Theologi-
 am huius Asini clitellis imponat. Nunc ad ea
 me con-

me confero, quæ M. Vaganerus in tribus illis
 pagellis calumniatus est; ubi à me vita quorun
 dam nobilium Cyclopica, cū vita veterū agri-
 colarum laudabili, cōparatur. In hac autē par-
 te defendenda sic versabor, ut primò ostendā,
 quid culpaverim, aut quos homines perstrin-
 xerim, Deinde qua auctoritate, quo ve exem-
 plo id fecerim. Postremo quid in singulis istis
 carpat Vagnerus, & quā malitiosè ac sceleratè
 tam aliorum, quā mea dicta calumnietur. Sunt
 autem quinque omnino vitia, quæ in istis tri-
 bus pagellis, quas dixi, à me reprehenduntur,
 aut potius veterū agriculturarum virtutibus, cō-
 parandi caussa, obiter saltem opponuntur. Pri-
 mum est manifesta impietas in Deū: alterum
 rebellio & contemnus magistratuū: tertiu cru-
 delitas & vis. quæ infertur innocentibus: quar-
 tum præfacta & insolens superbia: quintū au-
 lica perfidia, & ministrorū erga Dominos infi-
 delitas. Atque hæc alio fine non cōmemoro,
 nisi cōparandi, ut dicebam, caussa: ut ostendā,
 veteres agricultoras fuisse sanctiores, ac meliores,
 quā Cyclopes cōtaminati talibus flagitijs, atq;
 eiusmodi inquinati sceleribus. Neque enim vi-
 tæ genus cū vitæ genere, neque ordinē cū ordi-
 ne, sed vitam cū vita, mores cū moribus cōpo-
 nere instituo. Quæ igitur impudētia est adver-
 sarij, quod roties affirmare audet, ista omnia à
 me scripta esse animo caluniandi nobilitatem,
 tamque alijs invisam & fœtidam reddendi?

Quasi

Quasi verò vitia malorum reprehendere, &
 accusare sceleratos, sit calumniari? quasi etiam
 scriptores, cum vitia infestantur nobilium,
 reddant nobilitatem ipsam fœtidam, malè de
 malis loquédo? aut quasi non ipsi nobiles, suo
 ordini hanc labem aspergant, malè vivendo?
 Quæ porrò tā est effrenata hæc audacia, quod
 toties Vaganerus firmissimè asseverat, hæc o-
 mnia eo consilio à me scripta esse, ut tumultus
 per me excitetur rusticanus: & ut agricolæ
 hortatu meo, contra nobilitatem, ad arma
 provocentur? Quasi vero indocti rustici La-
 tinæ orationes intelligent? & quasi ea, quæ in
 scholis recitantur, ad rusticos potius, quam
 ad scholasticam iuventutem pertineant. Ob-
 secro te, pie lector, quis credat illum hominē
 sanæ mentis esse, qui isthæc, de tali oratione,
 qualis hæc tota est, de vita rustica, affirmare
 ausit? Egōne seditioni dem operam, qui sedi-
 tiosos & rebelles Magistratui, tam acriter vi-
 tuperō: qui immorigeros tam graviter culpo:
 qui rusticos nostri tēporis malos, suo loco tam
 acerbè insector? Magna hæc est, sive huma-
 næ, sive Martianæ naturæ pravitas, quod ferè
 semper homines seditioni, alios ex suo ingenio
 iudicant, & quod plerunque suam culpam, in
 quosvis alios innocentes, qui ipsi nocētissimi
 sunt, malitiosè transferunt. Quod sanè ma-
 lum evenire mihi, quid mirum sit? quādo hoc
 ipsum cōservator ille, & redemptor humani ge-
 neris

neris Christus Opt. Max. expertus est: cùm n. seditiosos Iudæos, Romano Imperatori subindè rebellantes, ipse ad obsequium cohortatur, eosque commoneret, ut quæ Cæsaris sunt, darent Cæsari, quæ D e i, darent D e o: An non postmodū à Pharisæis & scribis quidam extiterunt, qui palam diceret, hominem ipsum esse seditiosum; qui stipendum Cæsari prohiberet dependere? Et quis nō videt Marcus hunc Vagnerum, similem esse Pharisæum, similem scribam; qui eam ipsam ob causam, me audet seditionis insimulare: quia seditiosi, ac rebelles nobiles à me culpatur? Quare tam manifesta est hæc calumnia, ut ea, etiam tacente me, semetipsam suopte iudicio prodat.

Quomodo enim seditiosus sim ego Vagane ro, qui primos seditionum autores, Cainum & Nimbrodum, passim vitupero, quos tamen iste seditionū hostis, tantopere laudat; ut eos etiā pro magistratu agnoscat? Quid? quod ne illos quidē laudo, qui suis se opponunt Episco pis, suis principibus, suo imperatori; & qui ventris gratia & dignitatum studio incitati, quam vis religionē simulant ac dissimulant? Quo ex genere præcipui sunt, qui Casparis Schyvenc feldij, nobilis Silesij, deliria amplectuntur; homines omnium in religione horarum, & qui se tamen omnium longè optimos, ac sanctissimos esse opinantur. Nam hi, filios suos Pontifici Romano, quem alias execrantur & detestantur,

Rantur, inaugurarī & consecrari patiuntur.

De his Lucas Osiander, quem etiam supra dominavi, in altero Antisturmio, loquitur, in eandem mecum sententiam, & ijsdem propositum verbis eos depingit, quibus hoc loco à me delineantur. Hoc, inquit, Schvvenckfeldianis usitatum est, ut de religione suorum domesticorum parum solliciti, ipsi suas imaginationes & internas revelationes sequantur. Itaque etiam quidam Schvvenckfeldiani, etsi Papatum improbant, tamen filios suos Canonicos faciunt, propter pingues illas, ut vocant, præbendas.

Et in hac parte Schvvenckfeldianismi latet etiam Epicurismus. Hæc ille. Quid autem aliud est, internas revelationes sequi, quam vel le se in religione optimum & sanctissimum videri? quid aliud est, improbare Papatum, quam religionem Pontificis non magnificere? Quid aliud est, Canonicū fieri propter pingues præbendas, quam laudare & sequi Pontificem propter luculentos Canonicorū focos? Sequitur nunc alterum vitium, quod ego in nobilitate taxo: nempe quorundam rebellio & contumacio Magistratus tam Ecclesiastici, quam Politici. Sunt, n. aliqui in ea opinione, quod credūt, sibi omnia licere impunè: ppter ea quod sint nobili satu orti, & ex veteri familia procreati.

Atque utrobiq; peccandi licentiā eò progressam esse ostendunt, nunc quidā totos se à

DE O avertant, & Sathanæ se mancipent: quæ sanè res auditu horrenda, & dictu incredibilis, facto ipso abominanda est: Quidam verò de suis principibus, quibus non possunt malè facere, malè saltem, & contumeliosè loquantur.

Atq; hoc idem testatur Hartmañus Schopperus, qui in eandē mecū loquitur sententiā: ubi ad Maximilianum secundum Imperatorē, sanctissimæ recordationis principem, in Renica vulpecula affirmat: quòd, postquam desierint ludi equestres, nunc apud nobilitatem, indies omnia magis magisq;, pœnis deficientib. accrescant flagitia: & quis, inquit, verè nobilis, quis generosus ea puniet? num qui ipse immersus vitijs volutatur fœdiss, sibi que ipse disfudit, ne redarguatur: & ex proprio oculo festu cā extrahere jubeatur? Sed novi ego, quæ hoc loco animis quorundam scolorum obrepturæ sint cogitationes. Nam alij dicent, Schoppero, & mihi idē non licere, quod Luthero licuit. Nam reprehensiones vitiorum, ad solos ministros Ecclesiæ pertinere, & has culpandi partes à scholarum professorib. removendas censem. Alij licere quidē ludimagistris, ut culpent, castigentq; tām nobilium, quām ignobilium vicia, concedent: sed importunum esse dicent, ut orationes eiusmodi, quæ in scholis recitātur, in publicum deinde evulgentur. Audio sanè, quid illi obijciant: sed audiant & ipsi, quid illis ego respondeam. Non n. illis respondebo,
ut vi-

nt viris bonis & sapiētibus, sed ut malis & stultis : & quidem secundum illorum stultitiam : ne sapere videantur.

Nam primum apud omnes hoc in confessio est: quod liberi, pr̄fertim nobiles, & qui manū ferulæ libenter subducunt: potissimū ob hanc causam, à suis parentibus, in scholas & Academias mittantur, ut nō modò bonas literas: sed in primis, ut bonos etiam mores addiscant.

Quare bonum esse professorem ac ludi magistrum haudquaquā eum judico, qui veteres historias & Poëtarum fabulas ita legit: ut inde nihil adferat, quod vita communi pro sit, nihil observet, nisi inanem verborum strepitum: & elegantes sine mente sonos. Et quis nobilis ruborem non inde concipiat, quando à Cicerone, à Salustio, ab Horatio, à Iuvenali, à Persio, quos homines Deo à societate vite cœlestis exclusit, mores suos tam acerbè notari ac p̄strinigi audit. Hærent quippe in animis iuvenum, quæ in scholis dictantur & recitantur: eaque omnem postea illorum ætatē consequi solent.

Quid? quod maior potestas data est Philosophis & Poëtis, insectandi vitia: major libertas cōcessa in scholis, notandi mores hominū, quam in Ecclesiæ & Reipublicæ administratio ne? Nam in aulis & curijs regum ac principū, sunt aures molliculæ, quæ plerunq; demulcenda sunt ac leniter fricandæ. Porrò si cuivis ministro Ecclesiæ licitum est, ut sermones à se,

ad populum in Ecclesia sua habitos in lucem
 possit edere, & cum alijs etiam communicare,
 cur quod alijs licet omnibus, hoc solis Acad-
 miarum professorib. non liceat? aut quonam
 imperij edito vetitum est, ut Oratores & Poë-
 tæ suas orationes, quas in scholis habent, typis
 evulgare non audeant? Faceant igitur sciol-
 rum hominum de nostris orationibus judicia,
 & stultorum palponum ora, jam deinceps con-
 ticescant: nisi fortè à nobis obturari, & intra
 metas suas compingi optant. Quod si fuerint
 aliqui, qui nomina istorum, quos culpo, scire
 ex me cupiant, præsertim eorum, qui se ita mā-
 cipârint Sathanæ, ut neq; cubitum eant; neque
 cubitu surgant, neq; alter alterum salutet, nisi
 interposito Cacodæmonis nomine, his ego i-
 ta responsum volo. Quia ego vitia magis quam
 personas reprehendo: & quia hæc portéta ho-
 minum, neq; nomino, neq; digna esse censeo,
 quorum nomina ad ullā posteritatis memoriā
 literis transmittantur: idcircò ab alio quovis,
 quam à me istud perquirant. Si enim Ephesij
 edito caverunt, ne quis eum hominem nomi-
 naret, qui celeberrimum Dianæ templum suis
 manibus incenderat: ut ea re aliquam nomi-
 nis immortalitatē consequeretur: multò mi-
 nus isti Cyclopes nominatim in literas referē-
 di erunt: qui à C H R I S T O, in cuius nomen sunt
 baptizati, ita se averterunt: ut malint esse filij
 Diaboli; quam servatoris sui C H R I S T I: larvæ
 potius

potius hominum, quam homines, & qui ipso
facto & omnium hominum sermonibus, non
meo scripto existunt infames. Venio ad tertium
scelus, quo impulsi quidam Centauri, in suos
subditos grassantur, & quorum vim debuerat
defendere, illis ipsimet vim inferunt, adeo ut
se penumero cives tam suos, quam aliorum in-
terficiant. Quin etiam prædantur in vijs & la-
trocinantur: & facta conspiratione catenaria,
seu potius Catilinaria, noxas aliorum, vi arma-
ta & bellica, mutuis operis tueri ac defendere
conantur. In hos gravem fert justamque sen-
tentia Erasmus Roterodamus in eo libro, que
de Institutione Christiani matrimonij, ad Ca-
tharinam Angliae reginam scripsit. Sed quid
prohibet integrum locum huc apponere: ut
videas, pie Lector, quam meus & Terentij a-
nimus, cum Erasmi verbis ac mente congruat.
Nunc, inquit, apud nonnullas nationes inane
nobilitatis nomen, impunitatem adfert scele-
rum. Etenim si pyraticam, aut latrocinium ex-
erceat plebeius, in rotam subigitur: si eques,
aut qui minimum nobilitatis fingere possit: &
si quam habet turriculam, latronum speluncam,
bellum appellatur: quod aliquoties indicatis,
qui pedem ubi ponat, non habet. Vnde talib.
jus indicendi bellum? unde jus sub belli simu-
lati prætextu, in publicis vijs, in alienis ditio-
nibus spoliare quoslibet?

Quoties ad aleam, scortationes, potationes,

deest pecunia, ad belli confugitur & hostis est,
 quisquis habet aliquid ad prædam idoneum.
 Principes ac Cæsar optimè mereretur de reb.
 mortaliū: si talia portenta tolleret è medio cū
 suis equis & turribus : nec sineret illis, in faci-
 nore deprehensis, in aliud prodesse generis ti-
 tulū, nisi ut, velut eminentes, in altiorē rotam
 tollerentur. O parentū dementiam, qui putat
 rectius consultum filiæ , si tali equiti nupserit,
 quām si bono agricolæ, aut perito fabro. Hæc
 Erasmus : & ego ex Erasmo ad verbum. Quæ i-
 gitur tua M. Vaganere, pervicacia est: quæ tam
 effrenata & immanis mentiendi libido? quod
 decies affirmare audes, à me scriptum esse, &
 quidem è proprio scrinio pectoris, quod oēs
 nobiles: omnes, inquam, nobiles, boni juxta ac-
 mali, absque omni jure judicioque sine omni
 exceptione, in rotas sint tollendi: quandoqui-
 dem illi præ alijs eminere cupiant. O frons! ô
 os! Et quis unquam audivit, in quenquam ho-
 minem atrocius mendacium à quoquam dici,
 quām istud in me est dictū: & publico scripto
 in vulgus promulgatum? Nolo reliqua, quæ
 huic cōjuncta sunt, mendacia omnia enumera-
 re: neq; .n. opus est, nec fieri ullo modo potest.

Tantummodò ea, quæ præcipua sunt, & quæ
 semetipsa produnt, obiter attingam.

Neq; .n. ita se gessit in suo scripto Vagane-
 rus, tanquam aliquando rationem esset reddi-
 turus: sed prorsus ita, quasi aut reus nunquam
 esset

esset futurus, aut quò plura diceret mendacia,
 eò minori periculo in judicium esset venturus.
 Nam quod obijcit mihi Vagnerus, scribi à me:
 Si unum noris, omnes noris, primò crimen
 falsi est: non enim scripsi, si unum noris: sed
 scripsi, hīc unum noris. Quid quæso illud hīc
 Vaganere? an tu frustrà putas à me fuisse addi-
 tum verbis Terentij? Nemo certè Grammati-
 cus tam indoctus, tamq; imperitus est, aut tam
 iniquus rerum arbiter: ut non intelligat, quo-
 nam referenda sit particula Hīc, pronominale
 adverbium: quemadmodum in scholis loqui-
 mur. Cùm n. verba, quæ proximè præcedunt,
 de ea conspiratione loquantur, quæ fit in per-
 niciem innocentium, nemo non videt voculā
 Hīc ad præcedentia referendam esse: ubi ni-
 hil aliud dicitur, quām si quis de tali conspira-
 tione norit unum, is omnes cæteros conjura-
 tos norit? Verba enim intelligi debent secun-
 dum materiam subjectam, ut jurisconsulti do-
 cent. Quid? quod manifestum est, inter bo-
 nos & malos discrimen à nobis, eo ipso in lo-
 co constitutum, ac posteà copiosius repetitū
 & explicatum? Vbi scilicet ego probos nobi-
 les, ab omnibus meis præcedentib. reprehen-
 sionibus bis excipio. At nihilominus tamen
 neq; ista particula, quā verbis Terentianis ad-
 dideram, neque ullo discrimine, q; constiue-
 ram, infuscatas sycophantarum calumnias effū

gere potui. Sed quænam perimmortalē DĒVM
 hæc iniuria est, è duobus & viginti verbis, inte-
 graque veteris Poëtæ sententia, tantum qua-
 tuor prima verba excerpere, eaque non ex se-
 quentib. quæ præcedentium mentē declarant:
 sed è proprio capitis figmento interpretari: ut
 ea, quæ malos tantùm feriunt, in bonos detor-
 queantur? Hic ego te, Vaganere, non Aristar-
 chum, sed Phalarim Gramaticum habeo, qui
 non notam, sed rotam apponas ad versus Te-
 rentij: & qui tam veterem, quām novum Poë-
 tam armis persequare. Nescis. n. quid illud hīc
 significet, aut si scis, veteratorius tibi est ani-
 mus, qui id simulas nescire, quod scis. Ac pro-
 inde verberibus opus est illi, non verbis, quite
 asine, Latinas velit docere literas. Non enim
 scripsi, si unum noris, omnes noris. sed scripsi,
 Hīc unum noris, ubi unus in noxa est, cæteri ad
 defendendam causam adsunt, hīc, inquam, o-
 mnes noris: hīc affirmo similia esse omnia: hīc
 dico omnes inter se convenire, ubi unus in no-
 xa est, cæteri ad defendendam causam adsunt:
 hīc, inquam, ubi Cyclopes aliqui in perniciem
 aliorum conjurant: hīc, inquam, ubi non valet
 jus, sed vis: ubi non justo, sed hasta: non & quo,
 sed equo: non chartis, sed lacertis: nō legibus,
 sed legionibus prædonum, ac manipulis furū,
 res geritur. Ulricus Huttenus eques Francus,
 vir verè nobilissimus ac doctissimus, in dialo-
 go de prædonib. maximū judicat esse dedecus:
 inve-

inveniri hominem nobilem, qui latrociniū fecerit: talesque ordine amovendos esse censet, & affinitatem eorum fugiēdam. Idem hic affirmat, aliquos nobiles, & bono loco natos fuisse, qui ob scelus pœnas dederint, neque illorū cognationes & amicos iniquè tulisse, ut qui sci rent meruisse, quod evenerat. Quid q̄ leges ipse, & sacra iura præcipiunt, illa delicta gravius esse punienda, quæ ipsa dignitate augentur, & quæ prætextu, aut colore dignitatis cōmittuntur. Nobilem errantem in fide, peius punendum esse dicunt Canonistæ quàm ignobilem: propterea, quod gravius in DEV M peccet, qui suam illi nobilitatem debet, si in religione erraverit, quàm ignobilis. Et Baldus affirmat nobilem gravius puniendum, si contemnat mandatum principis, quàm plebeium. An autem tu Marce, gravius esse putas, errare, labi, decipi in religione, præsertim hoc tempore, animis hominum in tot sectas distractis, quàm prædarri, grassari, latrocinari? Atque heus tu bustuarie grassator, cui Erasmi sententia tantopere displicet: quā tu causam ad nobiles, & paucos quosdā instigatores tuos, aut quod os afferes; quibus iam præscribis, quanto illis probro futurum sit, si te defendant: cum tu mihi Erasmi sententiam in maledictis obijciēdam putaris? Qui enim istius modi sclera faciunt, ego quæ reprehēdo: & qui homines levi de causa, ad necem neverberant; & qui non iure, sed vi agunt

an hos quisquam nobiles esse existimabit? Qui latrones igitur? si hi sunt verè nobiles: qui predones? qui Tyranni nominabuntur? Et quæ, obsecro, erunt propugnacula ocij publici? qui muri tanquillitatis? si hæc fatalia portenta & prodigia Reipublicæ, sunt habēda pro verè nobilibus? Non possum hoc loco præterire silētio, quod nuper admodū hoc ipso anno, quo hæc scribo, & ex hac ipsa officina libraria, unde ista prodeunt emissus est liber V Wolfgangi Hungeri professoris Ingolstadiani, viri certè non indocti, neque obscuri in sua patria nominis: liber, inquam, adversus Caroli Bovilli tabulas conscriptus. In eo libro ad finem hæc leguntur:

Cùm verò ad priscos mores (inquit Hungerus) respicis, quin verò ad eam duntaxat vitæ integratatem, & victus frugalitatem, quibus patres avique honorū nobilium claruere, Di immortales, quantam hodie in universa Germania videoas rerum mutationem! Sunt expri maria nobilitate, qui maximas pecuniae summas ponunt in usuris: & centesimis nequaquam possunt esse contenti: cum interim rerum omnium, sub Sole, nihil ipsis sit magis impium, & proinde scilicet etiam exosum, quā mercator dives & copiosus; etiam si magnis laboribus. & infinitis periculis, multa undiq; in publicā utilitatem Germaniæ apportet, Nihilo æquiores sunt in eos, qui aliquādo honestissimè negotiati,

ati, quibus nō minima ex parte debemus, cum
cultum & humanitatem. quibus nūc splendet
Germania, nunc quā fitis contenti, se in agros
& possessiones contulerunt. Breviter ut si un-
quā olim, nunc equidem nobiles nostri, longē
fortissimē tuētur illud equestre dogma, quod
apud Erasmus Nestorius Harpalō præscribit,
ius fasque esse nobili, plebeium negotiatorem
exonerare pecunia. Hinc tot Snaphani, tot præ-
dones, qui nō modo immerētes negotiatorēs
nullo iure, nulloq; titulo diripiunt: sed poten-
tētissimas etiam urbes, & principes maximos,
quovis prætextu vexant, terrificis incursioni-
bus & exitiosis incendiorū vastationib tum ha-
minum quoq; captivitatibus, cædibusq; & in-
summa, omni genere prædationis & latrociniij.
Neque enim aliter iure consulti nostri Ethnici,
bella adeo tetra & impia nominare possunt.

Qui prædones hosce receptāt, sunt tantum
ex nobilitate; & proculdubio plurimi; cùm si
ne receptatoribus nemo facinorosus diu late-
re possit: qđ Martianus noster inquit. Nihilo
autem minus impius & nocens (quod idē ait)
est receptator, quā receptus: ideoque pari no-
ta, & suppicio dignus. Eodem loco apud vi-
ros cordatos statuuntur, qui cōducti quavis sti-
pe in quodvis bellum procurrunt, non aliter,
quam ad convivium, qui ad honestas res vix vl-
lo pretio conduci queant, ut in colloquijs, nō
minus vere quam festivē narrat Erasmus Rote-
terodamus.

rodamus. Ac horum quidem, vel maxima turba est, ad nihil aliud conduci solita, quam ad homines Christianos, à quibus nunquam sunt læsi, iugulandos: non secus ac lanij, ad mactandos boves conducuntur. Hactenus Hungerus. Et quisnam fuit ille Hungerus? an nō iurisconsultus? an nō legum doctor, & professor in nobili Academia Ingolstadiensi? an non illustrissimi Bavariae ducis consiliarius? Et quibus nam ille temporibus vixit? annon imperatibus Ferdinandi & Maximiliano Cæsaribus, hac ætate nostra? & quis librū istum patre mortuo in lucem emisit? an non filius, patri cognominis, doctor iuris? consiliarius illustrissimi Badensis, um Marchionis? Quid? An non hederam huic libro suspendit Ludovicus Grempius, legum & ipse doctor, & amplissimæ Argentoratensis urbis advocatus? Sed quidnā scribit tandem Hungerus? aut quemnam autorē sequitur? An non idem scribit, ego quod scripsi? an non eundem auctorem sequitur, quem ego secutus sum? Nam quæso te, Marce Vaganere: uter nostrum modestius dixit de latrocinijs & prædationibus nobilium? Egóne, an Hungerus? Vter mitiorem tulit sententiam, in eiusmodi prædones? Egóne, an Hungerus? Scripsferam ego, esse quosdā ex nobilitate Centauros, qui crudelitatem in suos exercerent rusticos: sed scripsferā eorum esse QVOSDAM duntaxat, & esse in illis tantum locis, ubi sit maxima flagitorum

flagitorū impunitas. Nam Erasmo teste apud
 nonnullas nationes, inane nobilitatis nomen
 affert impunitatem scelerum. Quid autem hac
 de re Hungerus? nunc, inquit, nobiles nostri
 longè fortissimè tuétur illud equestre dogma,
 quod apud Erasmū, Nestorius Harpalō pr̄scri-
 psit; ius fasq; esse nobili, plebeium negocia-
 rem exonerare pecunia. Quæso te, Marce Sy-
 cophanta, uter dicit in nobilitatem acerbius?
 isne, qui dicit, esse aliquos ex nobilitate Cen-
 tauros, qui in suos rusticos exercent crudelitā-
 tem; an is, qui dicit, nostros nobiles fortissimè
 tueri illud; fasjusque esse nobili, plebeium ne-
 gociatorem, hominem alienæ potestati subje-
 ctum, exonerare pecunia? Scripsérā pr̄terea,
 ex Centauris esse quosdam, qui singuli aliquot
 innocentissimos agricolas, levi de causa, ad ne-
 cem deverberaverint, aut etiā penitus occide-
 rint. Quid de hac re Hungerus? Hinc, inquit,
 tot Snaphani, tot pr̄dones, qui nō modo im-
 merētes negotiatores nullo iure, nulloqué ti-
 tulo diripiunt; sed potentissimas etiā urbes, &
 principes maximos, quovis pr̄textu vexant,
 terrificis incursionibus & exitiosis incēdiorū
 vastationibus, tum hominū quoque captivita-
 tibus cædibusqué, & in summa, omni genere
 pr̄dationis & latrociniij. Quæso iterū te, Mar-
 ce Verbero, uter gravius dicit? isne, q̄ dicit ali-
 quos esse ex nobilitate Centauros, qui innocē-
 tissimos agricolas, levi de causa, ad necem de-
 verbe-

verberaverint, etiam penitus occiderint: an is,
 qui dicit, multos esse ex nobilitate Snaphanos,
 multosque prædones, qui potētissimas urbes,
 & principes maximos, quovis prætextu, vexat
 terrificis incursionibus, & exitiosis incendio-
 rum vastationibus? Quid? num levius sit, vexa-
 re urbes potentissimas, & principes maximos,
 in incursionibus, incendijs, vastationibus, cædi-
 bus, prædationibus, latrocinijs, quam occide-
 re, aut ad necē de verberare rusticū? nullus latro-
 cius sit verberare, quā iugulare? num gravius
 sit occidere, quam mactare? scripsit vero &
 hoc, quod in cōspiratione Catilinaria sive Ca-
 tenaria, ubi in perniciem innocentium homi-
 nū cōiuratur, omnes inter se cōgruunt, quod,
 inquā, in tali cōspiratione similia sint omnia:
 unus in noxa: cæteri ad defendendam causam
 armati: adeò, ut si è tali manipulo prædonum
 noris unum, noris omnes. Quid vero de hac re
 noster Hungerus? Qui, inquit, prædones hosce
 receptant, sunt tātum ex nobilitate: & procul-
 dubio plurimi: cū sine receptoribus, nemo
 facinorosus, diu latere possit: quo Martianus
 noster, inquit: nihil autem minus impius &
 nocens (quod idem ait) est receptor, quam
 receptor. Videsne, Marce, eos, q̄ in noxa sunt,
 & qui eos defendunt, esse pariter impios, pari-
 ter nocentes: esse consimiles, & inter se con-
 gruere: ita, ut si unū illic noveris, omnes noris:
 Quid? quod Hungerus affirmat receptatores fa-
 cinoro-

cinorosorum esse tantum ex nobilitate, & esse
quam plurimos? Nam ego à tali conspiratio-
ne exceperam statim pauciores, hoc est melio-
res. Pauci enim boni sunt, ut Poeta ait. Scripse-
ram denique eiusmodi portenta facinorosorū
hominum, esse è medio tollenda à principibus
& à divo Cæsare, & à principib. in rotas subigē-
da, ut subiguntur plebei latrones & per prædo-
nes, neque in aliud debere prodeesse generis ti-
tulum eiusmodi prædonibus, nisi ut in altiore,
quam alij latrones, rotam tollantur.

Ethoc scripseram nō ex mea, sed ex Erasmi
sententia. Quid autem de hac re Hungerus?
Receptator, inquit, & receptus de sententia
Martiani Iurisconsulti pari nota, & pari suppli-
cio dignus est. Audin tu illum? pari nota & pa-
ri suppicio dignus est latro, & is qui latronem
receptat. At quonam suppicio? inquies, quo
enim alio, nisi quo latrones puniūtur? Quod-
nam illud? inquies. Respondeat hic pro me E-
rasmus, cuius verba ante citavi. Quid ergo? u-
trumne ego, an Hungerus dixi acerbiora duri-
ora & crudeliora? aut uter nostrū est sanioris
cerebri & capitis minus rabiosi? Sed ô immor-
talem Deum, quid tu Marce in Erasmo, vel in
Hungero, vel in ipso Martiano possis desidera-
re humanioris sententiæ p[er] latronibus, qui au-
des etiā Imperatoris Romani cervicem securi
Electoris Palatini subiçere? Ita enim scribis: si
etiā Imperator Romanus facinus tā enorme
perpetret,

perpetret, cervicem illi Palatinus Elector, aurea securi super scuti margine decidito. Nam sicut historici meminerunt: voluere prisci illi Imperatores, auream sibi securim præferri, si cùthodiè nudatus ensis Cæsari p̄fertur de consuetudine veterum Romanorum cōsulūm: qui securi maleficos plectebant. Ex quo cōstitutio illa nata est, ut si Romanus Cæsar facinus aliquod enorme perpetret, eadē percutiatur securi, qua ipse alios facinorosos iubet p̄cuti. En habes, dive Imperator, iudicem tuum M. Vaganerum, si quid peccas: habes etiam carnificem tuum, si quid enorme committas. Verum obsecro te, quid nam hoc est negotij? aut quænam ista rerum omnium facta tam repentina commutatio? Ego .n. ha&tenus credideram, Palatinum Electorē esse huius imperij Archidapiferum: nunc verò ex isto Vaganero audio, quod sit Archicarnifex Romani Imperatoris, qui ipsum delinquentem percutiat. Et tu, dive Cæsar, istum Vaganerum nondū adhuc credis insanire solenniter: hoc qui scribat, præcipiatque quod nō modò factū antehac est nunquam: sed in omni memoria omnino inauditum.

Et tamen iste furcifer, qui tam gravem fert in Cæsarem sentētiā, irascitur Erasmo, quod ille famosos latrones & nobiles pyratas eadem pœna iudicat afficiendos, qua cæteri è vulgo prædones affici solēt; & fert indigne, quod rotas

tas ille paulò altius jubet attolli , alijs ex nobilitate in exemplum & terrorem, ne videlicet ipsi se in consimilia flagitia ingurgitent. Quid enim nequissime Vaganere ? anne idcirco Erasmus censet, in rotam tollēdos nobiles, quia illi præ alijs eminere expetunt ? Minimè verò omnium. Cur igitur ? Audi : quia ipsi se eminentes & nobiles esse, ac dicin non recordantur, & quia dignitatis atque partium suarum oblitii, latrocinantur, prædantur, & vim alijs inferunt, à quibus vim aliunde illatam propulsare debebant : ideo fert hanc in illos sententiam Erasmus. Tu verò cùm illos defendis , qualis futurus es es nobilis, facilè ostendis. Præmio nimirum illos latrones & eiusmodi conjuratorum manum censuisses ornandam. Nam quod alij , in conseleratiss. hominibus reprehendunt: an non tu id laudas, quasi imitari velis? Cùm autē toties inculcas non tantum supplicium rotæ, verùm etiam tuum coccyfsum, quid aliud agis, homo nequam, nisi ut strenuè mentiendo, à tui similibus invidiam in me cōmoveas? Verùm benè habet: Alij hoc dixerūt Marco, quòd ego ita scripserim. Itaque verbo jam uno repellor: audivi. O immortalis Devs ! præclarām defensionem: homines, qui gestāt, quiq; auscultant crimina , si meo arbitratu li- ceat, omnes pendeant. Nā isthæc, quæ renun- ciata sunt tibi Marce ab alijs , me velle, ut oēs nobiles tam boni quam mali in rotas tollātur:

an non dicta sunt tibi, pura, puta mendacia? ac
 proinde memetipsum execror, meamq; amen
 tiam deploro: qui quadruplatorum illorum
 verbis habuerim fidem. Audi igitur quartum
 nunc vitium, ego quod reprehendo, nempe su
 perbiām quorundam Lapitharum immanissi
 mam, & fastum Diabolicum. Quod. n. Teren
 tianus Phormio, aliquorum fastum plus q; Di
 abolicum culpat, in nobilib. istis, qui alios præ
 se contemnunt, neque quenquam sua amicitia
 dignum censem, nisi qui veteres avos possint
 jactare: hoc idem in nostris culpandum indi
 cavi: & quod Plautus in Cistellaria queritur,
 de turgido fastu nobilium matronarum: id e
 go ad elatos virorum & juvenum spiritus ac
 commodavi. Etsi. n. hoc superbiæ vitium latis
 simè patet, & nobilibus communissimum est,
 sicut Tiraquellus docet: tamen id ego solum
 modo in illis culpavi, qui cùm sint impuratissi
 mi, & imperitiss. semetipſos quibusvis alijs pe
 ritioribus & honestioribus superbè (nota Mar
 ce) superbè & temerè anteponunt. Et quan
 quam rusticis, quàm nobilib. similiores sint i
 sti, ut qui omni virtute, omni prudentia, o
 mni eruditione carent: tamen ubique conspi
 ci, ubiq; coli, ubiq; adorari volunt. sed obsecro
 te, quid hoc reprehensionis ad illos, quorum
 amore Reipubl. præstans in Repub. virtus est
 cognita: quorum summa auctoritas, apud suos
 principes est perspecta, quorum mirificus usq;
 in re militari est deprehensus? Ludovici Vivis

dictum, qua imperiti offenduntur, de inani & stolida, quam taxamus, non de solida & perfecta nobilitate, quam laudamus, intelligendum est. Cur enim virtutis expers nobilitas pro solidia apprehendi mereatur? cur pro bono perfecto, & omnibus numeris absoluto, talis amplectenda sit nobilitas, in qua nihil perfecti, nihil veræ beatitatis: & qua nihil possit inanius, & stultius ab hominibus excogitari?

Nihil ergo Vivis oratio bonos offendat, & amantes virtutis. Nam illos tantummodo hoc telum petit, quibus nobilitas & sanguinis prærogativa, pro solido, perfectoque bono est: etiamsi nihil in se habeat virtutis, nihil solidæ felicitatis. Evidem Vives, qui hoc scripsit, ipse metè nobili familia natus fuit: quam contemnere ipsum, aut in contemptum rapere voluisse, quis sanæ mentis judicet? Fuit certè Vives ille, vir verè incomparabilis, summus Theologus, summus Orator, summus Philosophus: idemq; huius Philippi regis, qui adhuc in Hispania rerum potitur, præceptor, & summus vitæ ac studiorum Magister.

Quare etiam nobilitatem tanti fecit, quanti eam à summo rege fieri & estimari voluit. Henricus etiam Octavus, Angliæ rex nobilissimus & doctiss. hunc Vivem, in tanto honore habuit, ut ipsum in Epistola quadam, suum academicum nominet. An non igitur furiarum astro percitus est Vaganerus, pie Lector, qui

tanti viri dicto, verè Philosophico & Theologico, omnem nobilitatem funditus subverti clamitat?

Quid enim ais Marce? an Vives suam domum, suam familiam, suos maiores subvertit? an Christianissimus Philosophus contumelias dixit, in suam, & aliorum nobilitatem? Quid? num tibi Regis Hispaniarum præceptor, ita insanisse videtur, ut quod inter verā & falsam nobilitatem discriminē fuerit, tā turpiter ignorārit? Et an tu nobilissimi Anglorum regis amicum, ita stolidum fuisse credis, ut is omnē nobilitatem libro infami rejecerit, destruxerit, everterit, eradicārit, exterminārit? Quid autem ad hæc dicturus es mihi Marce? An non enim Plato, princeps ille Philosophorū, vetat reputare, quot Myriades avorum & proavorum unicuique fuerint, quandoquidem non semper divites, & reges, & Græci: sed sæpè etiam pauperes & servi, & barbari inter majores inveniantur? Majorum, inquit Satyricus, quisquis fuit ille tuorū. Aut pastor fuit, aut aliud: quod dicere nolo. An non Aristoteles quoque Magni illius Alexandri præceptor, dixit: eum esse generosissimum, qui sit optimus: non autem, qui claritate nascendi, sed qui virtute excellat maximè? An non Seneca, præceptor Neronis Imperatoris, generosum esse dicit: qui ad virtutem benè à natura est compositus? Non facit, inquit, nobilē atrium plenum fumosis imagi-

ginibus: animus facit nobilem, cui ex quacun-
que conditione licet supra fortunam surgere.
Hinc Satyr: Tota licet veteres exornent undiq;
ceræ atria: nobilitas sola est, atq; unica virtus.
An non item Plutarchus, Imperatoris Trajani
præceptor, nobilitatem vulgatam nihil aliud
existimat, quam antiquas divitias, & antiquā
gloriā: quarum rerum neutra sit in nostra po-
testate? Nam genus & proavos, & quæ non
fecimus ipsi, vix ea nostra puto. An non ipse
Imperator Mactinus, nihil prodesse nobilitatē
censet, nisi morū adsit benignitas & humani-
tas? patritia aut nobilitas, ut idem queritur, sæ-
penumero in superbiam vertit: quæ alios præ
se contemnit, tanq; multò inferiores. Quid?
quod Philosophis & Poëtis etiā adstipulantur
medici, etiam Iurisconsulti, etiam Theologi?
quorum omnium, ut & Poëtarum & Philoso-
phorum auctoritates, in causis allegari, ac reti-
neri debent. Nā & Galenus inquit: sanè & quū
videtur, qui nulla re suspiciendi sunt, nisi ob di-
vitias, simul atq; his spoliati fuerint, pariter &
illis spoliari, quæ ob divitias habeant. Quid. n.
isti facerent, qui nullum proprium possident
bonum, sed præpostorē pendent ab alienis, &
ab his, quæ sunt fortunæ. Tales hi sunt, qui ge-
neris nobilitatem venditant, atq; hinc sibi pla-
centes tollunt cristas. Nam & isti, quoniā pro-
prijs bonis carent, ad majorum imagines con-
fugiunt, non saltē hoc intelligentes, quod ista

generis nobilitas, qua gloriatur, similis est publico singularium civitatum numismati: quod apud eos quidem valet, qui instituerint: apud alios verò adulterinum habetur. Hæc Galen: & multò his plura, quæ ibi sequuntur. Baldus ipse vult expressè, bonos mores, sive virtutem nobilitati esse anteponendā: vult anteferri testimonium honestorum & benè meritorū hominum, testimonio nobilium: vult deniq: nul lam prorsus esse sine honestate nobilitatē. Sed & Salicetus dixit, non esse nobilem, qui degener nobili est, nisi & ipse bonis polleat moribus. Et Cardinalis Alexander affirmat nobili, virtutibus carenti præferendum esse, qui habeat virtutes. Quin etiam Ulricus Huttenus, neminem vult pro suo gentili agnoscere, qui multarum sit imaginum, & nullius stipendijs, quemadmodum Salustianus ille Marius loquitur. Quid? quod Hieronymus nobilitatē mundi nihil aliud esse definit, q̄ divitias inveteratas, quæ ex iniquitate veniunt: sicut & ipsæ divitiæ ab iniquitate descendunt? Quod si verò & ego ita colligerem, ut hic Sanctus Ecclesiæ doctor colligit, quid tu Vaganere dicturus es? nonne (inquit Ambrosius) sic ultrò conceptus & natus ex utero, quemadmodum & pauper est natus? Quid te jaegas de nobilitatis prosapia? Soletis & canum vestrorum origines, sicut & divitum recensere: soletis & equorum vestrorum nobilitates, sicut & consulum prædicare? sed

sed nihil istud currentem juvat: non datur nobilitati palma, sed cursori.

Aeneas quoque Sylvius, qui postea ad Pontificatum electus est, & Pij secundi nomen accepit, ex nobilissima Piccolomineorum familia ortum duxit. At quanti nobilitatem suam fecerit, satis ipse met testatum reliquit, in historia de Euryalo & Lucretia.

Majores, inquit, mei nobiles habiti sunt: sed nolo mihi blandiri: non puto, meliores fuisse proavos meos alijs, quos sola excusat antiquitas, quia non sunt in memoria eorum vitia. Mea sententia nemo est nobilis, nisi virtutis amator.

Non miror aureas vestes, equos, canes, ordinem famulorum, lautas mensas, marmoreas ædes, villas, prædia, piscinas, jurisdictiones, syllas. Nam hæc omnia stultus assequi potest: quæ si quis nobilem dixerit, ipse fiet stultus. Quid tu ad hæc dicturus es, Marce Vaganere? aut quam in partem ista interpretaberis? Ego n. istiusmodi nihil scripsi de nobilitate: sed multo æquior sum prosapia nobilium, & antiquæ generis primordio. Affirmas tu quidem, sed satis impudenter, quasi ego vertam nobilibus criminis, quod proavos & adavos suos norint proferre memoriter: & quod in suis maiorib. investigandis sint solliciti: At ego te mentiri affirmo. Non n. hoc culpo, quod tu insimulas: sed superbiam & vanitatem illâ reprehendo,

quod arbitratur nonnulli solidam & perfectā nobilitatē in hoc tantū consistere, ut proavos & adavos suos aliquis possit memoriter p̄fere: quemadmodū Demiphoni illi Terentiano exprobrat Phormio. Nā hac opinione stultissima inflati quidam nobiles, ceteros mortales omnes ex alto despiciunt. Comittis verò & hīc crimen falsi, cùm dicis, à me scriptum: virtutem hominis, non genus sp̄ctari oportere: perindē ac si genus & virtus à me habeantur pugnantibus, & quæ non possint simul in eodem homine consistere. Vbi hoc, quæso, scriptū est Vaganere? ubi ita in mea oratione vel à te legitur, vel à me colligitur. Viden' obsecro, ut impudens sis scurra: ut impurus sis nebulō, qui nihil non audes adversus me cōminisci, atque configere, ut aliquid saltem habeas, quo me in suspicionē intentati criminis perducas?

Sed tu non hīc iterum dicturus es Marce, te certis indicijs, certis auctoribus, hæc cōperisse? Vides ne homo scelerate, quām tibi sp̄efalsa, animum rumores ficti impleverint? Esto enim: scripserint alij: Virtutem, non genus sp̄ctari oportere: an propterea istud sequetur, ut tu colligis? Quid? túne in famulorum grege, in scuto, in aurea torque nobilitatē consistere putas: quæ ornamenta etiā in sceleratis fuisse literæ & libri testantur? Animo nobilem esse oportet, consilio, fide, gravitate, industria, omnibus deniq: virtutibus, quæ in hoc ordine requiri-

requiruntur. Egō nō nobilem esse putem, qui
 nihil iactare potest, præter clypeos, galeas, sibi
 à maioribus relicta? Nunquam isthuc ut faci-
 am, animum potero inducere. Quando ne tu
 quidem, ab hac sententia, quam tu culpare au-
 des, alienus esse videris. Nam quod ego vitiū,
 verbis Terentij, Plauti, Vivis, & Syracidæ, leni-
 ter culpavi: id tu multò acerbissimè insectaris,
 & hanc animorum elationem, tam fœminis,
 quā maribus nobilibus turpissimè exprobas.
 Ita enim tute scribis. Sed cogor inquis, etiam
 abusum nobilitatis, & istam animorum elatio-
 nem perstringere atque taxare. Nam admodū
 multi ex nobilitate reperiūtur, mares iuxta ac
 fœminæ, qui seipso extollunt, & inferiorū or-
 dinum homines præ se contemnunt. Putant e-
 nim rusticos nobilium causa à Deo esse condi-
 tos, qui non sint digni, ut à nobilibus aliquādo
 adspiciantur. Nam ita secum statuunt nobiles,
 esse se lōgē meliores, & nobiliores alijs: etiam
 in paribus armis & scutis. Itaque medium sibi
 invicem ostendunt digitum, & voce atque ani-
 mo indicant, quod semetipso maiores faciūt,
 quām est æquum. Sed hi neque norunt, neque
 agnoscunt, qui nam sint, aut quamobrē D E V S
 ipsos, in dignitatē collocârit. Igitur huiusmo-
 di elatum ac turgidum animum interrogabis,
 qui nam olim fuerit? Quod si respōdere nolit:
 age tu responde, & dic, Semen fuisse fœtidum
 atque impurum. At quid nunc es? dolium im-

pletum stercore. Quid rursum futurus es? Bre-
vieris esca vermium. Quid ergo te extollis, tu
fœtita sentina, tu vermium receptaculū, tu fo-
rica, tu labes? Hæc Vaganerus, de sua, quam su-
scipit defendendam, nobilitate. At obsecro
obtestorque te, pie lector, iudica nunc tu, uter
nostrum, ego ne, an Vaganerus, de fastu, ac su-
perbia nobilium, fœdius ac turpius scripsit.

Ego enim haec tenus credidi, nobiles ex vir-
tute ortū traxisse, neque ulla re cōservari nobi-
litatem, quā virtutis studio, & præclarorum fa-
cinorum exercitio. At hic audio, quod nobi-
litas ortum ducat ex semine fœtido. Vah quid
ais Marce! aut quid ego ex te audio. ô immanis-
simum ac fœdissimum monstrum, Vaganere!
an vero ista nobilitas, pro qua tu pugnas, suam
originem à fœtido semine deducit? an tu nullū
discrimen inter exortū viri nobilis atque igno-
bilis esse statuis? Obsecro te iterū atque iterū,
pie lector, quid mihi tam optandum poterat es-
se, in hoc crimine, quām quod hæc eadem, que
in me iste culpat, multò fœdius dicit esse? Ni-
hil pfectò, præsertim cū Ulricus Huttenus, in
eo libro, que suprà nominavi, mecum sentiat.
Omnem enim, inquit, excidere à maiorū præ-
stantia, quisquis facta, que illos nobilitaverint,
non imitatur. Ac valde (inquit) detestor illos
vulgo nobiles, quorū vetus est prosapia, recēs
vita: qui multarū sunt imaginum, sed nullius
stipēdij. Tum scias, si quis reperiatur in nostra
fami-

familia, qui ad genus hoc suam originem refe-
rat: vita verò infimas quasq; sordes exprimat.
eum non habiturum pro cognato me, aut gen-
tili, etiam non pro nobili: neq; futurum com-
mune illi mecum aliquid unquam.

Supereft vitium quintū, de quo dixi, aulica
perfidia, & iniquorum ministrorum iniqua
facinora. Hoc vitium ita culpavi, ut nem-
inem vivum perstrinxerim, ac ne mortuum; sed
obiter tantū, dissimulatis nominibus quædā
exempla præteriti temporis attulerim, quorū
vel in sacris literis, vel in monumētis historia-
rum, vel in ore omnium publica extat, publi-
ca, inquam, mētio. Etsi enim isti homines iam
dudum ætatis, sunt mortui: tamen facta illorū
adhuc vivunt; quæ idcirco D E v s ad nostrā us
que memoriā pervenire voluit, ut posteri ali-
quod ex maioribus exemplū sibi capiāt. Nam
scitum est, ut ille inquit, Periculū ex alijs face-
re, tibi quod ex usu fiet, Ideoqué Spiritus San-
ctus, in sacra historia, exemplum Zibæ, Rheho-
bi, Achitophelis, & consimilium proponit: ut
nō modò, reges & principes discāt vivere cau-
tius, & nō nimium quibusvis fidere, sed ut ipsi
etiam nobiles aulici, & ministri, à periurijs &
perfidia deterreantur; ne eundē cum alijs per-
fidis atque propudosis exitū sortiātur, & sem-
piterna insuper probri nota ab historicis affici-
antur. Sicut enim recte; & præclarè facta, su-
os habent præcones & laudatores ita si quid
impie

impiè scelerateque cōmissum sit, cōtinuò in literas referri, atque ad memoriam posterorum propagari solet. Nihil igitur se indignum committent nobiles, si sciant, se propter flagitia sermonem hominum, atque in perpetuā vituperationem venturos. Recentiorum & domesticorum exemplorum, quæ adduxi, alterum annis ab hinc ferè ducentis accidit; alterum verò avorum nostrorū memoria. Illud à Trithemio copiosè describitur in Chronico H̄i saugiensi, manuscripto; quod etiam Vaganerum habere intelligo; ut qui alicubi Trithemij manuscripti mentionem facit. Meminit eiusdem facti Nauclerus Gen. 47. Hoc verò alterum, et si nō est in literas ita expressè relatum; fama tamen, & vulgi sermonibus, ab eo tempore, in hunc usque diem ita percrebuit, ut negari à nomine possit. Quin imò Tettingerus quidam circa annum 46. supra millesimum, quingeniesimum, Friburgi in Brisgoia, in lucem edidit commentarios, ubi Vasallorum istorum publicam, sed valdè in honestā, facit mentionē. Hoc qui non credit, is librum sibi cōparet, & legat.

Sed quæro hīc ego ex te, qui nullum esse dicas auctorem probatum, vnde ista proferātur, quæro, inquā, an tu Trithemium & Nauclerum (nam de Stumpfio & Funcio nihil dicam) pro auctoribus fide dignis habeas? an verò ambos rei ciendos esse iudices? Quænā ista caperata frons tua, Marce? aut quis vultus iste Atticus?

ut tu

ut tu fidem eorū auctōrum in dubium voces,
 aut repudies potius, quorum apud omnes lite
 ratos homines summa semper fuit auctoritas?
 Deinde illud etiam ex te scire cupio, qui me re
 um aīs lāſæ maiestatis; propterea quod infide
 litatis accuso istos nobiles, qui pro exule & sup
 plice principe intercessionem recusarūt apud
 Clementiss. Cæfarem: Scire, inquam, illud ex te
 cupio, illósne censeas reos lāſæ maiestatis divi
 næ, atque humanæ, qui rem tā facilem expedi
 tu, denegarūt, principi afflictō, an verò me, qui
 istam infidelitatem illis exprobro? Quid i sta
 tuisne tu pijs esse hominis, eū, à quo multa quis
 accepit beneficia, in adversis ita deserere, ut ne
 quidem supplicis vocem admittat? Credisne,
 boni viri esse, ad motū fortunæ cuiusque se una
 movere? Esto enim: optimè fuit promeritus
 pœnam exilij Davides. cur tamen D E v s Achi
 tophelem, ad tam crudele suppliciū retrahit?

Quia nimirum divinam maiestatem iste leſe
 rat Architophel: cō quod sua cōſilia cum ho
 stibus Davidis cōmunicasset: & quod optimè
 de se meritū virum temerē atque iniustē pcul
 casset. Neque ego illud nunc reprehēdo, quod
 iste princeps à Svevico fœdere expuls⁹ fuit sua
 ditione. Non enim hoc apparere potest ex ver
 bis meis, eorumq̄ue sententia: sed hoc culpo,
 quod eiectum atque exterminatum principē
 illi ipsi homines de quibus optimā spem sem
 per cōceperat pro magnis meritis, hoc hono
 re at-

re atque hac gratia non iudicarunt dignum,
 pro quo supplices, etiam apud Cæsarem, ipsi
 intercederent. At per Dei atque hominum si-
 dem! quanti putas Cæsarem fecisse hos homi-
 nes, qui eum iratum sibi fore credebant, si pro
 hoc principe, pro exule, pro supplice interce-
 derent? Adeone immitti fuit ingenio ille impe-
 rator, ut ne intercessores, aut deprecatores qui
 dem audiret: ne dum ipsos supplices admitte-
 ret? Quam hoc acerbum isti misero atque exu-
 li: quam graue fuisse putas, pie lector. cum tot
 principes, non tam causæ ipsi, quam humani-
 tati Cæsaris confici, suas interponerent preces
 & lacrymas, tūc aliquos è domesticis derepen-
 tè erumpere & clamare: Cave Cæsar ignoscas,
 cave te principum, pro principis salute obse-
 crantium, misereat. Hæc nec hominis, nec ad
 hominem vox est: qua qui ad hunc Cæsarem,
 utetur, suam citius exuet humanitatem quam
 extorqueat illius. At, inquies Vaganere, oblite-
 randahæc esse, neque mādanda literis. Miserū
 me! si ex tuo præscripto mihi esset centum an-
 norum proximè elapsorum historia cōponen-
 da. Quam enim mihi multa essent reticenda!
 quam multa dissimulanda! quam multa mēda-
 cia retinēda! Sed an nescis tu, primam legem
 esse historiæ, ne quid falsi dicere audeat: alte-
 ram, ne quid veri non audeat, ne qua suspicio
 gratiæ in scribendo, ne qua simultas? Dices
 iterum: cur nō exempla adduxisti peregrina?
 nullane

nullāne erāt perfidiæ exempla, apud Sylvium,
apud Crantium? nullāne apud Aventinum,
Bavarica, apud Stumphium Helvetica? Nullā-
ne apud Bonfinium Hungarica? Nullāne apud
Grammaticum, Saxonica? apud Olaum, Svevi-
ca? nullane apud Gviciardinum, Italica: apud
Aemilium, Gallica? apud Frossardum Angli-
ca? Quid opus fuit domesticis uti, ubi tanta fu-
it peregrinorum copia? Audi propodium, nō
quid ego, sed quid tute hac de re scribas. Cer-
tè verum est, inquis, quod ad minimum, cen-
tum annis, in qualibet familia, magnè plerum-
que mutationes, sive in partem meliorem, sive
deteriorem, intercedant.

Quę certè posteris diligenter examinandę,
& causę illarū mutationum sedulò investigan-
dę sunt. Nam utilia documenta & exempla, in
timore Domini, ex illis capere possunt, quę
plus movēt ipsos, quam peregrina facta. Quo-
modo autem faciēt hoc posteri, si nihil de istis
rebus omnibus nōrint, neque nosse cupiāt: sed
in diem vivant, pecudum more, quę ad pastum
tantūmodo ferūtur? Lutherus etiā in explica-
tione psalmi 101. ubi ex professo hoc argumen-
tum tractat: & ubi principes de aulicorū per-
fidia, exemplo Zibę, Achitophelis, & simili-
um, admodum diligenter admonet: assert di-
ctum cuiusdā Marchionis Misnici, qui solitus
est dicere: principi non esse metuendos homi-
nes, n̄cul remotos, sed eos, qui proxime illū à
tergo

ergo sequantur. Hos enim malle caput ipsius
 pedibus conculcare. Et in libro de Magistratu,
 In primis, ab illis tibi cave, qui dicunt, Clemen-
 tissime Domine: an aliud mihi nō fidis, quam
 hoc? Quis tibi velit libenter inservire? Nam
 istius modi homo impuratus est, & dominium
 in tua ditione affectat: te verò sibi simiam esse
 exoptat. Hæc Lutherus & alia multa; Cuius e-
 go viri testimentijs ideo potissimum, in hac caus-
 sa nitor; quod meus adversarius, & qui illum
 contra me incitarūt, homines Lutherani sunt,
 & Lutheri auctoritatem cuius alij libenter an-
 teponunt. Cùm igitur principes moneo, ut o-
 culos aperiant, hoc moneo (si quid possum e-
 go monere) ut infidos à fidis, improbos à pro-
 bis, malos à bonis segregent; & ex nobili gene-
 re homines, quorū cognita fides, virtus, indu-
 stria & felicitas ingenij, in literis & consilijs, in
 re militari, diligēter sibi retinendos existimēt:
 fucos autem, pecus ignavum, ab alveis & aulis
 suis arceant: ut locus ibi sit sedulis apibus, &
 bonis viris, qui rectè faciunt suum officium.
 Ita enim principes nō modò suæ saluti, sed eti-
 am suo honori consulent. Quo in statu res sint
 Germaniæ, quis non videt? præsertim studijs
 militaribus, apud nobilitatē obsoletis, ac sum-
 mis ducibus partim ætate, partim Reipub. &
 ecclesiæ calamitate consumtis? Cur igitur ho-
 mines industrij probique ad dubia Reipub rē-
 pora non reserventur? Cur boni & fortes viri

praemijs, & honoribus non ornentur? Cur ca-
 teri studio laudis, ac virtutis non inflamantur?
 Ego sanè, quanti veram nobilitatem faciendā
 judicem: & quo loco verè nobiles tum ipse-
 met habeam: tum ab alijs habendam esse cen-
 seam: an non hoc in libris meis nuptialibus o-
 stendi, & in illa ipsa oratione, quam sibi exagi-
 tandam sum sit Vaganerus, satis superque de-
 monstravi? Nam ijsdem propè verbis usus sum
 cùm discrimen inter bonos & malos constitu-
 erem, quib. Lutherum video usum fuisse in eo
 libro, quem contra Magdeburgensem Episco-
 pum edidit. Neque dubito, si asinus iste & Sac-
 cus eius, duo Theologastri Magdeburgenses
 hunc praeceptoris sui librum diligenter lecti-
 tassent, eos non ita temerè aliquid contra me fu-
 isse conaturos. Verba Lutheri sunt hec: Id ē, in-
 quis, faciūt hoc tempore nostri lückeri nobiles.
 Nam si mali reprehenduntur, concionem o-
 portet esse contumeliosam, aut libellum famo-
 sum, aut chartam probrosam, adversus lauda-
 bilem & honestam nobilitatē. Non bella admo-
 dum, & nobilibus digna isthac est oratio: nisi
 quod in juriam nobis inferunt. Non honestā
 nobilitatem minime culpamus, aut calumnia-
 mur, sed eam pro gemma preciosa habemus.

Turpem verò nobilitatem cogimur increpa-
 re, quæ sub cristiis veræ nobilitatis, sua vitia co-
 natur tegere atque defendere. Honestā nobili-
 tas est, quæ DeVM timet, verbum illi⁹ colit, suo.

Principi ac Domino fidem & obsequium præstat: domum suā honestē & pudicē gubernat: pauperes subditos tuetur: & ubi cunq; potest, illis rectē consulit. Turpis verò nobilitas est, q̄ verbum D E I contemnit, scortatur, pergræcatur superbit & animo effertur, fœneratur, pauperes subditos expilat, Principib. & Dominis infidelem & immorigerem se præbet. Atq; hęc turpis nobilitas numero facile vincit honestā nobilitatem. Iámne ergò vides Vaganere? iámne sentis, nihil à me scriptum, quod in cuiusq; boni viri, nedū in totius ordinis equestris contumeliā possit cadere? Vidésne, quòd ego non omnes nobiles unius assis æstimē, neq; in uno ludo ad malitiā omnes edoctos esse censeam? Vidésne, quòd non omnes eodem ingenio esse statuam: ut si, unum noris ē nobilitate, continuò oēs noris? Vidésne, te crassum dixisse mendacium: cùm affirmares, me veræ nobilitatis nullam unquam fecisse mentionem: sed ea omnia, quæ laudē in hoc ordine merentur, profundo silentio præteriisse. Vidésne Marce, te probè è gula tua mentitum esse, quod ais, id circò me extenuare laudes veræ nobilitatis, q̄ pios & probos nobiles scribā numero esse exiguos? Quid enim aliud scripsit Páulus Apostolus? quid tu ipse aliud sentis? cùm expressè ais, non negare te, quòd proh dolor, in nobilium ordine, maxima pars sit gens quædam barbara immanis & effera, ut quæ nihil aliud possit, nisi palpa-

palpare, superbire, grassari, minitari, alios expilare. Deo & hominib. convitiari. Si n. hoc verum est, qd dicis, & si maxima pars nobiliū talis gēs est, qualis à te describitur cōstat sanè bonorum in nobilitate esse exiguū numerū? Certè n. hæc bonorum paucitas locūm fecit proverbio, quo heterum filij vulgò noxē dicuntur: hæc eadem paucitas hanc vocem Homero extorsit, ut patri paucos dicat esse deteriores: hæc eadē Phocylidē coēgit dicerē: plurimos esse nobiles genere, quos neque dicendi neq; consulendi ulla comitetur gratia: hæc eadem Horatium eō impulit, ut scribat, nos esse avis peiores, & mox daturos progeniem nobis viciōsiorem: Hæc paucitas Satyricum jussit affīmare, vix totidem esse viros bonos Romæ, quos sint Thebarum portę, vel divitis ostia Ni- li. Non est igitur calumnia, quod scripsi paucos esse nobiles, quibus vera religio sit cordi.

Non est contumelia, quod è conspiratione Catilinaria, quæ in illis locis fit, ubi maxima est impunitas scelerum, excipio pauciores & meliores h. e. optimos quosq; ex nobilitate, quibus istiusmodi deprēdationes displicent: Non est iniuria, quod dico, numero exiguos esse, q; veræ nobilitatis virtutibus atq; ornamenti ex cellunt. Divus certè Apostolus Paulus, quem dixi, i. Corinth. 3 non multos esse nobiles, inquit, quos Deus elegerit sibi. Quid verò est

aliud, dicere, esse paucos, q̄ esse non multos? Si enim non sunt multi, qui boni, erunt pauci: & si sunt pauci, sunt aliqui: & si sunt aliqui boni, non erunt omnes mali: & si non omnes sunt mali, quomodo contumelia est, quando aliqui ex nobilitate dicuntur boni, aliq̄ mali? Nam omnes esse bonos, in hoc ordine quis unquam dixit? quis unquam audivit? quis unquam credidit? Lutherus, cuius auctoritas Lutherano homini sacrosancta est, tam paucos ait nobiles esse pios, & veræ religionis studiosos, ut arcem eam non magnam esse oporteat, quæ universam nobilitatem totius alicuius ducatus, quæ quidem sit pia & laudabilis nobilitas, percommodè poscit capere. Sed quid prohibet verba ista huc apponere? postea, inquit Lutherus, confer te ad nobiles, & ad præfectos, & connu-
mera mihi omnes illos, quibus verbum Dei sit cordi Nam hi sunt, qui præ amore verbum Dei devorare cupiunt. Quod si unum invenias, qui studeat proximo suo elargiri, dare mutuum, opem fetre, mox centum alios reperies, qui contrarium non sine maxima vi agant.

Itaq: arcem non magnā esse oportet, in qua possit alicuius ducatus nobilitas, quæ pia & laudabilis sit, unā habitare & vivere. Ac si tunc scis, quid sit pati, secundūm C H R I S T I doctri-
nam, age tam audax esto, & uni horum Centau-
rorum, verbum D E I, quod ei aduersetur, de-
nunciato: aut ex nutu & præscripto illius, pro
D E O

Deo illum non adorato, facile invenies, quod
 querere instituis. Hęc Lutherus, cum quo jam
 deinceps expostulent, quamdiu volent, qui de
 numeri exiguitate, ad quam boni ab illo redi-
 guntur, querelas instituere solent. De Conju-
 ratis porrò aut prędonibus, quod dixi, ubi pau-
 ciores tantum excipio, hoc est, meliores & re-
 stē sentientes, an non eōdem recidit? nam si
 pauciores à facinorosis & conjuratis dissenti-
 unt, tum plures cum ijsdem, ut consentiant, ne
 cesse est. At Hungerus ille Bavarus, quem antè
 citavimus, nostræ ætatis scriptor, affirmat, eos
 tantum esse ex nobilitate, & procul dubio pau-
 cos prędonum & latronum nobilium hostes
 atque inimicos. Quid quod tu ipsem̄ Marce,
 sicut anteà quoque memini, affirmare audes,
 quod maxima sit nobiliū pars, quæ aliud nihil
 sciat, præterq; grassari, minitari, prædari, Deo
 & hominibus conviciari? Ex quo perspicuum
 est, nihil à me scriptum esse, quod ullius falsita-
 tis speciem habeat. Quid ergo est tandem, quod
 isti culpant? Animus fortasse arguunt, quasi
 is mihi in hoc negotio fuerit malus? & quasi e-
 go calumniandi studio dixerim, paucos esse
 bonos nobiles. Absit verò à me, inquam, & ab-
 sit procul à me: ut ego nobiles malos, nedum
 bonos calumnier, quando illos à cōsortio bo-
 norum disgrego. Cùm .n. dico, pauciores esse
 bonos, & malos multos: & cùm scribo, paucio-
 res esse justos, & plures impios, neutros calu-

minor: calumniari. n. est mentiri. At verò hoc
 à me verè & rectè dici iam demonstravi, produ-
 catis testib. omni exceptione maioribus. Quo-
 nam autem dixi animo? quo fine? quo consilio?
 Certè non alio, quām ut bonos & paucos lau-
 dem, malos & multos vituperem. Boni. n. non
 modò laudes suas admittunt, sed etiam vitupe-
 rium ferre possunt. Mali autem à malis homi-
 nib. & congerronib. suis, citius & quo animo
 convicia accipient, q̄ ut ab honesto viro legiti-
 mum patiantur vituperium. De Maximiliano
 quod negas Marce, quasi ille Centauros & Cy-
 clopes è medio non sustulerit, miror impudé-
 tiā tuam. Nam constat, intra paucos dies, qui
 busdam in locis, 40. arces prædatorias jussu il-
 lius solo & quatas fuisse. Quam porrò multas i-
 ste Cæsar à rebellibus & improbis nobilib ac-
 ceperit iniurias, quot minas tulerit, quot con-
 spirationes viderit, id ne Lutherus quidem, in
 libro ad Assam Cramium reticuit. Et q̄s tam re-
 motus est vel à literis recentium scriptorum,
 vel à fama vulgi, qui ignoret, quanta justicia &
 quanta severitate suum imperiū iste Cæsar ad-
 ministraverit? Quasi verò hanc pestē scelerum
 in sua Rep. morari passus sit Maximilianus? q.
 Iatrocinia & homicidia quorundam nobilium
 illo Imperatore abiverint impunita? Nihil ad-
 do amplius, quando ex his, à me dictis, liquidò
 patet, nihil à me contrà nobiles esse scriptum,
 quod ullius mendacij, nedum calumnij colo-
 rem,

rem, aut specie habeat. Quia verò tā xgrē facit
 istis Saxonis Theologis: quod ego Latina o-
 ratione in vectus sum in vitia, & scelera quorū-
 dam nobilium, idq: p libertate philosophica
 & Academica: agè pie lector, recitabo ego istis
 molliculis aurib. quæ haud ita pridē N. Selne-
 cerus, & ipse Saxonius Theologus, & nunc té-
 poris pastor Ecclesiæ Lipsensis, in explicatione
 psal. 112. de nobilium flagitijs stylo germanico
 scripsit, & posteà Ienæ Thuringorum in lucē
 pervulgavit. Sic. n. spero fore, ut si nobiles Mis-
 nij, & Saxones, & Thuringi suos concionato-
 res audiant, minus mihi homini suo dein-
 ceps irascantur: quæ alij in suis téplis Germa-
 nicè & severius, ea ego in mea schola Latinè &
 modestius vituperé. Quantum (inquit Selne-
 cerus) ad nobilitatē attinet, eò jam per ventum
 est, ut quod omnes Christiani norunt, majori
 ex parte nobiles (nam erit, ut aliqui pij & hone-
 sti inter nobiles reperiātur) contemtores fint
 verbi cœlestis, Epicuræi, impurati porci, homi-
 nes temerarij & feroculi: qui dubitant utrum
 capite, an pedibus ingredi debeant: blasphem-
 i Cyclopes, ventres impudici, latrones, hel-
 luones, pleni mariscis & fordibus, ac proni ad
 omnia scelera & flagitia: quibus omne decus,
 omnisq: honestas pro infamia est, & omnis in-
 famia pro honestate est, & omne dedecus &
 turpitudo pro magna gloria est. Qua de cau-
 sa omnes pij, in terra homines eorum consue-

tudinem defugiunt, & vix dignos eos esse cen-
 set, quibus sol illucescat: ne dum ut ipsi publi-
 cis munerib & patriæ defendendæ, pro gloria
 D E I & hominum salute, præficiantur. Nam
 D E V M isti & verbum eius. cane peius & angue
 oderunt: & quicquid illis D E V S denunciare ju-
 bet, id omne profabulis, & nugis sacerdotum
 habent: & insuper derident atq: contemnunt:
 quasi re benè gesta. Hi sunt potentes, & validi
 in terra gigantes: qui etiam D E V M in cœlis sub-
 jugare, & tumultuando, ac minitando oppu-
 gnare ac ludificare volunt. Hi vocantur profi-
 gati nebulones: quos D E V S odit: sicut ipse di-
 cit: qui me contemnit, rursus contemnetur. Il-
 lorum potestas est minari, tumultuari, grassa-
 ri. Illorum pietas est, D E O conviciari verbum
 D E I contemnere, & omnes verbi ministros it-
 ridere: illorum pudicitia est, scortari, teme-
 ré & protervè loqui, & rancidis uti moribus,
 popinari, & helluari, cacare & vomere: illo-
 rum honor est, in omnibus flagitijs versari, &
 de illis magnificè gloriari. Illorum jus est vis, &
 fastus, & temeritas & minæ, & iniquitas, & o-
 mnium hominum despectus, adeoq: arbitra-
 ria in omnes homines se viendi libido. Illorum
 decus sunt mariscæ Gallicanæ, halitus tetri,
 manus & pedes scabri, difficilis respiratio, tus-
 sis & superiore & inferiore gutture, & genera-
 tim omnes sordes in toto corpore. Quare non
 est mirum, quod à vulgo, propè in omnib. lo-
 cis

cis contemtim habētur: neque quisquam ferē, aliquid prēclarī de illis sentit: nisi quod illi ipsi de se invicem sentiunt, & mutuis laudibus suā immundiciem extollūt; quantumvis ea sit rācida, fœda atque inhonestā. Quanquā verò nō est commodum, neque satis tutū ut de illis, qui rerū gubernaculis, & patriæ hominūque præsidio admoventur, tam contemtim & leviculē loquamur, & in primis hoc metuendum est, ne diabolus causam arripiat, ut maius inde malum existat: Sicut in seditione Monetarij Anno 1525. accidit (quod D e v s clementer avertat) tamen aliter de his rebus iudicare & loqui non possumus, quam ipsæ in rei veritate esse deprehenduntur. Sin autem nobiles in honore esse ac metui ab alijs volūt; necesse erit, ut ipsi D e v m colant, ac metuant: ut indē honestā famam apud plebem inveniant: Alioquin, si tumultuando, ac superbiendo, & minitādo res suas tātummodò velint obtinere, & virtutē interim ac honestatem negligere; hæc res cito ē nobilibus pariet rusticos. Nam isti vulgo nobiles sunt verē rusticī, nisi quod sub crīstis nobiliū adhuc incedunt, quantisper licet. D e v s certè est, qui superbos potest deprimere, & cōtemtores in contemtū deducere, neque illos tolerat. Atque hæc ego dico de ignobili nobilitate: de rebelli & prædatoria nobilitate, quæ omnē virtutē, omnesque artes bonas despicit, neque aliud quicquā scit, nisi natales suos, stirpem su-

am genus suum, scuta & galeas suas jactare: quæ
 quidem res præclaræ sunt, si accedant virtus &
 pietas. Quemadmodū (laus Deo) aliqui tamen
 nobiles reperiuntur, qui virtutem & pietatem
 amant, & voluptatem ex his rebus capiunt, ne-
 que aliorū vitam efferatam comprobant. Hos
 conservet D E V S, & numerum ipsorum auge-
 at. Nam illis magnoperè indigemus. En Mar-
 ce, en Vaganere, en Seufride, en Sacce, Misni-
 um vobis & Thuringum Theologū, quid vos
 huic oggannietis? aut quid hīc habituri estis:
 quod huic Lipſenſie egregio cōcionatori oblo-
 quamini? utrumne etiam ille vobis libellum fa-
 mosum edidisse videbitur? Dicas fortasse illū
 pastorem Ecclesiæ esse, qui hoc scribit: philoso-
 pho autē nō idem licere, quod ministro verbi
 licet. Papæ! quantum tu asine, tuis meterritas
 crepitibus! Mirum verò nisi etiam Theodorus
 Zvingerus, nostri seculi doctissimus, philoso-
 phus & historicus, contra boni viri officiū istis
 pecudibus fecisse videatur. Quoniam & ipse in
 suo Theatro, in barbaros nobilium mores in-
 vehitur, cum inquit Bellis, nobilium nostrorū,
 qui optimi esse volunt, decus avitum & conser-
 vari & propagari credunt: qui ignavissimi: ve-
 nationibus, compotationibus, rusticorum &
 plebeculę decimationibus, exactionib., deni-
 que & latrocinijs. Idque unum ad nobilitatem
 compendium esse putat, cum sui similibus no-
 biū interdiuq; foris p castra, domi per lustra &

ganeas

411

ganeas debacchari; & quia hominum conversatione vix sunt digni; cū canibus & equis, qd^d superest vitæ, pdigere: Ut dubitabile sit, demētiā potius, an ambitionem horum Cyclopū, qui sese ἄνθρωποι εἶναι θεέσθαι αὐτούς dignū es-
se cēsent, admirari oporteat. Eos interim semper & ubique excipio, qui maiorū suorum imā-
gines proprijs virtutibus illustrare cōtendūt.

Ecce phisophum, ecce historicum, ecce Medicum tibi Vaganere: cui si quid tu audebis contradicere: ostendes tibi Helleboro, & medico, & curatore, non Philosopho deinceps opus fore.

Quid quod etiam Iurisconsultus affir-
mat, hodie nostris nobilibus usitatum esse: ut non tantum suos, sed & non suos, non medio-
cribus plagis afficiant: sed atrocibus, sed inhu-
manis, sed crudelibus: si non statim, ubi illis
quicquam præceperint, id perfecerint?

Aetas mea, pie lector, prius deficiet, quā omnia aliorum dicta perceseam, qui idem contra nobiles degeneres loquuntur, ego quod locutus sum. Nam eadem dicit Aeneas Sylvius, eadem Poggius Florentinus, eadē Kaisersber-
gius, eadem Erasmus, eadem Huttenus, eadē Lutherus, eadem Brentius, eadem Sarcerius, eadem Matthesius, eadem Hungerus, eadem Palingenius poëta. Ac proinde illorum hominum stupiditatē admirari satis nullo modo possum, qui meo libello tam iniqui fuerunt iudicem.

dices: ut ob iustissimas reprehensiones meas, totam in me nobilitatē concitare nō reformidari: de qua summa dementia mox sum suo dicturus loco. Venio nunc ad alteram instituti mei partem, in qua labes illas, quas vitæ & famæ meæ adversarius aspersit, cogor abstergere. Ita enim cōtumeliosè me innocentem trāctavit Vaganerus: ac si ego unus aliquis essem de grege venalium, aut scurra vilissimus. aut certè ex eorū hominum numero, qui neque literas, neque natare didicerunt. Et tamē motæ seditionis rusticane, hic idem me accusare non veretur, cui tantum sit auctoritatis, ut doctos, iuxta & indoctos ad arma possim concitare.

Vbi etiam percomodè cadit, quod cum incredibili hominis impudētia, singularis stulticia cōiuncta est: quam etiam supra demonstravi, & satis superque refutavi. Nam nihil à me cōtumeliosè, multoque minus seditiosè esse dictum: id verò ex toto orationis contextu, tam est evidens, tamque perspicuum, ut Tiresia sit cæcior, qui istud non videat. Quare pro me nihil amplius afferam, quam hoc, quod crimen istud motæ seditionis rusticane, tam procul à me absit, quam propè adest Vaganero, & primis huius turbæ auctoribus, crimen excitadæ contra principes nobilitatis. Quod autem Poësitastrum, novo & barbaro vocabulo, homo barbarus me nominat: quod inscitiam mihi obijcit, quasi ego neque artem Dialecticam neque

neque Rheticam didicerim: quod potatorē
 & calumniatorem esse calumniatur: quod eius
 dem assis plerosq; omnes Poëtas esse , clami-
 tat: quòd dignū me esse iudicat, qui in rotam
 tollar propterea quod me Palatij Cæsarij Co-
 mitem scripserim: quòd deniq; passim me vo-
 cat ranam coaxantem: sanè ad hæc omnia tam
 dilucidè tamq; apertè respōdebo, ut Marcus
 iste sibi ipsi paulatim magis magisque innote-
 scat: & qui se ante penitus ignoraverat, nūc de-
 inceps semetipsum, in hac oratione mea , tan-
 quam in speculo, contemplari possit. Quid igi-
 tur est, quod tu in mea poësi desideras, Vaga-
 nere: ut quem alij, te longè doctiores ac melio-
 res, etiam veteribus poëtis annumerandū cen-
 sent; quem aliqui Terétium & Plautum huius
 seculi nominare non dubitant: quem reliqui
 poëtæ amicissimè observant: quē summus im-
 perij huius arbiter, laurea poëtica ornavit: eū
 tu asine Cumane, poesitastrum appelles? Nam
 quid hoc verbi est , aliquem poesitastrum &
 non potius poetastrum dicere? Aut quis un-
 quam ex veteribus ita locutus est? Vtrum ego
 inscitiam , an impudentiam tuām Vaganere
 plus mirer, vehementer dubito. Quæ enim
 inscitia hæc est, ut nescias? poëtastrum sit di-
 cendum, an verò poesitastrum? Quæ impuden-
 tia est, ut quem calumniari velis, eum ne Latio-
 nē quidem calumniari possis? Sed cur tu poe-
 tastrum ausis me vocare? Quid? annon sum ei-
 go ti-

go tibi poëta idoneus? anno huic muneri sum sufficiens? an tu asine, qui Linguam Latinam nescis, nec dum ex Antonio Mureto didicisti, utrum oratio prorsa, an prosa sit dicenda: an tu, inquam, habes in mea Rebecca in mea Susanna, in mea Hildegardi, in meo Iulio redivino, in meo Prisciano, quod melius ac Latinus dicere possis, quam ego: melius facere atque componere, quam ego? Quid? Tunc, o ignavum pecus, habes, quod in meis heroicis, in meis Panegyricis, in libris nuptialibus possis reprehendere? possis corrigere? Quid? tunc ne unam Elegiam possis culpare, ex sedecim libris, quos ego conscripsi, aut unicum mihi demonstrare vitium; aut vocem obsoletam, aut phrasin denique inusitatam?

Ego certè Terentij & Plauti vestigijs insitens, hactenus in lucem evulgavi comedias: Rebeccam, Susannam, Hildegardin, Iulum, Priscianum, cùm à multis, tum in primis à te vapulantem: Ego tres edidi Panegyricos de Austriacis Cesaribus, quatuor Panegyricos de victoria Sarmatica, unum de natali C H R I S T I: vnde decim libros de binis nuptijs VVirtembergicis, quatuor de secundis, librum unum de machina horologica Argentinensium, atque hæc omnia versu heroico scripsi, quadam imitatione Virgilij, Statij, Claudiani, Ouidij, Lucani, Valerij Flacci & similium. Ego sedecim libros Elegiarum confeci, imitando Ovidium,

dium, Tibullum & Propertium, in quibus non modo principis mei liberalitas in studia literarum celebratur, sed etiam amicorum tam ex nobilitate, quam ex plebe procreatorum nomina ac laudes recitantur, & aut nuptiæ, aut impetrati honores, aut discessus, aut mortes denique suis Epithalamijs, suis gratulationibus, suis propempticis, suis Epicedijs ornantur.

Neminem unquā audivit tam impudicum, tamque immoderatum hominem, qui aliquid in istis omnibus reprehenderet, præter hunc lumbricum: qui cum nusquam antehac esset cognitus, repente modo è terra erepsit, ut mucorem suum in versus meos evomeret. Hieronymus VVolfius, vir Græcarum ac Latinarum literarum peritissimus, & singulare Germanie nostræ ornamentum fuit. Nam ipso interprete Demosthenes & Isocrates, Atticæ eloquentiæ principes, latinè loquuntur. Ipso auctore Suidas, & aliquot Græci historici togam Romanam induerunt: Ipso duce & auspice Ciceronis officia & Tusculanæ quæstiones, novam lucem acceperunt. Atque hic VVolfius in eo commentario, quem postremò nominavi, Frieschlinum, ut & alios quosdam recētiores poetas, vel cum veteribus cōparari posse iudicat. Quem tantus vir, ac tanti ingenij scriptor cum veteribus poëtis comparandum cēset, eum tu bruta bestia poetastrum, aut potius barbara

voce

voce poetastrum audes calumniari? Davides
 Chytreus, vir extra omnem ingenij aleam po-
 situs, in quadam Epistola ad Iacobum Mona-
 vium, ita honorifice de meis Comœdijs sentit,
 ut per illas pristinæ Latinitatis nitorem, in Ger-
 maniaæ Theatra reductum esse statuat. Et Mo-
 navius ipse, vir doctissimus, ad Nicolaū Reus-
 nerum, summū & incomparabilem Poëtam,
 scribere audet: quod Frischlinus comicam pal-
 mam omnibus huius seculi poëtis eripuerit.
 Quem Chytræus tantus vir, tantus theologus,
 tantus historicus laudat, eū tu mucide homo,
 poëtastrum audes per cōvitum dicere? Quem
 Monavius, doctus & probus homo diligit, co-
 lit, omniq[ue] laude dignum iudicat, eum tu bel-
 lua, tu brutum pecus, audes aspernari? Quid
 de illis ipsis dicam poëtis, quos Hieronymus
 VVolfius cum veteribus comparare haud du-
 bitat? An non Melissus, annon Posthius, anno
 Reusnerus, annon Lautterbachius, annon Sil-
 burgius, annon Pithopeus, annon Modius
 annon Trelæus, annon VVeidnerus, annon
 alij complures suis Epigrammati testati sunt,
 quanti mea poëmata heroica, quanti comica,
 quanti Elegiaca faciant? Quid quod divus
 Rudolphus, summus Imperator, in Comitijs
 Ratisponensibus, coronam poëticam suis ma-
 nibus mihi imposuit, & Laureatum poëtam
 nominavit: cinguloque militari, & armis do-
 natum, à se clementissimè dimisit? Et quę hæc
 iniuria

iniuria est, ut quem tot summi poëtē prō opti-
 mo poëta agnoscunt, quē Laureatum poëtam
 Imperator dici, ac nominari voluit, eū tu per-
 ditissime nebulo, poësitastrum ausis nomina-
 te? Quid? quod etiam Græcam linguam hic
 Lymphaticus homo me docere aggreditur?
 Quæ res est? An ego ab hoc asino, & quem ille
 in tergo portat sacco, addiscam, quinam ho-
 mines sint εὐγενεῖς: qui εὐπατρίδαι? an ego credā
 Plutarchi Theseum, ab istis pecudibus unquā
 fuisse lectum? Vix me cohibeo, quin rideam in-
 terdum (nam mihi sæpe bilem, sæpe tui risum
 movere tumultus) præsertim, quod tu etiā ar-
 tem Dialeticā cupis me docere: quid? an tu
 unquam audivisti illud Ovidij, quodque parū
 novit, nemo docere potest? Quæ enim hæc est
 Dialetica tua? attéde pecus Arcadium: Omni-
 um primæ urbes, sunt invētē à sceleratis homi-
 nibus duob. Caino & Nimbrodo. Ergo (ut tu
 infers) etiam aliæ urbes à sceleratis hominib.
 sunt conditæ. Ac proinde omnes reges & prin-
 cipes sunt scelesti; quicūque urbes & arces ex-
 truxerunt. Quæ hæc, inquam, Dialetica tua?
 Principum, ais, & Cæsaris auctoritas quotidiè
 vilescit apud eos nobiles, qui dicto nō sunt ob-
 edientes: & qui resistūt superiori ordini. Ergo
 (inquis tu) Cæsar & principes nihil possūt cō-
 tra nobiles. Item quæ hæc? Portenta nobilita-
 tis, quæ latrocinantur, prædātur & noxas alio-
 rum, per vim ac mutuas operas tutantur, si fu-

erint deprehensa in talis celere, sunt & quæ in rotam tollenda, atque alij latrones plebei, ut monet Erasmus. Ergo (ut tu infers) omnes nobiles, boni & mali, nocētes & innocētes ē medio sunt tollēdi, absque omni iure, iudicioq;. Quæ nam hæc est ratio colligendi? quæ hæc est consequentia? Porrò quid hoc est argumenti? aut quale nam Enthymema? Cum ego dico: nobiles quidā superbi & turgidi, puta, qui alias propterea cōtemnunt, quòd suos ipsi avos ac proavos non possunt memoriter proferre. Ergo (ut tu infers) criminis datur nobilibus, pro sapiam & familiæ suæ originem retrò investigare. Tum hæc ratiocinandi forma quām bella? quām pulchra? quam festiva? quām elegans? quām lepida? Nihil est inanius excogitatum nobilitate, quæ absq; omni virtute consistit, & quæ sibimet ipsa videtur, esse quiddam solidū perfectumq; Ergo (infers) omnis nobilitas, etiam solida, & cum virtute cōiuncta, pro nihilo est habenda, & stirpitus eradicanda. Mitto alia. Quis enim omnem horridam tuā sylvam possit incidere? aut quis hoc Augiæ stabulum per purgare? Ad me redeo, quem tu insciū artis Dialecticæ hominem calumniaris. Ego certè, quod notum est, octo annis continenter, per dies festos, quibus alij chartis lusorijs tempus fallere, aut vino meraciore caput, & pantices suos opplere consueverunt, iuventutem Academicā disputando exercui: & admisso opponente

nente omnem philosophiā Aristotelicam, & propè universam Cyclopediam quotānis absolvi. Quæ ergo hæc mea est miseria, ut ab hac demum bruta animante, ars Dialectica mihi sit addiscēda? Extant problemata iam olim in officina Egenolphiana Francofurti à me edita: unde mens perduellis & sycophanta Vaganerus perspicere, si volet, potest, quid ego in arte differendi possim. Atque ut nihil sit, quid ego maledicto cōtumeliosissimi hominis quem am opponere, Divitamen, Imperatoris, armis atque insignibus, quæ is mihi cōcessit, tanquam Aiacis clypeo, aut Palladis ægide, satis ero communitus. Cæsar enim scutum meum poëticum caduceo Mercurij ornavit: & galeæ Philosophicæ insignitum laurea Mercurium imposuit. Nam hoc Symbolo sapiens vetustas artem notavit Dialecticam. Sicut enim virga Mercurialis anguem ab angue seiungit: ita ars illa differendi verum à falso discernit.

Atque ego, Vaganere, isto caduceo, sic iam obverberavi os tuum, sic mendaciorum cristas, abs te erectas, hac virga contudi: ut si tu plagas istas nondum sentis, leprosam mentis cutem te habere oporteat. Rhetoricam vero artem, cur tu me doceas? cur tu mihi demonstres, quæ res ad demonstrativi generis locos pertineant? Quæ hæc causa est? quæ hæc impudentia est? Num tibi ego sum tam ignarus?

nesciam, quos ex omni genere orationum flo-
 sculos decerpam, atque delibem? aut quid in
 quolibet genere mihi sit faciendum? Nihil hic
 dicam de orationibus meis quam plurimis de
 Panegyricis primùm in schola recitatis, postea
 prælis typographorū editis: nihil de munere
 meo scholastico, quo multos iā annos ita fun-
 gor, ut optimos Latinæ Linguae auctores pu-
 blicè hactenus enarraverim, puta Ciceronem,
 Sallustium, Cæsarem, Virgilium atque Horati-
 um. Nihil, inquam, de his omnibus dicam,
 Extant Bucolicorum & Georgicorum Virgi-
 lij, Epistolarum Horatij, & Persij Satyrarum pa-
 raphrases, me auctore in lucem evulgatae: o-
 pus cōsummatis oratoribus difficile, ut Quin-
 tilianus affirmat. Et quæ malum est hæc misé-
 rìa! illò demum res meas devenisse, atque in
 hunc angustiæ locum omnes meas copias esse
 redactas, ut à stolidissimo & inertissimo ho-
 mine cogar, artis Rheticæ præcepta addisce-
 re! Et an ulla contumelia in me est, si hæc non
 est? Habet hoc virtus (quam tu Marce ne de
 facie quidem nosti) ut viros præstantes species
 eius & pulchritudo, etiam in hoste delebet.
 Itaque Lambertus Danæus, cui idem de me
 persuasum fuerat, quod tibi, et si caussam se ha-
 bere arbitrabatur, ob quam acerbius in me in-
 veheretur: ita tamen me odisse non potuit, ne
 tum quidem, cum vehementissime à me dissi-
 deret, ut etiam (quod meminero semper) in-
 vitum

vitum me sibi amicū, quid dico amicum? imò
 fratrem habere cuperet. Audes verò etiam ô
 furia, me potatorem & amatorem calumnia-
 ri? Vnde istud scis? aut quonam vitæ quoti-
 dianæ usi, talia de me edoctus es? qui neque
 me vidisti unquam, neque unquam eos, qui
 me rectè norunt, audisti: sed unius duntaxat
 atque alterius inimici, atque putidi hominis
 putidas in me percepisti contumelias. Non e-
 nim ignoro, à quo balatrone illę tibi sint amen-
 tatæ hastæ, & qua è pharetra illa in me tela de-
 promta. Nam te promissis aliorum & spe præ-
 miorum fuisse impulsum, ut mihi maledice-
 res, id verò postea demonstrabitur. Itaque
 non miror, te ignota de ignoto tam protervè
 ac petulanter proloqui ausum; hoc in te miror,
 cur tu potestatem reprehendendi & culpandi
 vitia, illis omnibus adimas, qui non sunt puri-
 tatis angelicæ & vitæ integerrimæ, adeoq; ho-
 mines ab omni peccato remotissimi. Hoc
 item miror, cur tu etiā plerosque alios poëtas,
 eorundem vitiorum, quæ mihi attribuis, tam
 petulanter insimules, & cur potationum & a-
 mationum propè omnes poëtas accuses. Hoc
 denique miror, quid sit, quod tu compluribus
 Saxoniarum Ecclesiarum pastorebns Epicu-
 reastrullisationes, & vinarias popinas tam im-
 pudenter obijcias, tam audacter exprobes. Pri-
 mūm, si nemo audet castigare, ac multo minus
 pœnis multare vitia, nisi ipse sit αὐτομάχητος, &

ab omnibus peccatis alienissimus, quātam tu
 Marce peccādi fenestram aperueris in schola,
 in Republica, in Ecceſia: & quām gratum huic
 exulcerato ſeculo ſignum, ad rebellendum ma-
 gistratui intuleris in Academia, in foro, in tem-
 ple, in aula, in curia? Quis enim ludimagister
 caſtigabit puerū? quis Professor accusabit fla-
 gitia, invehetur in ſcelera? niſi ipſem et vitam
 ducat angelicam? Quis iudex in foro pœnam
 inferet reo aut facinoroſo, qui ipſe contamina-
 tus fit peccatis, & ſuis quibusdam inquinatus
 vitijs? Quis concionator audebit taxare mo-
 rum corruptelas, in ſua Eccleſia? Quis pecca-
 ta ſui gregis reprehendere, ſi non ipſem et ca-
 reat ſuis nævis, nec vivat absque omnibus vi-
 labibus? qui regum aut principum supplicio
 multabit conſeleratos homines? quis à furibus,
 ab homicidis, ab adulteris pœnam repe-
 tet, ſi non poſſit dicere, mundum eſt cor me-
 um, & peccatum non feci: ac proinde gratia
 Dei non egeo? Vidēſne, Marce, quō nos dedu-
 cas cū religione tua? Vidēſne, in quas turbas,
 in quam ἀταξίᾳ humanum genus cum tua The-
 ologia coniijcias? Deinde, quæ furiæ te huc im-
 pulerūt, ut per meum latus, etiam alios poëtas
 confodias, & plerosque omnes illos potatio-
 num, helluationum, & amationum accuses?
 Si noſti, quis fit poëta, & cui hoc nomen verè
 competat, paucos ſanè ex illis, qui hodiè ver-
 ſus ſcribunt, poëtas eſſe dices. Equidem Hie-
 ronymus

ronymus VV olphius, in illo libro, quem supra dixi, è poëtis hodiè superstitibus & antiquitatì annumerandis nominat Schosserum, Frischlinum, Melissum, Reusnerum, & præ cæteris nominandum Scaligerum, quibus ego meritò addendos esse censeo Carolum Utentiovum, Ianum Duzam, Iustum Lipsium, Adamum Siberum, Iohannem Maiorem, Jacobum Strasbourgum, Iohannem Posthium, Gregorium Bersmanum, Iohannem Lauterbachium, Nathanem Chytream, Davidem Sigmundum, Lambertum Pythopæum, Fridericum Silburgium, Franc. Modium, Ioannem Ladislaum, Ioannem VVeidnerum, & aliquot hisce consimiles. Quid tu hic dicturus es Vaganere? Horum plerosque esse crapulosos, esse amatores; esse intemperantes? Quid tune etiam Georgium Fabricium culpabis, qui in summa copia optimorum virorum, pari continentia, virtute, pietate, reliquit neminem?

Quid? tu ne etiam Adamum Siberum hoc nomine reprehēdes, hominem dies noctesq; de studio virtutis, & commodis Reipub. cogitantem? Quid? an etiam Schosserum, & Melissum, & Posthium, & Bersmanum vituperas? quos poëtas? quos viros? Quid dicam de N. Reusnero, de N. Chytræo, de Iohanne Lauterbacchio, de D. Sigismundo, de Lamberto Pythopæo, perpetuis improborū & facinorosorum hostibus? Tune impuratissime leno, cri-

minari audebis Iohannem Ladislaum, Jacobum Furmanum, frequentissimorum ludorum optimos gubernatores? O labes! ô pestis Ecclesiæ! Non despero, quanquam languent animi hominum, in hac effæta mudi senecta, neque perinde atque debent, in laudis atque gloriae cupiditate versantur: futuros aliquos exnumeratis poëtis, qui abiectum hoc cadaver suis versibus exagitare; & sempiterno posteritatis odio exponere non volent: præsertim tam fortis, tam animoso, tam innocentem reo. Ac si mihi aliquorum Epigrammata ad manus pervenerint: quam tu Marce præfationem à me habiturum te speras? Sed & Iohanne Maiore, & Iohanne Seccervitio (nam hos aliqui subinde per opprobrium mihi obijciunt) quis ingenio, & poëtica maior iuvetus est? qui si ex iracundia, aut aliqua culpa interdū peccarunt: an propterea artes illorum contemni, atque contumelijs affici debent? Eobano quis fuit Poëta numerosior? quis argutior? quis ingenio & facilitate carminis promptior? At quām bibax ille fuit, præsertim in prima ætate, & quām vinosus? quantus potor? Nemo tamen est, qui Eobani artem, qui libros putet reijciēdos, aut ipsum etiam è bonorum virorum numero segregandum. Verum quānam illa vanitas? quā levitas tua Vaganere? ut tu Stigelium ijsdē verbis laudes, quibus eum boni viri laudare consueverunt: & tamen criminis tui reum facias: quasi

quasi is civilem vitæ humanæ societatem à Cai-
 no & Nimbredo, duob. cōsceleratissimis ne-
 bulonibus initium sumisse scripsiterit. An erat
 hæc potestas tua, ut tu Stigelij versus auctorita-
 ti Mofis, testimonio Iosephi, verbis Augustini,
 scriptis Lutheri, sententiæ Calvini opponas, &
 facinorosos prædones cū pijs Monarchis eos-
 dem esse dicas? Sed non satis est, te plerisque
 omnibus poëtis maledicere, & eorum famæ ob-
 trectare; audes etiam collegis tuis, & Eccle-
 siarum Saxoniarum ministris, maledicta, &
 opprobria tua ingerere. Nam ex hara Epicuri,
 non ex ara spiritus sancti, illos prodire scribis:
 & genio ac somno indulgere ait: ventri inser-
 vire clamitas: Theologos autophilos esse affir-
 mas. An verò hoc non præclarum est Theolo-
 gi Lutherani, de suis collegis iudicium? non
 ne memorabile testimonium? nonne elegans
 eulogium? Quoniam verò hic locus è præfati-
 one tua est, ad nobilissimum & clarissimum vi-
 rum Levinum Schulenburgum, sejungam te
 ab illo, non solum nobilitatis causa, verum eti-
 am Levini, ne qua ex tua summa indignitate,
 labes illius dignitati adspersa videatur. Cùm
 enim multa sint indigna in tuo instituto, tum
 nihil minus est ferendum, quām quod iam nō
 per latrones, non per homines egestate & sce-
 lere, sed per nobiles, per optimos viros, optimis
 quibusq; periculū inferre conaris: & quos
 lapidibus, quos ferro, quos laqueis, quos fa-

cibus, quos vi, quos manu, armis opprimere
nō potes, Marce, hos optimorum auctoritate
patria religione, bonorum sententij te op-
pressurum arbitraris. Quid verò causē est, quā-
obrem tu Saxonicos Theologos dicas ex se-
ipsis natos, qui tamē Mosis, qui Prophetarum,
qui Apostolorum, qui Augustini, qui Lutheri
vestigijs insistant? Cedo, è quibus tu natus sis
hominibus, aut à quibus magistris factus The-
ologus, qui tam procul à Mose, à Prophetis,
ab Apostolis, ab Augustino, à Luthero ipso di-
scendas? Et si illi tibi videntur è tertio cœlo de-
lapsi, qui recte sentiunt, annon tu illis post hac
videbere, ex ipso Tartaro prorepsisse: qui tam
impia de Caino, & Nimbrodo protuleris?
Quid? an tu doctiorem temet, quam sunt illi,
dicas esse Theologum, aut historicum, qui ex
civitate Caini facis pagum, ex Nimbrodo No-
am, ex tyranno, bonum principem, ex consen-
su superbiæ, virum iustum & fortem, è prædo-
ne prætorem, è consceleratissimo nebulone,
pietissimum Monarcham? Sed & inertiaz ac-
cusas & somni, quos domi vides facere offici-
um: exornare, quam naeti sunt, spartam: con-
servare domum: alere familiam: educare libe-
ros. Quasi vero tu Marce sis adeò strenuus, qui
deserta domo, deserta statione tua, totostri-
ginta annos per omnia maria, per omnester-
ras circumerrasti, & noctuæ instar, sepulcris
& monumentis infedisti? Strenuate exercet
inertia,

inertia: navibus atque quadrigis poscis bene vivere: Quod petis, hic est: est Vlubris: animus sit e non deficit æquus. Merito igitur illite posthac, à stulta vagatione Vaganarrum, quasi Stolidum erronem, dicent: ut quam homo sis mobilis, quam vagus, quam inconstans, quam stupidus, ipsum nomen tuum declareret. Obijcis etiam tuis hominibus, crapulam, & gulæ studium: innuens esse Epicureos, ex caula Ari-stippi, non ex aula Chrysostomi: ventres poppas, helluones & Epulones. O immortalem Deum! ut nemo in se tentat descendere, nemo: sed præcedenti spectatur mantica tergo. Nam quis tu homo es, qui iudicas alienum ser-vum? Domino suo stat, aut cadit. Quid, quod delatores etiam, & contemtores esse veterum monumentorum vociferaris?

Quasi verò, qui te non amat, idcirco veterum monumenta oderit: quasi, qui te statio-nis desertæ accusant, qui erronem dicunt, qui ingenio vago, & instabili esse queritantur, falsi fint delatores, & quadruplatores: Non impor-tunè hic ad me revertor, quem tu profligatis-sime hostis, itidem potatorem, ut & tuos colle-gas & insuper amatorem, per opprobrium no-minas. Audi furia, tune eum amatorem esse, & genio indulgere credis, qui quotidiè docet in schola, quovis die festo, de rebus Philosophi-cis, in utramque partē disputat: domi assiduè meditatur: tot libros edit, tot bonos aucto-res

res paraphrasi explicat: tot Græcos scriptores
 in Linguam Latinam transfert? Tûne cum ho-
 minem amatorē esse dicis, qui totos años tre-
 decim ita vivit in cōiugio, ut nulla unquā iusta
 de ipso querimonia, vel ad cognationes, vel ad
 affinitates, vel ad magistratum delata sit? Mea
 uxor ferè quotannis prole meā domū auget:
 chari sunt mihi liberi, honesta cōiux. Ostende
 tu sterquilinium hominis, ostende, si potes ul-
 lam in terris, quæ præter hanc, mihi sit amasia.
 An tu illorum hominū me putas esse similem,
 pro quibus tu arma moves? an fortè audieras,
 me quoque sueum esse nobilem & nihil per-
 vulgatæ nobilitatis à me alienum? Ranam me-
 cur dicas & ranunculum, & coaxantem ranun-
 culum, causam ecquā habes? Nam mihi Frisch-
 lino quasi Vegetio, nō Freschlino quasi ranun-
 culo, avitum esse cognomen norunt omnes,
 quotquot Balingæ in agro Vvichtenbergico vi-
 vunt, & quicunque patrem Iacobum avumq;
 Iohannem ante me norant. Neque cives ipsi
 Dissenhofiani, in finibus Helvetiorū hoc igno-
 rant, quorum civis fuit meus proavus, Henri-
 cus Frischlinus; olim vir summæ illic dignita-
 tis, summæ potentię, summæ opulentię. Itaque
 tu non tam mihi, qnām meis maioribus labem
 infamiæ cupis adspergere; & sepulcra mortuo-
 rum, quæ alibi videris colere, hic violare: & in
 cineres meorum immeiere. Cæterū, si coaxa-
 re, est veritatē dicere, scapham nominare sca-
 pham,

pham, centaurum centaurum, tyrannum ty-
 rannū, Nimbrodum Nimbrodum, Cyclopem
 Cyclopem, Cainum p̄edonem; si coaxare, est
 nulli adulari, neminē caluniari, p̄desse bonis,
 non nocere malis, recto tali ocedere, fortasse
 non omnino errabis, si me coaxantem ranam
 dixeris. Verū tu non contentus hisce vulne-
 ribus, quibus me lēdi posse credidisti, etiā mor-
 tiferam mihi plagam infligis. Hortaris enim
 carnificem tuū voce sanguinaria: ut rotam ex-
 pediat, (O misericors D E v s! averte quæso, &
 detestare hoc omen) qua membra mea diffri-
 gantur; quandoquidem ego me poētā Laurea-
 tum, & Comitem Palatinum Cæsarī nominā-
 rim. Non igitur integrum hīc erit. Posthio, P.
 Melisso, N. Reusnero, & I. Lauterbachio, c̄te-
 risque poētis Laureatis consilio iam uti tuo.
 Errarunt enim, quod Lauream sibi Coronam,
 à Cæsatibus imponi permiserunt. Non gusta-
 runt istam tuā Theologiam, non legerunt istas
 novellas decisiones domini huius de Rota. Be-
 beli pudet me tui.

Quid est, quòd olim confectis aliquot Saty-
 ris, & tam acerbè exagitatis hominum vitijs,
 lauream poēticā tibi tantoperè decerni volu-
 eris, à Maximillano primo? Conrade Celta,
 Georgi Sabine, Vrsine Veli, Iohannes Crato,
 Henrice Pantaleon, cur non audistis hunc tam
 doctum Theologum, tam eruditum historicū,
 priusquam in istum errorem induceremini: ut
 creari

creari comites Palatij Cæs. optaretis? O stu-
 tos! ô amentes! ô nullius consilij homines! qui
 unquam lauro poëtica ornari, & comitiva Pa-
 latij donari voluerunt: ut olim digni haberent-
 tur, quos carnifex Vaganeri in rotam tolle-
 ret. Fortitan hoc, quod iam serio dicturus
 sum, mirabile auditu esse videbitur: sed certè
 dicam, quod sentio. Cæsar me comitis Palati-
 ni nomine appellavit: Cæsar Lauream poëti-
 cam meo capiti imposuit. Huius rei si alium
 nullum reporto fructū, nisi ut rotæ suppicio
 afficiar: Cæsari beneficium remitto: mihi is
 meum nomen restituat, ne ad contumeliā, &
 pœnam honorem dedisse videatur. Quid e-
 nem dicam in re seria? aut quid in re minimē io-
 cosa quærar? aut cuius hominis opem in hac
 summa calamitate, atque ærumna implorem?
 Adeſtauctor confidentissimus Theologus, &
 historicus: qui me in foro totius Germaniæ in
 theatro totius orbis terrarum, acerbissimè in-
 fectatur; quippe atrocissimorum criminum
 non insimulat modo, sed etiam apertè accusat.
 Adsunt testes contra me aliquot homines ge-
 nere nobiles, auctoritate præstantes, annis
 graves, opibus potentes; qui uno ore omnes
 conqueruntur, læsam à me nobilitatem, vio-
 latam à me auctoritatem huins ordinis: di-
 gitas in meum magistratum contumelias gra-
 ves. Atque inter hos, duo Coryphæi sunt,
 sat noti in aula Virtembergica; qui & facem
 huic

huic incendio prætulerunt: & Carniolanę nobilitatis aquam, ad restinguendum hoc incendium allatam, respuerunt: literasque, pro me scriptas, oppresserunt: neque ad ullum egestrem conventum pervenire voluerunt. Itaque accusor, ut hostis Germaniæ nobilitatis, ut eversor familiarum veterum, & contemtor magistratus, ut tuba ingens seditionis, ut auctor servilis tumultus, ut crudelissimus mactator innocentissimorum hominum. Dicunt enim nobilitatem per me derivari à Caino, & Nimbrodo, duobus viris cōsceleratis: dicunt eandem radicitus per me extirpari; dicūt nobiles omnes, tam bonos, quam malos, in cruces & rotas à me adigi.

Quem mihi ego hīc patronum, quem defensorem, quem deprecatorem parabo! loquárne? incendam. taceam? instigem. Purgem me? laterem lavem. Nam ubi semel in animis imperitorum hominum, concepta de aliqua re, opinio radices egerit: ibi nulla unquam oratione, ita rursus evelli potest. ut nō aliquid mali semper inhæreat. Me miserum, quid agam! Adsunt in sua caussa iudices, viri concitatissimi. Nam idem, qui auctor est, etiam iudicium exercet. Iam enim sententiam tulit: ut in rotas tollar: licet nō dum sim auditus, nō dum crimen confessus, nondum criminis convictus. Iam lictor accurrit, qui me liget: iam carnifex, qui me ducat: iam rota portatur, qua mei

mei artus distingantur. Quid? an vides,
 pie lector, nudum meum corpus, ante oculos
 huius Vaganeri, supra quatuor crates distetum?
 Annon vides dispassa mea brachia? dispassos
 pedes? annon vides faciem meam vestibus ob-
 volutam? O misericors Deus! num quid au-
 dis M. Vaganerum, stipatum suis satellitibus,
 hortari carnificem, ut properet, ut jus suum
 exequatur, ut brachia, ut pedes mihi diffri-
 gat? Heu me miserum! in quas ærumnas reser-
 vor? domi lamentatur vxor mea modestissima:
 cui nihil præsidij, nihil solatij est reliquum, tam
 crudeliter damnato socio, atque participe for-
 tunarum omnium: eiulant liber tenelli, patre
 orbadi dulcissimo, omnis vita, omnis fortunæ
 suæ duce, ac patrono longè optimo: plorat ma-
 ter, hunc sibi filium tam horredø supplicio pe-
 rimæ, quem ipsa unicum huc usque senectutis
 suæ columen, atquelumen habuit: lacrumas
 profundit frater: flent ambæ sorores, quod e-
 um hominem sibi ex oculis tam crudeliter au-
 ferri vident, quem illi post mortem commu-
 nis nostri parentis, alterum sibi patrem ad-
 esse toties experti sunt: planget socrus,
 quod talem sibi eripi generum intelligit:
 in quem omnem spem senectutis suæ col-
 locaverat, & quem filij loco semper dilexerat:
 Squalent omnes propinqui: lugent affines:
 mœrent amici; quibus mea cōsuetudine, mea
 conver-

conversatione, meis officijs nihil unquam fuit
 jucundius, nihil acceptius, nihil gratius. Quid
 multis? Dolet omnis patria: singultit omnis
 Academia: ingemiscunt omnes collegæ, amis-
 so tanto cive, tanto laborum ac vitæ socio, atq;
 comite: qui nullum pro altero labore, nul-
 lam molestiam sibi unquam putârit subterfu-
 giendam. O immortalem Deum! huccine re-
 rum perveni, ut in rotam tollar? Hancne mer-
 cedem pro tot vigilijs, pro tot curis, tot lucu-
 brationibus aufero! ut quem discipuli haæte-
 nus in cathedra sedere, & optimos quosq; au-
 ëtores explicare, cum summa voluptate vide-
 rent, eum posthac radijs rotæ districtum in aë-
 re pendere, cum summo mœrore aspiciant?
 Hancne mea dignitas, in quam me Cæsar collo-
 cavit? hancne mea laurus, quam ille capit meo
 imposuit? hicne meus caduceus, quem idem
 ille indidit meis manibus? hocne meum pala-
 tium, in quod ille me deduxit? Iacent libri mei
 in situ & pulvere: squalet Iulus Cæsar: torpet
 Virgilius: domus ipsa mœrore conficitur, ut
 ad tantum miseriarum cumulum, nihil ultra
 videatur posse accedere. Itaque actum de me
 est, nisi Cæsar mihi parens, mihi Deus, & salus
 nostræ vitæ, fortunæ, memoriæ nominis, hoc
 specimen pietatis, hoc indicium animi, hoc lu-
 men maiestatis suæ putat, si me mihi, si meis,
 si Academiæ, si toti patriæ conservet. Scio quid
 iterum dicturus sit Marcus: se aliorum sermo-

nibus, & magnificis præmijs impulsum fuisse, ut hanc in me proferret, tam crudelem sententiam. O præclaram defensionem facinoris tui, Marce: te aliorum verbis ita credere, ita corrumpi muneribus, ut falsa pro veris, dubia pro certis, audita pro compertis, arripias. Frustrè tu culpam hanc in alios transferes tua vanitas, tuum mendacium, tuum scelus est: te id crudelitatis, quod aliorum narratis adiecisti, ad tuos impulsores, quos modò nominavi, reijce re. Esto enim: fuerit aliquibus ita persuasum ab alijs, quasi ego istud, quod tu insimulas, scri pserim, impulerit sane aliquos in odium mei suspicio criminis, studium gloriæ, præstans animus, excellēs nobilitas. An propterea, quod in illis tum reprehendendum esset, cùm ex ignorantia peccarent: & nunc deinceps obliterandum est, quando sibi verba ab alijs data esse agnoscunt, tu id tibi, bustuarie gladiator sumes? An M. Vaganeri latronis, ac sacrilegi vox audietur? qui me non tantū rotæ supplicio multandum censet: sed etiam dira imprecatione Orco devovet.

Hoc scilicet religiosi est Theologi, hoc sancti hominis, eos, qui à creditis tesquis errorū, in viam erant potius reducendi, quam morte multandi. etiam stygijs paludibus condemnare? Habet interdum justa indignatio suam excusationem: & sæpen numero merentur laudem, qui gravem iram, ex aliorum hominum flagi-

flagitijs concipiunt. Sēpē etiam ira, cūm in furore abijsset, D E O placuit: ut cūm Pineas, Eleasari filius, fornicantes interimeret: & Mathathias justam succensus ad iram, profanum Indæum contrucidaret: propterea, quòd is rem divinam simulachris gentium facere insti tuerat. Vbi verò innocentibus & ignotis maledicitur: ubi prius damnantur homines, quā causa sit cognita: ubi æterno exitio mancipantur, qui ne momentaneam quidem multam, in hac vita sunt promeriti: quænam ibi religio est? quæ ibi æmulatio? quæ sanctitas? Primum. n. M Vaganerus nihil eorum, de quibus me publico scripto accusavit, compertum habet: nihil eorum vidit: nihil legit. Deinde præter audita, & narrata ab alijs, nihil affert, in suo famosissimo libelio: nihil, inquam, affert: Quis enim credit, meā orationem ab illo esse lectam, qui tot crimina falsi committit? Nusquam enim ego scripsi, nobilitatem à Caino & Nimbrodo sumfuisse initium: nusquam scripsi, arces & urbes nihil pertinere ad vinculum humanæ societatis: nusquam scripsi, omnes nobiles, tam bonos, quam malos, in rotam esse tollendos. Nusquam scripsi, unum noris, omnes noris: nusquam scripsi, virtutem & genus inter se pugnare, neque simul in eodem pectore consistere. Et tamen iste furibundus carnifex, incitata vecordi mente, hæc omnia à me scripta, & à se visa, & meditatè lecta esse,

tam confidenter affirmas, ut etiam maledictorum clamorem ingentem in me profundat. Sed mitto ista: quorum vanitas supra me est ostensa: Ad grandiora mendacia venio, quae tam sunt manifesta, ut etiam ab indoctis & pueris possint cognosci: ac modò non manibus palpari. Nam versificationibus ait, me inventum esse in nobilitatem, & in ordinem ipsum equestrem. Quis autem est à literis Latinis, & à Musis tam remotus, ut obiter saltem inspecta mea oratione, hoc mendacium non statim animadvertis? Prosa. n. est oratio mea, de vita rustica, nō versibus conscripta: soluta est, nō vincita numeris: libera, non ligata. Quid? quod majusculis literis, & per puncta ac notas aptè interstantas dicit Vaganerus, excusa esse omnia, in quibus vita nobilium barbarica, & mores Cyclopici, à me reprehenduntur? Hoc calidum est mendacium, & nimis impudens: quodq; recordi hominis animo, prima statim mentendi libido suggestit. Nam una eadēq; litera, quam in officinis antiquā vocant, tota oratio impressa est, paucis sententijs exceptis, quę ex alijs auctoribus à me desūntæ fuerunt, & minori typo à typographo excusæ. Verba verò Erasmi Roterdami, de facinorosis portentis, in altiore rotā tollendis, cur tu Vaganere audes affirmare, litteris omnium maximis, in contumeliam ordinis equestris, impressa fuisse? Ego. n. dicoid, quod omnes norunt, qui legerunt orationem.

illa verba (sicut & Plauti, quæ paulò pòst sequuntur) omnium minima litera fuisse edita: atque hoc ideò, ut à me ostenderetur: illa verba ex ailio auctore esse petita: cuius etiam nomen fuerat appositum. Aut igitur graviter impudentem, atq; extremè sceleratum hominem te esse oportet: qui in re tam manifesta omnib. mentiris: aut (quod omnes dicunt) hanc orationē de vita rustica, nunquam à te visam, nedum legitam esse firmiter statuendum est. Quæ autem isthæc tam horribilis est protervia! quæ tam incredibilis, & penè inaudita est hæc temeritas! aliquem existere, qui librum sibi impugnandū sumat, quem neque vedit usquam, neque legit unq: & tamen jactitet, se diligenter ac meditatae legisse, ac perpendisse omnia, quæ in illo scribuntur? Egóne diligenter & sedulò, credam, te Vaganere meum librū lectitasse? qui columnā 29. cum 98. tam furenter audes commiscere: qui de Caino & Nimbrodo tam futiliter ineptis: qui tales res, ac talia verba passim adducis, quæ mihi nunquam in mentem, nedum in stylum venerunt: qui quæ soluta oratione sunt scripta, ea tu pro ligatis, & pro versificatione habes: qui affirmas, majusculis literis esse excusa, quæ edita sunt minusculis: qui, quæ minimo constant typo, ea dicis constare maximo.

Et quænam Theologia hæc est? aut quænam historiarum cognitio? ecquis pudor? ecquis metus? narras me in convivio, apud consoda-

les, & compotores dixisse: quòd aliquid novi,
atque inusitati scripturus sim, adversus nobis-
titatem, & ordinem equestrem. Vbi ego hoc
dixi Vaganere? Vbi hoc convivium est habi-
tum? aut quinam illi erant convivæ? qui con-
fodales? qui compotores? unum nomina, si
potes Vaganere. Accusas verò unā mecum
quendam Lorchum, quasi meum familiarem:
qui & ipse contra nobilitatem scripsiterit con-
tumeliosa, fœda, & planè seditiosa. Ego Lor-
chum istum non vidi: neque hominem ullius
coloris novi: qui isthoc sit nomine: neque li-
brum, si quem ille scripsit, in manibus unquā
habui: neque nomen illius antè è quoquam
audivi, quām mendacissimum tuum librum
fuissem adeptus.

Quod si tamen ille nihil scripsit contra no-
bilitatem acerbius, quām aut Erasmus, aut Lu-
therus, aut Selneccerus, aut Mathesius, aut ego;
Vide sis, tu prostibulum nobilitatis quomodo
tu illum seditionis excitatæ possis convincere.
Et quæso te, cur tu Italum vocas Lorchum:
qui tamen tibi Germanus est? Quid? an tu o-
mnes Italos pro seditiosis habes? an omnes I-
tali tibi videntur nobilitatis Germanicæ capi-
tales hostes? Præclarum hoc tuū de exteris gen-
tib. est iudiciū. Nos q̄ literas didicimus, gentē
Italicā propter studia & morū urbanitatē coli-
mus, & diligimus. Tu nobis gentē illā, quod in-
te est, cupis invisam reddere: ut quos antea a-
maba-

mabamus, propter doctrinam & insitam virtutem, nunc propter inscitiam, & sclera tua odio persequamur. Itali cum primis docti, & literis exculti, Germanos hactenus in honore habuerunt eos praesertim, qui propter humaniora studia, & cognitionem literarum, societatemque linguæ, proprius ad illorum ingenia & mores accedebant: Sicut me quoque cum in Italia versarer, summa prosecuti sunt benevolentia, summo amplexi studio. Tu vero importunis tuis vocationibus, Italos cupis ab amicitia, & fide Germanorum avertere: & mutua inter duas præstantissimas gentes odia excitare. Verum enimvero, bilioso tuo stomacho ne sic quidem satisfecisti, quod consodales, quod Lorchum, nescio quem, quod Italos, per latus meum sauciasti, per trahis etiam in societatem eiusdem criminis, totam Academiam Tbingensem, quam aliquoties tubam ingentem seditionum appellas. Quid enim haec sibi volunt maiusculæ literæ? aut quid notarum HIEROGLYPHICARVM hic latitat? Si me solum voluisti perstringere, cur non tubam seditionis me nominasti, aut si tubam ingentem voluisti dicere, cur non potius ingentem tubam, aut tubam seditionis ingentem vocasti? Cur ubique duo illa vocabula sic coiunxisti, ut ad nomine Tbingæ, que proxime alluderetur? Cur literis maiusculis consignasti, quæ maiuscula animi tui billem exprimerent? Ac ne leviora videar perse-

qui : cur tu expressè ais , quosdam balatrones
 fuisse : qui hoc scribendi genus promoverint.
 & me, seditiosas voces sibi præcinentem, pleno
 gutture sint secuti ? quinam isti balatrones ? q
 promotores ? qui succentores ? Cur non no
 minas Marce ? cur tu paucula tantùm verba p
 fationis meę quam nunquam legisti, haud sine
 criminе falsi adducis : ut fidem tuo mendacio
 facias ? Quæ .n. verba discipulos meos respici
 unt, ea tu ad alios homines referenda esse cen
 suisti, malè subornatus à magistris tuis , quite
 hanc fallaciam non rectè docuerunt. Evidē
 Georgicorum paraphrasin, & hanc orationem
 de vita rustica , à me petiverant mei discipuli:
 & jamdudum volebant, ut in lucem hæc opera
 ederentur. Tandem verò, cùm etiam anno 80.
 Bucolica enarrassem , & typographus operam
 mihi suam, in utroque opere conjunctim ede
 do, promisisset (modo aliquod à principe meo
 clementissimo subsidium ei im petraretur) ibi
 ego præter primæ Eclogæ dupl icem parap
 hasin, tanquam leonis unguem, nihil ad meos il
 los amicos misi, per quos & me ipsum, & in pri
 mis typographum, voti compotem fieri posse,
 quām optimè confidebam. Itaq; liquidò pos
 sum affirmare, quod nemo professorum , ne
 mo Abbatum , nemo Curialium , in toto agro
 Vирtembergico, quicquam de Georgicis, aut
 etiam de laudib. vitæ rusticæ, prius viderit, q
 uia omnia fuissent à meo typographo impressa:
 quem-

quemadmodum hoc mea quidem te docebit
oratio. Esto autem Marce, nihil sit à me scriptū
solo: sed omnia illa, quæ in Centauris reprehē-
duntur. auctoritate senatus Academicī, volū-
tate cōtus studiosi, scitu ac iussu Collegiorum
omnium, scripta & publicata esse fateamur.

Quid ergo, homo impurissimè & imperi-
tissimè, quid, inquā, solidæ laudis, ac veræ glo-
riæ præstantius mihi potuit accidere? quid o-
ptabilius ad memoriā nominis mei sempiter-
nam, quam tales consiliorū meorum habuisse
socios: qui & ipsi in maxima apud omnes mor-
tales laude pietatis, iusticiæ, prudentiæ, & sum-
mæ conditionis positi? Quod quidem ego iam
tibi reddo tuum Nam ut tu me socium dixisti,
& charum, & amicum Tubingæ, totiq; Acade-
mia: sic ego te, quāquam sis omni diritate, at-
que immanitate tēterrimus, tamē dico esse o-
dio non tantum nostræ, sed etiam omnibus to-
tius Christiani orbis Academijs. Quod etiam
aliqui principes libri mei exemplaria undique
locorum coemerint atque abdiderint, suoque
interceptu, meam temeritatē atq; maledicen-
tiā cōdemnārint: unde quæsō, isthuc habes?
Vnde de hac re inaudisti? Nam, quod de uno
quidem principe potes verè affirmare: id tu de
compluribus asseverare nō reformidas. Impru-
dens huc incidi, pie lector, Audivit enim Mar-
cus, non affirmavit: nollē dixisse: iactabit se, &
in pristino effugio mirificè triumphabit. Cre-

do etiam, literæ ab eo proferentur: quibus ita
ab VVirtembergicis auctoribus huiusmodi
rumorum, ad ipsum perscriptum est. Cedò li-
teras Marce: profer nomina quadruplatorum.
Nihil enim amplius ex te scire cupio, quām il-
los nugivendos: qui tibi tam certa narrarunt
de meis convivijs, de meis familiarib. de Pseu-
dogermanis Italissantibus, de tuba ingenti se-
ditionum, de principum interceptu.

Nam, quod solum nunc reliquum est, ut et-
iam caussas investigem. quæ te huc impulerūt,
ut tu omnem bilem animi tui, in me unum evo-
meres: agè breviter, hanc partē instituti huius
exequamur. Cur enim in re omnibus manife-
sta diutius immorer? Quid ergo est Maree:
quod te adversus me instigavit? aut quonam tu
odio mei adductus fuisti, ad insectandū nomē
meum? quomodo istuc Marce cùm tu nullam
à me unquam acceperis iniuriam? Minus hoc
mirabar in alijs, si qui mihi dicebātur inimici.
Nam è primis turbæ huius auctoribus, ceteros
omnes citatos non nesciebam: tu verò, qui ne
verbo quidē à me violatus es, ultrò maledi-
ctis tuis me lacecessisti; quem etiam non noras;
tuamq; à me alienationē, ad infensos mihi no-
biles, tibi fore gloriæ putasti. Fortè libri mei o-
dio, credo te fuisse cōtra me instimulatum. At
quomodo isthuc Marce, cū tu librum meū ne
videris quidem, nedum legeris? Quæ igitur
res te huc impulit? quæ animi cupiditas huc
adegit:

adegit: ut ignoto homini, ob rem ignotam, tot
 contumelias, tot maledicta, tot opprobria in-
 gereres? Aut quæ tanta fuit in te audacia? quæ
 tanta vis, ut cum cæteri omnes sibi tacendum
 esse ducerent, tu unus emersus è cœno, omniū
 facilè omnibus rebus infimus, me persequen-
 dum calumnijs, exagitandū mendacijs, oppri-
 mendum sycophantijs iudicares? Arrige au-
 res asine, Est quidam amor habendi sceleratis-
 simus, & tetra pecuniarum cupiditas, radix &
 domina omniū malorum: quæ insidiatur alio-
 rum bonis & fortunis omnibus, & cū honeste
 rem facere nō possit, sua commoda, ex aliorū
 hominum incòmodis quæritat. Hæc pestis la-
 befactavit animū tuum; hæc labes peredit cor
 tuum; hæc lues occæcavit mentē tuā: qui tibi
 salutē, qui bona, qui fortunas meas ad prædā
 proposueras. Nam paupertas, cuius grave est
 onus, tibi hanç calumniandi bonos & adulādi
 malis provinciā imposuit, Theologo valdè in-
 dignam: siquidem Theologia, ut nomē ipsum
 declarat, religionem interpretatur: & vitę ho-
 nestę ac bene agendi disciplinam continet. An
 nos triginta incertis sedibus hinc inde vagatus
 es: donec ætas tua ad senium vergeret: Nu-
 quam tibi stabile fuit stabulum: neq; lapis iste
 toties volutus, huc usq; muscū capere potuit.
 Quomodo igitur è tāta mendicitate emergas:
 nisi idem agas, quod Menius iste Horatianus;
 qui postquam rebus maternis, atque paternis
 fortiter

fortiter absuntis urbanus cœpit haberi, scurra vagus, nō qui certum præsepe teneret: impransus, nō qui civem dignosceret hoste: quilibet in quemvis opprobria fingere sævus; pernicies, & tépestas baratrumq; macelli: quicquid quæsierat, ventri donabat avaro. Quapropter nulli hoc mirum videri debet, si talis mendicus, ab aliis se corrūpi muneribus permisit; si Doricam linguā, & calamum Cretensem, pro recenti offa vénalem habuit: si hastis argenteis sibi os obverberari passus est. Hoc poti⁹ miretur omnes, qua fronte, quo ore, Marcus iste nō modò Theologum, sed hominē liberum se esse putet: cuius mēs expressa est in præmio: lingua astricta mercede: manus devinctæ aureis manicis. Quid? quòd huic cupiditati accessit alia, & quidē multò pestilentior lues, quàm est avaritia: quę & ipsa hūc hominē adeò transversum egit? Cur enim nomen Theologus sibi usurpat? cur historici, nisi ut, quod minimè est, id maximè esse videatur? Et cur tam repente prodit, qui prius latuit? Aut è quo nam antro Throphonio, iste Theologus tam subitò proripit? Nimirum tempus appetebat, ut aliquādo hęc Theologia in lucem è tenebris, in quibus se hęc etenim occultaverat, vel tādē emergeret. Quis enim hoc novissimo seculo, ante supremū diē novisset, quod Caini civitas pago, quā oppido, fuerit propior: nisi hoc M. Vagnerus publico scripto nos docuisset? Quis nosset, Nimbrodū fuisse

fuisse primum in terra Monarcham, à Deo cō-
 stitutū, ut prædones, ac facinorosos homines,
 ad suppliciū retraheret, & sanctā humanæ vi-
 tæ societatem, adeoq: Dei civitatē colligeret,
 nisi hæc M. Vaganerus publico scripto docui-
 set? Quis imperij civitates inter plebem nume-
 randas esse scivisset? Quis plebem minus sape-
 re censuisset quam nobilitatem? Quis per so-
 mniū excogitasset, inter plebē & Cæsarem, vul-
 gò nobiles esse inter medios, & quasi seque-
 stros, qui hinc Cæsaris iram, illinc plebis furo-
 rem cōmitigent? Sicut scriptum est, cor regis
 est in manu Domini. Quis plebē, è qua & Vaga-
 nerus est, credidisset suapte natura inimicā esse
 progratię sanguinis: nisi isthęc omnia è sacris
 oraculis M. Vaganerus nō tā pulcrè cōdofecis-
 set? Et quis apud Magdeburgenses historicum
 vivere prius scivisset, tam doctum, tam peritū
 veterum monumentorū, tam longo rerū usu
 confirmatum: nisi suos. ille libros in lucē pro-
 tulisset? Quis nobilitatis ortum, quis in auditū
 Germaniæ principū iuramētum, quis novum
 & inusitatum modum, eligendi Cæsarē: quis
 insolitam, & incredibilem pœnam, Imperatori
 malo irrogandam, potuisset cognoscere: nisi
 huic seculo tā facilis, tam disertus, tam politus
 Vaganerus contigisset, qui hæc omnia tam sci-
 tè perscriberet? Nam historiam ille scribit ita
 concinnam, ita lepidam, ita elegātem, nihil ut
 possit dici argutius: Illo affirmante, & vetera è
 manu-

manuscriptis, ac tenebricosis monumētis proferente, quis verbis non habeat fidem?

In hoc reprehendat eum, si quis volet, modò leniter, non ut insciūm, improbum, mendacem: sed ut sycophantam, ut assentatorē, ut mætologum. Evidē si propriū est veri Theologi, vim facere sacris literis, pervertere divina oracula, consensum Ecclesiæ veteris perturbare, pugnare cù antiquis, & cum recentibus: dōtor non erit sub sole Theologus quā est Marcus. Si item proprium historici munus est, nūgari, mētiri, calumniari, Deo & hominibus cōviciari: dico ego, pro mea conscientia, aptiore huic rei neque fuisse unquam, neque iam esse, neque unquā futurum esse, quām sit isthic Vaganerus. Verūm mihi etiam alia, & quidē longè graviora sunt, quæ in in illo reprehendā. Nā primò infimæ nobilitatis, pro qua dimicat, cā constituit dignitatem: ut omnium regum, omnium principum, omnium comitum, omniū Baronū familias, ex hoc seminario producat, Quam verò hoc de Germanis falsò dicatur: id ego unius Cornelij Taciti, scriptoris antiquissimi, testimonio possum affirmare Nam hic auctor quatuor dignitates Germanorū enumera: Quarum prima est regum: altera principū: tertia comitum: & quarta civium, aut alicuius civitatis. Idem dicit, reges ex nobilitate, duces ex virtute sunt. Quibus verbis disertè innuit, regiam dignitatem esse hæreditariam: duces
verò

verò exercitus non sanguinis, sed virtutis prærogativa niti. Nam ex principibus non elegebantur duces militum, qui essent generosissimi: sed qui essent fortissimi, & bellicosissimi. Principes verò regionum, atque pagorū inter suos ius dicebant, cōtroversia, quæ minuebāt. Sicut hoc præter Tacitum etiam Iulius Cæsar, in suis commentarijs, scriptum reliquit Cæterum, hanc quoque dignitatē Germanis hæreditariam esse. Tacitus minimè tacuit. Ita enim scribit: Insignis, inquit, nobilitas, aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adolescentibus assignat. De comitibus verò Germanis affirmat, quod magna inter illos æmulatio: cui primus apud principem locus sit. Itaque principes in acie pugnare pro victoria, comites pro principe. Ex quo manifestum est, regum & principū dignitatem omnibus temporibus, in Germania fuisse hæreditariam: & reges ex regibus, principes ex principibus creatos. Cum autem alicui principi plures essent hæredes masculi, quam quos singulę civitates, aut singuli pagi, in pari dignitatē, & splendore omnes videre possent: ibi pater unum tantum ex filiis successorē deligebat, atque maximam agri partem ei assignabat: cæteros verò comitum loco habebat: & aut iuniores heros (unde nomen Iunckeri natum est) aut liberos dēminos appellabat: eisdemq; portionem aliquam territorij, velut comitatum, attribuebat. Atq; hideinde

hi deinde sibi è suis civitatibus, atque ex plebe, ministros adiungebat; quorum cognita fides, & virtus in re militari & forensi, dicebantur hi nobilium servi, hodie demū nobiles: postquā (ut Vaganeri verbis utar) virtutibus decrescētibus, solūm accreverunt tituli & nomina magnifica. Rursum cū stirps alicuius principis in eadem linea defecisset: aliquis comitū, qui in locum demortui succederet, vel in cōsilio, vel à rege elegebatur. Magna est igitur huius Vaganeri temeritas, quod tanto verborū hiatu, tantā laterum contentione, vociferatur: omnes reges, omnes Electores, omnes principes, omnes comites, omnes liberos Dominos, ortum suum, ex imā nobilitate pro qua ipse dimicat, id est, ex servis nobilium (sicut olim dicebātur) progeniem suā deducere. Neque verò hac multò minor est & illa fatuitas, quod contra omnem vetustatē affirmare Marcus audet, comitibus priores & antiquiores esse Barones, sive liberos Dominos. Manifestè enim hæc cū illis, q̄ modo ex Tacito attuli, pugnare, nemo non videt. Quod si verò Vaganerus, Francisci Petrarchæ consiliū admisisset, nunquā ille tam ridicula, aut potius levicula, de origine nobilitatis, in medium proferre ausus fuisset. Vnum adhuc quæro ex te, Vaganere, quale iuramentum sit, quo se Germanię principes obstringunt infimæ nobilitati, & ordini equestri: quando ab Imperatore inaugurarunt, & sua regalia,

regalia, uti vocant, ab illo accipiunt? Vbi .n. tu
 Vaganere inaugurationi principum unquam
 interfueristi, ut tam exquisitè noris, in quæ ver-
 ba cogantur Imperatori jurare? Certè si tu p-
 bè consideres imæ nobilitatis clientelas, inve-
 nies eas non à principibus, sed à Comitibus, à
 Baronib. propriè huic ordini conferri solitas.
 Nobiles .n. Comitibus, hi ipsis principibus,
 principes verò Regi, aut Imperatori proximè
 subsunt. Itaque vanitas tua, Marce, & summa
 levitas, ubique semetipsam refellit. Est .n. ea
 vis veritatis, ut nusquam finat juxta se consiste-
 re mendacium. Sed ô bone D e v s, quid hoc
 est rei! quòd Marcus, Theologus cassia nuce va-
 nior, consilium audet impetriri Germaniæ E-
 lectoribus: quo pacto deinceps, & quibus con-
 ditionibus ipsi eligant Romanum Imperato-
 rem? Quis hunc Marcum tanta sapientia, tam-
 que insperata prudentia ornavit, ut etiam se-
 ptémviris Imperij possit dare consilium?

Frugi homo es Marce: non noveram te.
 Consulis quippe Germaniæ Electoribus, ut in
 eligendo Cæsare morem observent Hispani-
 cum, & quibus verbis Hispani regem, modò e-
 lectum affantur, ijsdem illi designatum Cæsa-
 rem, tam suo q̄ omnium aliorum ordinū impe-
 rij (num quid etiā equestris) publico nomine
 alloquantur, dicantq. nos qui tāti sumus, quan-
 tivos, & plus quam vos, possumus: Regem vos
 eligimus, his atq; his conditionibus. Hæc ni-

mirum tua est latinitas : atque ita tu soles Pri-
 sciani vapulantis valetudinē curare. Sed, quæ-
 so te, ubi nam tu Hispanici regis electioni in-
 terfuisti? Ostende tabulas : ostende calculos :
 ostende suffragia. Fortè ibidem vidisti regem
 Hispaniæ declarari : ubi tu principum Germa-
 niæ juramenta audivisti : quibus se illi Cæsari
 obligant, pro conservanda nobilitate suorum
 clientum. O juvenis Melicerta! quid mirum,
 si exclames, frontem de rebus perisse: quan-
 do Marcus Plaustrarius, vix tressis agaso, mo-
 dum constituendi Cæsarem in Germania, au-
 det septemviris præscribere? Quid? utrum-
 ne metuunt illi, qui tuam operam mercede ad
 versus me conduixerunt, ne si libera sit pote-
 stas Cæsari puniendi malos, sibi non sit libera
 grassandi, & tumultuandi in bonos licentia?
 An potius tu istud, quod dixi, metuis: qui ad-
 modum pro tuis es sollicitus: qui admodum il-
 lis propitius: qui admodum durus in Cæsarē?
 Quomodo n. duriorem posses adversus Cæsa-
 rem ferre sententiam: quam quod jugulum
 ipsius securi Electoris Palatini subiçis? Quo-
 modo immanior esse possis erga summū Prin-
 cipem: quam quod dicis ob enorme delictum
 cervicem illius manu Archidapiferi rescinden-
 dam esse? O cœlum, ô terra, ô maria! quis un-
 quam credidisset tantam immanitatem cade-
 re in Theologum? Quis unquam legit in ulla
 historia, manu Palatini principis decollatum
 fuisse

fuisse Imperatorem? Quis unquam audivit, a-
 pud ullam gentem, hunc tam barbarum inva-
 luisse morem? Non est, non est mihi, pie lector,
 cum eo hoste certamen, qui jam meum tantū
 sanguinem concupiscit: qui me, qui alios Poë-
 tas, & Comites Palatinos, in rotam sublatos
 videre gestit: qui uxoris meæ planctum, libe-
 rorum fletum, propinquorum lachrymas, a-
 micorum gemitus, familię squalorem aspicere
 optat. Nullus ei ludus possit esse jucundior:
 quām manus Palatini septemviri, exerta in cer-
 vicē Imperatoris: quām crux, manans ē trun-
 co Cæsarī: quām ante oculos trucidatio o-
 mnium illorum, quibus Cæsar aliquem hono-
 rem habuisset. Non est mihi res, cum scelera-
 to homine atque nefario: sed cum immani te-
 traque belua, quæ quomodo capienda sit, quo
 modo domanda, jam deinceps cogitandum e-
 rit. Agitur enim non de capite unius hominis:
 sed de tranquillitate patriæ, de salute civium,
 de auctoritate principum, de dignitate huius
 imperij. Nam ad me quod attinet, esto sanè:
 contempserit ille me, ut poëtastrum, ut homi-
 nem rudem, ut ignarum Dialecticæ, ut impe-
 ritum dicendi, ut bibulum, ut amatorem, ut
 ranam loquacem: esto: calumniatus sit ora-
 tionem de vita rustica: esto, ut ornaverit ille
 me falsissimis criminib., vanissimis contume-
 lijs, crudelissimis injurijs. Satis meam erudi-
 tionem, de qua nunq̄ gloriatus sum, prædica-

bunt mea opera, mei libri, mea monumenta.
 Satis innocentiam meam ipsa testabitur ora-
 tio, & perpetuus vita mea cursus. Vnum tamē
 pro me à Divo Imperatore, peto : ut quæ res
 Cæsaris unius opem desiderat, eam ne ipse Cæ-
 saris unius auxilio destitutam perire sinat. A-
 gitur. n. non qua conditione victurus sim, sed
 an cum suppicio, ignominiaq; periturus. Hic
 opem tuam dive Cæsar, hīc fidem tuam implor-
 ro. Semper hæc bonorum Imperatorum con-
 suetudo fuit, ut quos semel suo favore comple-
 xi fuissent, eos non modò sui nihil deperdere,
 sed dignitate, gratia, honore auctiores esse vo-
 luerint. Ego verò non peto, ut re fortunaq; sim
 auctior : sed ut pristina mihi fama ac vita à te
 conservetur. Quod ut facilius impetrem, sup-
 plicat pro me tibi, primus Rom. Imperij con-
 ditor C. Iulius Cæsar: cuius commentarij à me
 non modò enarrantur, sed etiam illustrantur:
 supplicat pro me tibi, cum toto latinorum va-
 tum choro, P. Virgilius: Augusto Cæsari olim
 acceptiss. Poëta: teque orat, ne suum interpre-
 tem, ne suum paraphrastem, ne æmulum vete-
 rum Poëtarum deseras: supplicant pro me ti-
 bi duo vetustiss. Græcorū Poëtæ Callimachus
 & Aristophanes: hic Siculo Hieroni: ille Ptole-
 mæo, Regi Aegyptio, Poëta & hospes gratis.
 teque flentes paſſis manibus orant, ne per
 quem Romanæ civitatis jus adepti sunt, eū tu-
 jure civitatis atq; aulæ tuæ, per invidos & am-
 bitio-

bitiosos homines, spoliari permittas: suppli-
 cant pro me tibialiquot Academię, totius Ger-
 manię celeberrimę: supplicant propinqui, af-
 fines, amici: supplicat aula tua, & immensa pa-
 tria: teque flexis genibus rogant omnes, ne
 illum odijs inimicorum & perduellium oppri-
 misinas, quem ipsi summo amore complectu-
 tur, & modis omnibus conservatū volūt. Quod
 si isthæc omnia te non cōmovent, nuni etiam
 uxoris meæ lacrymas despicies, quib. illa p̄o
 mariti sui salute apud te intercedit? Num etiā
 liberorum ululatus negliges, qui è cunis ad te
 manus pro patre supplices tendunt? Num pre-
 ces matris, pro filio, nū gemitus socrus pro ge-
 nere, num suspiria fratris ac sororū, pro fratre,
 non exaudies? Obscro te dive Imperator, per
 genua tua. per sceptrum tuum regium, per ma-
 iestatem tuā Cæsaream, conserva conjugi ma-
 ritum, liberis patrē, matri filium, socrui gene-
 rum, fratrem fratri, propinquis cognatū, affi-
 nibus socium, amicis parem, Academię poē-
 tam, aulę tuę Comitem, patrię universę civem,
 conserva eiusdē manus, quę pro gloria decem
 Imperatorum Austriacorum sempiterna, cum
 fœdissimo & obscurissimo oblivionis mōstro,
 tam fortiter dimicaverūt. Cave ne probrosum
 sit, eius famam ac vitam periclitari, qui maiorū
 tuorum perpetuę famę, ac nominis immorta-
 litati tam strenuę consultum voluit. O fortu-
 nam hominum disparem! quanto mihi satius

fuerat: pro honore huius imperij, pro salute Imperatoris, in acie Croatica, telis hostium occumbere: quam tot mendacijs, tot calumnijs, tot periurijs unius Marci Vaganeri interire.

Tum enim vita socia virtus, mortis comes fuisset gloria. Nunc vero, qui est dolor, laborum & lucubrationum me nullum aliud præmium reportare, quā odiū totius nobilitatis, vniuersum: idque ipsum cum periculo vite quotidiano coniunctū? Qui dolor, pro tot ingenij mei fætibus, tot libris, tot monumentis, nullam aliam referre mercedem, quam crudelissimum rotæ supplicium? A quo periculo defende Imperator, civem innocentem, virum bonum, & nihil tale promeritum; cura, ut veritati plus, quam calumnijs Vaganeri, credidisse videaris; plus saluti unius civis, quam mille hostium libidini consuluisse: graviorem eius duxisse orationem, quæ tuo honori serviat; quam eius audaciam, qui aurea pipenni armatus, etiam vitæ imperatoriæ necem intentat. Nemo est vir bonus, qui hoc fatale portentum patriæ non oderit: omnes poëtæ, quorum ingenia semper gratia fuerunt imperatoribus, facta, mores, nomē denique huius Marci detestantur: omnes Palatij tui Comites, quos in unam eandemque rotam, mecum omnes tollendos hic cœset, Vaganerum execrantur: omnes Saxoniae, Missiae, Thuringiae Theologi, nō contempti ab illa bestia, sed cōvitijs proscissi, Vaganerum oderūt,

omniisque

omniꝝ cruciatu dignissimum putant: Cui
 non apud bonos principes, nō apud laudatos
 Comites, non apud generosos Barones, non a-
 pud homines verè nobiles, nō apud ullum or-
 dinem, non apud illos ipsoꝝ, quorum partes su-
 scepit, non in schola, non in templo, non in cu-
 ria, non in orbe, ullus est venia locus: qui sei-
 psum oderit: quē metuūt omnes, qui suā nunc
 cauſam, suam dico, nemini committere aude-
 at: qui denique temeritatem & furorem suum
 ipſemet condemnet. Noli putare à ſeditione il-
 lum abhorre, qui ſeditionū auctores laudat,
 qui Nimbrodi incudē renovat, qui turrim Ba-
 bylonicam instaurat, qui innocentes pro no-
 centibus, pios pro ſceleratis, tranquillos pro
 tubis ſeditionum habet. Cui enim placet Cai-
 ni civitas, cui spelunca latronū, cui turris Nim-
 brodi, cui arx prædonum, cui ex illo fonte &
 ſeminario rapinæ, cui neces ſubditorum, cui
 cædes civium, cui præfracta ſuperbia, cui pœ-
 na, cui immanitas: qui hęc omnia defendit,
 qui laudat, qui talium facinorum auctoribus
 patrocinatur: an tu eum paribū flagitijs aſtri-
 etum non iudices? Theologum ſe dicit Mar-
 cus, & religiosum: Historicum ſe nominat Va-
 ganerus & amatorem vetustatis. At, quis ob-
 fecro, pro Theologo eum habeat, qui Cainum
 dicit fuīſe bonum principem? qui ex civitate
 Caini facit pagum, ex prædonibus rusticis, ex
 domicilio latronum, urbem honorū civium?
 quis

quis ullam pietatis micam in illo esse statuat,
 qui Nimbrodum pro Noa, venatorem fortissimum hominum, pro vindice facinorosorum
 latronum, turrim cōfusionis, pro arce glorię,
 speluncam prædonum, pro sede iusticiæ habet? Qui illum agnoscat pro religioso & do-
 cto, qui Cyclopem & piūm hominem, Centau-
 rum & verè nobilem, portentum hominis, &
 simulacrum virtutis, eosdem esse iudicat?
 Quis illum humanitatis sensum ei inesse putet
 qui virum innocētem falsis criminibus oppri-
 mit, oppressum rotæ suppicio multat, mul-
 tatum ad stygias paludes detrudit? Quis vel
 minimam rationis scintillam in eo micare cre-
 dat, qui elevat principes, qui in ordinem redi-
 git Electores, qui ex Archidapifero facit Ar-
 chicarnificem, qui Romanum Imperatorem
 capite condemnat? Quapropter quotiescum-
 que animo meo huius Marci nomen & memo-
 ria obversabitur: semper meminero, mihi
 non cum Theologo, sed cum sacrilego: non
 cum vicario, sed cum sicario: non cum homi-
 ne, sed cum monstro hominis esse con-
 grediendum, disputandum, con-
 flictandum.

F I N I S.



Index Orationum.

1. De praestantia ac dignitate P. Virgilij Maronis Euclidis pag. 1.
2. De exercitationibus Oratorijs. I. poetis ad imitationem Veleri pag. 112.
3. De studijs linguarum & liberalium artium pag. 169.
4. De Vita Rustica pag. 253.
5. In Marinum Vagancium Eunamensem Saxonem.

~~affectionis~~
~~affectionis~~
anno 1607.





